7a
Il Il 62489/B

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

GILABERT, V.

62489/B

10

XXI 4

L. 9. 24

EXAMEN MEDICUM, PER DIALOGOS,

JUXTA ANTIQUORUM, & Recentiorum placita, ut Tyronibus prodeſſe queat.

IN LUCEM EDITUM, JUSSU

D. D. JOSEPHI CERVI,


EQUITIS PARMENSIS, UTRIUSQUE Catholicæ Majeſtatis Conſiliarii, & Archiatri meritiſsimi, Regalis Hiſpaniarum Protho-Medicatus Præſidis integerrimi, &c.

AUCTORE

D. D. VINCENTIO GILABERT, in univerſali Academia Valentina Medicinæ Doctore, Societatis Regiæ Scientiarum Hiſpalenſis Socio, Generalis Matritenſis Noſocomii inter Medicos Primario, Regalis Familiæ Medico, olim Examinatore Regii Protho-Medicatus, necnon à cubiculo Regis Medico, &c.

CUM PRIVILEGIO: Matriti, ex Typographia ANTONII MARIN, Anno M.DCC.XXXVI.

Se hallarà en caſa de Juan de Moya, Mercader de Libros, frente de San Felipe el Real.



Valerius Iriarte delin. *J. ã Palom.º ſculp.*

VIRO SUMMO
D. D. JOSEPHO CERVI,
EQUITI PARMENSI,
IN PATRIA UNIVERSITATE
eminentis Cathedræ Profeſſori
celeberrimo.

PHILIPPI V. HISPANIARUM REGIS,
& ELISABETHÆ FARNESIÆ Reginæ,
Conſiliario, & Archiatro meritiſsimo.

REGII HISPANIARUM PROTHO-
Medicatus Præſidi integerrimo.

PRINCIPATUS CATHALAUNIÆ,
Comitatus Ceritaniæ, & Regiorum Exer-
cituum ſupremo Protho-Medico.

SOCIETATIS REGIÆ HISPALENSIS,
necnon Matritenſis Academiæ
Præſidi, &c.

NON Diu ſollicitus fui in hujus operis Mecœnate quærendo. Ad te, Patrone jucundiſsime, ſine ulla cunctatione non modò Liber iſte currit, ſed advolat. Tanta autem

eſt velocitas advolantis, ut Triptolemi currus, Medeæ dracones, Perſei, aut pennas Dædali, ſi minus remigio alarum, certè mentis avidiſsimæ volatu exuperet: vix enim inter mentis meæ penetralia concepi, cum tuos vultus coram aſpicere, teque humaniter ſalutare concupivit ardentiſsimè: imò jam ex illo tempore ſeros, ac tardè labentes dies impatiens carpere, moleſtus ferre, graviſque cœpit objurgare, non ſemel illud ex Martiale ingeminans:

Phoſphore redde diem, quid gaudia
noſtra moraris?
Ut videam *CERVI* Phoſphore
redde diem.

Jam vero partus adveniente luce, vix eſt, ut dici poſsit, quo cultu, qua obſervantia, qua etiam alacritate ad te gliſcens, ac venerabundus accedat. Nec immeritò: nam ut Irus quiſpiam, cujus vix apud homines memoria extat, ſi Regio lateri, ſacra annuente Majeſtate, aſsideat; tum demum vigere, & magni ab omnibus haberi incipit: utque abjecta he-

de-

dera, nullo fulta præſidio, ſerpit humi, ac ſemper repit; eadem ſi fortè proceræ palmæ adhæſit, patulos diffundit ramos, & in ſublime volans, ſuperbius ſeſe jactat, ac explicat: haud aliter noſter hic liber alioqui humilis, ſi ad tui umbram patrocinii facilem reperiat aditum, magnum exinde capiet incrementum: nam cui, quæſo, opus non probabitur, ſi à te libenter excipiatur? Palam quippè eſt, te ab omnibus Phœbeæ artis agnoſci Coriphœum: cujus rei non tam confirmandæ, quam poſteritati commendandæ gratia, vitæ tuæ tempora, ac mores, licèt per tranſennam inſpiciens, Chartæ tamen comendabo, libentius in ære cælaturus. Igitur ut rem ab origine repetam:

Palma tibi patria eſt, victricibus uber
ab armis,
Dicta per Antitheſim mutato
grammate Parma:
Felix prole Ducum, qualis
Berecynthia Mater

Invehitur curru, Phrygias turrita
per Urbes,
Lœta Deum partu, centrum
complexa nepotes,
Omnes Cœlicolas, omnes ſupera
alta tenentes.

Viget nimirum in amœniſsima Parmenſi Urbe, Ducum Inſigne Capitolium: Viget præterea minorum ignium cælum; undequaque clariſsimum. Verùm de his tantum meminiſſe ſufficiat. Ad eam me Domum confero, quam ibidem ſapientia ædificavit, atque excidit tibi de marmore Gymnaſia ſeptem. *Singula perluſtrare libet; & quid, ac quantum in unoquoque profeceris enucleatius meditari.*

Primum igitur Grammatices Gymnaſium obiiſti, ubi latinæ linguæ faciens Tyrocinium, eò demum perveniſti, ut priſcum illum Palœmona, qui ſecum ortas jactabat litteras, ac ſecum etiam morituras, longo poſt ſe intervallo reliqueris. Ibi Vallæ, ac Manutii elegantias, Calepini lexica, Eraſmi Chiliadas, Priſcia-

ni

ni commentarios ultra teneræ vires ætatis optimè calluiſti : ut totus proinde phraſim ſaperes ciceronianam. Macte virtute:qui talia habes rudimenta , qualis exercitatus miles eris ? *D. Hyeron. ad Paulin. de Inſtit. Mon.*

Jam vero hinc ad ſecundum Rhetorices Gymnaſium tranſeamus : in quo miranda potius , quam verbis extollenda non vulgaris illa facundia , quam ſummo ſtudio , ſummo labore, ſummopere comparaſti : In quo poſt Quintilliani lecta acumina , Ciceronis fluvios ebibitos, exhauſtam Frontonis gravitatem , & lenitatem Plinii delibatam, non paucas perorantem declamationes univerſa conſpexit Academia. Jam tum eloquentiæ Jullianæ , quaſi quidam rivulus videbare , cujus ex alveo puriſsimo melle dulcior fluebat oratio, ut de Græco illo Neſtore apud Iliadas Homeri legimus. Adeò ſubtiliſsima quæque ſemper invenire , inventa diſponere , diſpoſita ornare , ornata demum eloqui conſueveras. Cujus rei illuſtre prębent teſti-

timonium tot ad te audiendum confluentes undique ſtudioſorum turmę; id, quod de Livio, Hiſtoricorum Principe ſcripſit Hyeronimus, ad illum lacteo eloquentiæ fonte manantem de ultimis Hiſpaniæ, Galliarumque finibus quoſdam veniſſe nobiles. Scio equidem, quæ tua modeſtia eſt, hæc ægrè laturum; ſed ut oportuit te facere, ſic me oportet non omittere.

Atque hinc jam ad Parnaſi juga conſcendamus, quo te Muſarum chorus amœniſsimus ephebum adhuc, atque imberbem evocavit. Hic me dixiſſe ſufficiat, judicium Maronis, Propertii ignes, Horatii numeros, Martialis ſales, Lucani pompam, Claudiani majeſtatem, Naſonis ingenium, totum denique Helicona pleno te gutture hauſiſſe; ut rectè poſsit cum Marone dicere:

Nec tantum Phœbo gaudet Parnaſia
rupes,
Nec tantum Rodope miratur,
& Iſmarus Orphea.

Imò

Imò cum Propertio:

Tale facis carmen docta teſtudine, quale
Cynthius impoſitis temperat articulis.

Sic ergo calentibus Rhetorum, ac Poetarum ſtudiis, ad arcana naturę penetranda, quartum Philoſophiæ Gymnaſium adieras: in quo per triennium uberrimos te fructus quæſiiſſe palam eſt; in primis verò magnos antiquitatis Philoſophos æmulandi cura fuit: nam ut elegantèr diſputat Maximus Hyeronimus, unumquodque propoſitum ſuos habet Principes: Romani Duces imitentur Camillos, Fabricios regulos, Scipiones; Poetæ æmulentur Homerum, Virgilium, Menandrum, Terentium; Hiſtorici Thucididem, Salluſtium, Herodotum, Livium; Oratores Lyſiam, Gracchos, Demoſthenem, Tullium; Philoſophi proponant ſibi Pythagoram, Socratem, Platonem, Ariſtotelem. Hos tibi propoſuiſti Duces, & ante coævos tuos, quaſi unus ex Ducibus omnibus eminebas.

Quid

Quid referam tot in publicis certaminibus reportatas victorias? Tot in academicis velitationibus adeptos triumphos? Num propugnator aderas? & ſtrenuus quidem. Num aliàs oppugnator? & quidem ſubtiliſsimus. Num contentionum decretor, & quaſi agoteta? & verò ſolertiſsimus. O ingenium! admirandum potiùs, quàm verbis extollendum! verum age: & in amœniſsima Mathematices, ac Aſtronomiæ Gymnaſia ingredere.

Hic canis errantem Lunam, Soliſque labores,
Arcturum, pluviaſque Hyadas, geminoſque Triones:
Quid tantum Oceano properent ſe tingere ſoles
Hyberni, vel quæ tardis mora noctibus obſtet.

Hic ſyſthema Dycopernicum penitùs enodaſti, non magna ſine omnium admiratione. Hic ſolerti admodum ingenii acie novum illud explicaſti Phœnomenon, quod ea tempeſtate acciderat, Saturno cum Jove coeun-

coeunte. Quamobrem omnium in te plauſus, ac præconia converſa ſunt, Cervi nomen Theatro fræquentiſsimo proclamante. Mirari ſcilicet Academię Patres; perſonare juventus florentiſsima; omnes denique in puero provectum contemplari virum; donec, verbis in laudes deficientibus, uno omnes intonuerunt ore: Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.

Verùm ut cœptum propoſitum proſequar, poſtquam in Philoſophis, ac Mathematicis ipſo Phœbi tripode credebare digniſsimus, tandem ad vaſtiſsimos, ac penè invios Medicinę campos mentem, atque animum contuliſti: Cui ſub Pompejo Sacho clariſsimo artis Medicæ, ac veritatis interprete, juſto quadriennio dediſti operam: in qua quantum prę̨cellueris, illa demum ſatis indicant: primum enim Doctor Academię deſignatus es: hinc ad primariam Cathedram evectus: poſteà inſigni Medicorum Collegio cooptatus, & à Sereniſsimo Parmenſi Duce Equeſtri ordini allectus: non multò poſt cum ſupe-

pe-

perioris Cathedræ proprietatem, decedente Pompejo, nactus eſſes.

Nec calamis ſolum æquiparas, ſed voce Magiſtrum,
Fortunate puer. Tu nunc eris alter ab illo.

Imò verò ſupra illum, vir undequaque ornatiſsime: ſive enim Rhetores in Italia quærimus, Cervi Rhetorum, ſive Philoſophos deſideramus, Cervi Philoſophorum, ſive Mathematicos optamus, Cervi Mathematicorum, ſive Medicos cupimus, Cervi Medicorum Magiſter, & quaſi Anteſignanus ab omnibus prædicatur, colitur, & celebratur. Nullum in Italia oppidum eſt, nulla Urbs, nulla Colonia, nulla Regio, in qua Cervi nomen perſonet, non jactetur, non feratur. Quid ultra? Adeſſe, quæſo, & vera dicenti fidem adhibete. Cum tanti viri fama intra Italiæ clauſtra, quaſi in anguſtiis quibuſdam compreſſa teneretur, & coanguſtata, ibique inſtar validiſsimi aeris intra nubes clauſi, ac circumſepti continere ſeſe non poſ-

poſſet, tandem ruptis compedibus, Hiſpaniam verſus intonuit. Audit clamorem Eliſabeth Farneſia, Hiſpaniarum Regina, ſemper Auguſta, Fœlix, Inclyta, Victrix, ac Triumphatrix egregia. Nec mora: Virum ad ſe acciri jubet; capeſsit ille juſſa; Parmam deſerit; Iberiam petit; Regiam Aulam ingreditur; & ab Auguſtiſsima Regina benignè exceptus, Regii Protho-Medici munere decoratur.

Hic vero omnium ſpectationi ſatisfecit adeò, ut ſi vera eſſent Pythagorica de animarum tranſmigratione dogmata, ſpiritum crederes Hipocratis intus alere; niſi ipſum mavis Apollinem, aut ejus Natum Æſculapium, Cervi ſpeciem ementitum, morbos pellere, ægros levare, pancraticam omnibus afferre valetudinem. Quæ res vel ipſum Regem in admirationem vertit; & eò adduxit, ne dicam, compulit, ut non modò Protho-Medicum probeverit, ſed Regio etiam Protho-Medicatui, ipſius Medico Primario è vivis erepto, præfecerit. Fauſtè, proſperè, fœli-

liciter. Nam cum morborum agmen non ſemel totam Regiam obſederit, excidium ferens præſtantiſsimum, ipſi etiam Animoſo Philippo, ſed hæreat calamus, neque ultra pergat. Quis talia fando ::: temperet à lachrymis?

Huc huc te voco, Cervi peritiſsimè; jamque hic grates ago immortales, & omnis mecum gratulatur Iberia: tuis quippè auxiliis ab ipſo pene limine Regalis Aulæ lætifera agmina fugata ſunt, aut penitùs profligata: Tua etiam ope Rex invictiſsimus victor extitit, at triumphavit. Quam ob rem omnes te ſoſpitem cupimus, & incolumem; ut & Rex noſter te ſecundùm Deum, ac ſuperos auſpice, & vigilantiſsimo cuſtode,

Temperet Heſperiam Pilio
numeroſior œvo.

Nec te pro tanto munere decuit non donatum abiiſſe; quin potiùs Catholicus Philippus ad ampliſsimos honores evectum cupiens, Senatorem Regium te creavit, exercitium muneris conceſsit, ſtipendia

aſ-

aſsignavit : Cathalaunię etiam, & Regalium Exercituum Protho-Medicum renunciavit.

Cumque huc loci perventum ſit, quis non hic ſiſtendum putaverit? Quis laudum tuarum finem hunc eſſe non dixerit? Verum enim verò ecce hìc, quaſi quę hactenus dicta ſunt, parum, aut nihil ſint, æquor ex integro panditur amœniſsimum. Nam Catholicis Regibus Hiſpalim profectis, Regia ejus Urbis Medicorum Societas in ſuum Præſidem elegit. Rurſus cum apud Mantuam Carpentanorum, ſimilis Academia erecta fuerit, eodem hic munere decoratus viges. Te nimirùm Duce, ac Palinuro hæc utraque Academia per vaſtiſsimum Medicinę Oceanum, fœlicem ſolvit navigationem: fluctus non timet, procellas ſpernit, tempeſtates deſpicit. Omnes, quotquot hęc freta trajiciunt, te unum clavi moderatorem obſervant, intuentur, contemplantur. Proh! quantas Minervæ opes, ſub tuę peritiæ cynoſura ſeſe reportaturos expectant! Non tantas

ſe-

ſecum Pactolus vehit, Ganges affluit, aut quidquid montium, aut fluviorum ſub utroque Polo divitiis plenum, ac fœcundum eſt. Plurimas hactenus reportarunt, & in dies expectant uberiores. Sed ſi ultra progredi voluero, ecquis tandem finis erit? Unum illud pro coronide dixiſſe ſufficiat, ſi ex tanto rerum, ac laudum cumulo una tantum recula quiſpiam præditus proponeretur, eum non modò mediocrem, ſed magnum virum ab omnibus celebrandum: at cum tu tot ſis, tantiſque rebus cumulatiſsimus, qualem te eſſe prædicabunt homines? Ego ſanè in hac re Harpocrates.

Tantum ſupereſt, ut ſilentii, quam eloquentię avidior, hoc tibi opuſculum velim nuncupare: donum, ſi rem ſpectes, certè exiguum; ſi donantis animum, nullum mehercule grandius, nec tibi fortaſſis jucundiùs. Planè non alia à me poteras ſpectare officia, quam haſce laboris mei lucubratiunculas: nam ut opportunè dixit Hyeronimus: Quæ Medicorum ſunt,

pro-

promittunt Medici. *Cauſæ nuncupationis plurimæ : meus in te amor ; tua viciſſim erga me benevolentia ; cujus rei teſtimonium extat locupletiſsimum, quod cum librum aliàs ad te miſsiſſem iſtiùs germanum, mirum ſit, quanta eum benignitate exceperis. Accedit præterea, quod non alium hæc opera Mecœnatem quærere debuerant, quam illum potiſsimum, quem Medicorum Coryphæum, ac Principem facilè agnoſcunt. Summa ergo alacritate libellum hunc meum tibi D. O. C. Q. Tu eum pro tua humanitate benignè amplectere, & inter ſcrinia tua repone.*

Sic tua ſemper eat ventis fortuna ſecundis,
Neſtore ſic vivas præ ſeniore ſenex.

Addictiſsimus, atque obſequentiſsimus ſervus,

D. D. Vincentius Gilabert.

¶¶ *CEN-*

CENSURA D. JOANNIS ISASI, Iſaſmendi, Excellentiſsimi D. Archiepiſcopi Valentini, Inquiſitoris Generalis, Supræmæque Inquiſitionis, necnon Regalium Noſocomiorum Medici, ac Regiæ Academiæ Medicæ Matritenſis Sodalis.

EX commiſsione Lic. D. Antonii Bazquez, Goyanes, & Quiroga, Vice-Vicarii Matritenſis, legi Librum cui titulus: *Examen Medicum, &c.* Auctore D. D. Vincentio Gilabert, &c. perlectumque, inveni ſtyllo brevem, lectione expeditum, & inſtructione perfectum, nihilque notæ in ſe continentem, quidquid dicat Seneca, nullum ſine venia placuiſſe ingenium, hoc enim autumno provenire ex eo, quod, ut ipſe notat Cordubenſis, plurimi ſolent dente canino pro conſuetudine rodere, ut videre eſt in quibuſdam canibus, quibus innatum eſt, ut non pro feritate, ſed pro conſuetudine latrent. Neque brevitas prolixitatis faſtidia fugans; in illud Horatianum incidit: *Brevis eſſe laboro? Obſcurus fio*: Eſt namque cum perſpicuitate conjuncta; quæ quidem in earum prætermiſsione rerum, quæ ad inſtitutam materiam nil opis afferunt, ſita eſt. In eoque quidquid deſideratur ad perfectam Tyronum inſtructionem, ita complectitur, ut mediocri labore, nec longo tempore optatam Medicinæ metam, vel rudiores ipſi facilè queant contingere, & ſanioribus imbui, tam antiquorum, quam recentiorumMedicorum dogmatibus,ac fundamentis ab aureo Apollinis ævo ad hæc uſque tempora præſcriptis. Vis enim exempli gratia Hipocratis fundamenta in Mechanices clariori doctrina? Hic invenies exarata. Vis Galeni dogmata in quatuor humorum variis diſpoſitionibus explicata? Hic habes optimè extricata. Vis per ignem Philoſophorum ſenſata principia? Ecce hic perfectiori analyſi demonſtrata, & cunctis noſtri ævi phyſicorum placitis accommodata. Vis tandem nova Medicorum om-

nium

nium inventa? Habes hic cuncta in compendium clariſſimum redacta; præcipuaque naturæ Phœnomena juxta firmiora fundamenta ſubtiliter explanata. Sed quid mirum? Cum nullus fermè Philoſophorum ſit, quem non pœnitùs (ſit fas ita loqui) devoraverit. Evolve priſca Veterum volumina; repete antiquatas jam, & penè obſoletas vetuſtatis Philoſophias: atque jam inde ad noſtra te converte politiora tempora: hic novas meditare rationes, novas expende ſubtilitates, nova acumina, novos ſenſus. Adeſto nunc, nullum, mihi crede, præclarum volumen evolveris, nullas repetiveris Philoſophias, nullas expenderis rationes, ſubtilitates nullas, acumina nulla, ſenſus nullos, quos non omninò penetraverit, non percalluerit, non enodaverit. Si ſingula enumerare velim Claudian. *Promptiùs imponam glaciali Pelion Oſſæ.* Nam, ut ille ajebat: *Fluctibus obruimur, laudumque ſequentibus undis.* Et illud Naſſonis: *Inopem me copia fecit.* Unum illud ſilentio non præteribo: In Anatomicis ita excellere, ut humani corporis abſolutiſsimum Geometram ſummo jure vocare poſsis: adeò univerſam Microcoſmi ſtructuram pervagatus eſt. Omnes nimirùm regiones, ſecretiores angulos, ſemitas quantumvis invias, anfráctus hinc inde permeabiles, latebras admodùm obtruſas pervaſit, permeavit, percurrit. Nulla omninò pars eſt, imò nulla quamlibet minutiſsima particula, cujus non optimè agnoſcat nomen, ſedem, figuram, ac qualitatem: qui ſcilicet vocetur? Ubi ſita ſit? num cava? num rotunda? num lata? num ſolida ſit? Quæ item ex ſoliditate, ex latitudine, ac cæteris corporis humani figuris naſcantur affectiones? Ut totum proinde credas ea ratione formatum, quam Hipocrates poſtulat. *lib. de Veteri Medicina*, in hæc verba: *Cæterùm, & cognoſcere oportere mihi videtur, quæ affectiones homini ex facultatibus, ac potentiis, quæ item ex figuris adveniunt. Figuras autem dico, quæ in homine inſunt; aliæ enim cavæ ſunt, & ex amplitudine in arctum coactæ, aliæ expanſæ, aliæ ſolidæ, & rotundæ, aliæ latæ, & penſiles.* Certè ego crediderim, hanc maximi Hipocratis ſententiam penè puerum didiciſſe; jamque ex

eo tempore nullis peperciſſe laboribus, nullis vigiliis, nullis ſudoribus, nullis algoribus, ut talis, ac tantus, tamque Phyſicorum omnium doctrinis inſtructus miles evaderet, Horatii memor dicentis:

Qui ſtudet optatam curſu contingere metam,
Multa tullit, fecitque puer, ſudavit, & alſit.

Et alibi.

Nocturna verſate manu, verſate diurna.

Nimirùm, ut ajebat ille, *magna non ſine magno fiunt labore.* Donatus in Virgil. Sic profectò: hujus rei evidens argumentum eſt liber iſte amœniſsimus, in quo non utcumque res coacervantur, ac congeruntur, ſed ex innumeris Authorum voluminibus ea demum ſeliguntur: quæ Medicinæ candidatos plus juvare poſsint, ac delectare: quod cum attenta mente conſidero, apem mihi intueri videor per amœniſsimos hortulos evolantem, quæ mirà ſedulitate hic legit cythiſum; in alia areola carpit thymum; hìc mordet roſarum gemmas; ibi inter candentia lilia, & rubentes flores ſuaviſsima attondet foliorum cacumina, quibus in alvearia perductis favos conficit ipſa dulcedine dulciores. Utque ſolent Chymici rerum omnium medullas interiores extrahere, ex iiſque ſelectiſsima, & ſuaviſsima condire pharmaca, ſic eggregius hujuſce operis Author ex tot veterum, ac recentiorum ſcriptis ea tandem ſtudioſæ juventuti propinat, quæ nihil tædii, multum voluptatis, penè nullum laborem, fructus afferant copioſiſsimos. Quam ob rem, & quia nihil hic liber continet, quod à Catholica religione, Chriſtianiſque moribus abhorreat, typis, atque immortali cedro digniſsimum judico, cenſeoque, *ſalvo*, *&c.* Apud Mantuam Carpentanorum pridiè Kalendas Aprilis, anno à reparata ſalute M.DCC.XXXVI.

D. D. Joannis Iſaſi, Iſaſmendi.

LICEN-

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS el Lic. Don Antonio Vazquez Goyanes, Theniente Vicario de eſta Villa de Madrid, y ſu Partido: Por la preſente, y lo que à Nos toca, damos licencia para que ſe pueda imprimir, è imprima el Libro intitulado: *Examen Medicum, per Dialogos, juxta antiquorum, & recentiorum placita, &c.* compueſto por el Doctor Don Vicente Gilabert, Medico Primario de los Reales Hoſpitales de eſta Corte, &c. Atento, que de nueſtra orden, y comiſſion ha ſido viſto, y reconocido, y no contiene coſa opueſta à nueſtra Santa Fè Catholica, y buenas coſtumbres. Fecha en Madrid à trece de Abril de mil ſetecientos y treinta y ſeis.

Lic. Goyanes.

Por ſu mandado,

Joſeph Fernandez.

*REGIÆ ACADEMIÆ MATRI-
tenſis ad ſcientias naturales promovendas inſtitutæ*

CENSURA.

SUpræmi Senatus Caſtellæ præſcripto, legimus, & revidimus Librum, in gratiam Tyronum à D. D. Vincentio Gilabertio Philippi V. Hiſpaniarum Regis Potentiſsimi Medico ordinario conſcriptum, & inſcriptum: *Examen Medicum, &c.* Eumque non modò utilem (quod neminem inficiaturum credimus) ſed Tyronibus oppidò neceſſarium judicamus; quare multùm intereſſe, ut typis mandetur, ſeriò teſtamur. Mantuæ novæ in Carpentanis xvj. Kalendas Maii anno M.DCC.XXXVI.

Joſephus Ortega,

Acad. à Secretis.

EL REY.

POr quanto por parte del Doctor Don Vicente Gilabert, Medico en la Villa de Madrid, ſe repreſentò en el mi Conſejo, tenia compueſto, y deſeaba imprimir el primer Tomo del Libro intitulado: *Examen Medicum per Dialogos juxta Antiquorum, & Recentiorum placita, ut Tyroni Medico cum fructu prodeſſe queat*: y para poderle imprimir ſin incurrir en pena alguna, ſe me ſuplicò fueſſe ſervido concederle licencia, y Privilegio por tiempo de diez años para ſu impreſsion, remitiendole à la Cenſura en la forma acoſtumbrada: Y viſto por los de el mi Conſejo, y como por ſu mandado ſe hicieron las diligencias, que por la Pragmatica ultimamente promulgada ſobre la impreſsion de los Libros ſe diſpone: ſe acordò expedir eſta mi Cedula: Por la qual concedo licencia, y facultad al expreſſado Don Vicente Gilabert, para que ſin incurrir en pena alguna, por tiempo de diez años primeros ſiguientes, que han de correr, y contarſe deſde el dia de la fecha de ella, el ſuſodicho, ù la perſona que ſu poder tuviere, y no otra alguna, pueda imprimir, y vender el referido Libro, por el original, que en el mi Conſejo ſe viò, que và rubricado, y firmado al fin de Don Miguèl Fernandez Munilla, mi Secretario, Eſcrivano de Camara mas antiguo, y de Govierno de èl: con que antes que ſe venda, ſe trayga ante ellos, juntamente con el dicho original, para que ſe vea ſi la impreſsion eſtà conforme à èl, trayendo aſsimiſmo fee en publica forma, como por Correctòr por mì nombrado ſe viò, y corrigiò dicha impreſsion por el original, para que ſe taſſe el precio à que ſe ha de vender: Y mando al Impreſſor, que imprimiere el referido Libro, no imprima el principio, y primer pliego, ni entregue mas que uno ſolo con el original al dicho Don Vicente Gilabert, à cuya coſta ſe imprime, para efecto de la dicha correccion, haſta que primero eſtè corregido, y taſſado el citado Libro por los de el mi Conſejo; y eſtandolo

aſsi,y no de otra manera, pueda imprimir el principio, y primer pliego,en el qual ſeguidamente ſe ponga eſta licencia, y la aprobacion, taſſa, y erratas, pena de caer, è incurrir en las contenidas en las Pragmaticas, y Leyes de eſtos mis Reynos, que ſobre ello tratan, y diſponen: Y mando, que ninguna perſona, ſin licencia del expreſſado Don Vicente Gilabert, pueda imprimir, ni vender el citado Libro, pena, que el que le imprimiere aya perdido, y pierda todos, y qualeſquier Libros, moldes, y pertrechos, que dicho Libro tuviere, y mas incurrirà en la de cinquenta mil maravedis, y ſea la tercia parte de ellos para la mi Camara, otra tercia parte para el Juez, que lo ſentenciare, y la otra para el denunciador: y cumplidos los dichos diez años, el referido Don Vicente Gilabert, ni otra perſona en ſu nombre, quiero no uſe de eſta mi Cedula, ni proſiga en la impreſsion del citado Libro, ſin tener para ello nueva licencia mia, ſo las penas en que incurren los Concejos, y perſonas, que lo hacen ſin tenerla: Y mando à los de el mi Conſejo, Preſidentes, y Oydores de las mis Audiencias, Alcaldes, Alguaciles de la mi Caſa Corte, y Chancillerias, y à todos los Corregidores, Aſsiſtente, Governadores, Alcaldes Mayores, y Ordinarios, y otros Jueces, Juſticias, Miniſtros, y perſonas de todas las Ciudades, Villas, y Lugares de eſtos mis Reynos, y Señorìos, y à cada uno, y qualquier de ellos en ſu diſtrito, y juriſdiccion, vean, guarden, cumplan, y executen eſta mi Cedula, y todo lo en ella contenido, y contra ſu tenor, y forma no vayan, ni paſſen, ni conſientan ir, ni paſſar en manera alguna, pena de la mi merced, y de cada cinquenta mil maravedis para la mi Camara. Dada en San Ildephonſo à diez y ſeis de Agoſto de mil ſetecientos y treinta y ſeis años. YO EL REY. Por mandado del Rey nueſtro Señor. Don Lorenzo de Vivanco Angulo.

CEN-

CENSURA DOCT. D. ANTONII DIACI, Regentis Cathedræ principalioris Medicinæ, olim in Academia Complutenſi, & Matris Dei Theologorum Muſæi Collegæ : nunc verò Cubicularii Regalis Medici, Magni Regis Philippi Quinti.

RECEDANT vetera, nova ſint omnia. Apotegma iſtud, ſeu proverbium ſatis ſancitum eſt, & ſicut epidemicus morbus graſſatur in præſenti ævo, non ſolùm inter nonnullos Philoſophos : verumtamen inter aliquos Hiſpaniæ Profeſſores Medicos. Primi ſatiati fuere, primo lacte, quod in oſcillo devoravere, non potentes jam jam illud digerere. Ultimi namque propter energiam, & efficaciam, quam tribuerunt acidis, aliiſque principiis, illud corrumpunt, & deſtruere conantur Phyſicam, quam non potuerunt addiſcere. Quæcumque ignorant, blaſphemant. Deſiderantque apud vulgus hominum in magno pretio reputari. Aſt verò, ſine dubio conſequuntur, ut ſtolidi aliqui magno pretio ſuas ſyngraphas emant. Stabiliunt itaque, clariori modo explicare phœnomena omnia, quæ in corporibus offeruntur. Quippè inſtructi ſunt in Philoſophia recentiori, quam in breviſsimis diebus deprehenderunt, inſtar mulierum, quæ eam jam capiunt, non in Scholis ; ſed in ſtratis ſuis: verùmtamen hucuſque nondum eſt definitum : An naturæ ſecreta mellius molliantur per recentiorem Phyſicam; an verò per Philoſophiam veterem?

Non reprobo novam Philoſophiam : laudo magnopere eam. Improbo bono animo eos, qui docti ſe judicant in tam nobiliori ſcientia ſine labore, ſine principiis, & nullo præcedente Magiſtro. Poteſt ne aliquis eorum gloriari, ſe aliquid novum arti addidiſſe ? Libentèr credo, inania verba dumtaxat addidiſſe. In verbis amanda ſunt vera, non verba. Non ita ſe gerit hujus libri Auctor Doctor. D. Vincentius Gilabertius, qui magno labore, pe-

ren-

rennique ſtudio, & applicatione utramque Philoſophiam, Medicinamque ſedulò eſt perſcrutatus.

Ex thæorematibus, & monumentis antiquorum optimos fructus edidit, & ex recentioribus, ſuaviſsima effluvia, & flores ſpirat. Non eos, qui vix percepti prima fronte diſparent, ſed eos, qui mentem, & legentium intellectum, ſapore ſuavi demulcent. Quoniam adamuſsim caluit univerſa dogmata. Non rhætoricum ſe profitetur. Quia non vocabulorum oppificem; ſed rerum inquiſitorem opportet eſſe ſapientem. Non promittit nova: offert antiqua, & nova novitèr exculta, & illuſtrata in tyronum gratiam. Majorem utilitatem exiſtimo, ex lectione hujus tentaminis aſſequi tyrones uno menſe, quam percipere valeant ex lectura variorum voluminum in anno integro. Quapropter conſulo, & moneo Diſcipulos, & omnes, qui Medicinam inchoant, ut in hoc libro ſe exerceant. Et ſic in nulla Medicinæ parte erunt inopes.

Pauperes enim voco ferè omnes, qui propter penuriam temporis; vel propter neceſsitatem in Academiis non immorantur. Hi etenim ignari ſunt, in ea principaliori parte artis, nimirùm in Anathomia, quæ magnoperè conducit ad cognitionem morbi, cauſæ ejuſque prognoſim, curationemque. Nam indignum Medico eſt tractare de homine ſano, & morboſo, & ignorare pulcherrimam ejus ſtructuram, partes illum componentes, varia munera, ad quæ inſerviunt, earum ſitum, figuram, officium, connexionem, dependentiam unius cum altera, & harmoniam omnium, & qua fruuntur temperie! Neutiquam eos rogo, ut memoriæ mandent, tot, & tantarum partium nomina, & eam curioſam, exquiſitam Anathomiam, quam profitentur practici; qui duobus ab hinc ſæculis nimis inſudant ſuper cadavera, ut nova inventa; novoſque conductus, & meatus quotidiè typis mandent.

Credo. Quoniam video quam plurima inventa novitèr exarata eſſe. Attamen tanta eſt varietas inter Anathomicos, ut aliqui eorum jurant ſe inveniſſe quamplurima: Alii verò confitentur, ſe non poſſe demonſtrare. Quamobrem in trivio ſumus: An credamus aliis ſub juramento confitentibus? An aliis, qui adverſantur? Si alterutris fidem

dem adhibeamus, contradictoria credimus: Si cum nullis aſſentiamur in temeritatis notam incidimus: cum demonſtrativè percipimus, quam multa nova eſſe conſpicua. Non deeſt aliquis ex recentioribus Anathomicis, qui judicet multa, quæ in libris recentiorum leguntur, eſſe mendacia Microcoſpii, tranſlata de cadavere in chartas, & fallacia ſenſuum, vel propter retinæ vitium, &c. Author iſtius operis de condigno meretur præmium; & quod ei gratias referant practicantes, utpotè vult Doctiſsimus Vincentius eſſe merita legentium, quæ fuere dictatoris munera. Habetis in ſuo Anathomico tractatu, ferè omnes obſervationes, & inventa, quæ demonſtrata hucuſque ſunt à recentioribus. At verò, quæ nondum ſunt demonſtrata apertè profert, quod nondum conſtat, in dollio Diogenis, vel in puteo Democriti, deſinit, ut dormiat.

Iterum moneo præcipuè his qui comparendi ſunt coram Protho-Medicis, ſi Medici eſſe cupiunt, ut ad unguem in promptu habeant diſſertationem Anathomicam hujus voluminis. Suſpicor enim, in crimen verti ignorantiam hujus partis tam nobiliſsimæ in arte noſtra. Sufficit ſpatium unius menſis, ut ſciatis præfatam diſputationem, quæ tantum prodeſt, & tantum obſtat, ut ſecurè, non poſsit munus Medicum adimpleri. Reliquum verò, quod ſcitu eſt dignum, poſtea adquiritur lectione aliorum Authorum: De præſenti referte gratitudinem veſtram huic Authori, quatenùs vobis offert coronam, quam primus arripuit, & pallidam quidem, hoc eſt, maturam: ut non ægrè corona ſua etiam vos præcingat. Et Author, qui dedit formam ſcribendi, ſine lucubrationibus, det conſequentia ad formam; & ſua ſcribendi methodus in texta, animis infixa manebit. Quapropter exiſtimo, quod totum operis corpus eſt pulchrum, formoſum; non verò inanime, imò eſt totum anima. Et impatientèr credo: ſpectaturos, Diſcipulos aliud volumen de febribus, cum quo ſatius erit, ut ſua examina fœlicitèr finiantur. Hoc eſt meum ſuffragium. Hoc de opere judicium: *ſalvo, &c.* In hoc meo ſtudio. Matriti die 18. Auguſti anno 1736.

Doct. D. Antonius à Diaz.

APPRO-

APPROBATIO D. D. BALTHASARIS DE TORRE, & Ocon, Medici olim, Collegæ Regii SS. Martyrum Coſme, & Damiani, Civitatis Pampilonenſis, Regni Navarræ, ipſiuſque Regni Protho-Medicatus Examinatoris, & Conjudicis; & Protho-Medicatus quoque Regnorum Caſtellæ (dum per multos annos Regiæ domus Medicus fuerit) nunc è cubiculo Regis, cum exercitio Medici, & Protho-Medici; Caſtellæque Protho-Medicatus (per ſubdelegationem Regia auctoritate factam) Præſidis, & Regentis; Præſidis quoque denuò reelecti Academiæ Regiæ Medico-Matritenſis, &c.

VIdi, & non parùm mihi complacuit, dum attentè legi, & perlegi librum hunc, ab ipſius Authore, ob ejus erga me amicitiam, mihi commiſſum, qui inſcribitur: *Examen Medicum, ſive Dialogus interrogans, & reſpondens*, cujus Author Doct. D. Vincentius Gilabert, Regiæ Hiſpalenſis Societatis Socius, Generalis Noſocomii Matritenſis Medicus Primarius, è Familia Regis, Protho-Medicatuſque Regnorum Caſtellæ olim Examinator; nunc è cubiculo Regis Medicus, &c. Vereque mihi videbatur, ſolius Authoris nomen ſufficiens, ut opus maneret approbatum; eo enim Vincentius ignorantiam vincit, conveniunt namque rebus nomina ſæpè ſuis: Hoc enim opere, Author omnes ferè Medicinæ theoricæ practicæ materias, nempè: de rebus naturalibus, non naturalibus, & præternaturam, de Criſibus, de Pulſibus, de Lotio, de Indicantibus, de Sanguinis miſsione, expurgatione, Methodo medendi, de Materia Medica, &c. doctiſsimè pertractat, variaſque Medicinæ Sectas proponit, & opiniones communitèr jam receptas ſeligit, novas antiquis, & antiquas novis, modo, quo poteſt, conviniando; & ſi aliquam à veritate alienam contempletur, ipſam rejicit.

Verè adamantinum opus, quo ejus Author abditas, certioreſque buccinat ſententias: quæſtionum bullas inflatas, & ignorantiam tumentem, ferventi ſpiritu repellit: difficultates ſtudioſioribus, brevitatis ſolatio, & cla-

ri-

ritatis dono, demonſtrat conciſſas: Unde doctis, & indoctis utiliſsimum opus; illis ad docendum; iis ad diſcendum facilè ſupradictas Hipocraticæ Medicinæ materias, quæ à Tyronibus memoria debent aſſervari, ut ex ipſo conſtat Hipoc. *lib. de Decenti ornatu*, dicente: *Firma item memoria teneto medicamenta, & ſimplices facultates, & deſcriptas, ſi modo tales exiſtant; ſint, & in memoria tibi morborum curationes, & harum modi; quotupliciter, & quomodò in ſingulis ſe habent: hoc enim (quod ex dictarum materierum præcipuè pendet intelligentia) principium eſt in Medicina, medium, & finis.*

Cum hoc namque opere ægregio, ſanè, & plurimi faciendo Tyrones Medici, & non pauci Theorim, & praxim exercentes, qui ante hac allucinati fuerint, à rectaque Medico-Phyſica ſpeculatione, & medendi methodo prorsùs alieni, poterunt, in veriſsimam artis cognitionem deducti, humani generis ægritudinibus obviam ire: hìncque certè ſpectamus, eo in lucem edito, plurimos ad examen in Protho-Medicatum deſcendentes, meliùs doctrina Medica imbutos, venturos eſſe, quam eos, qui uſque nunc, prout in plurimum, comparuere, à Theoria Medicinæ, & praxi ferè alienati: qua fortè motus experientia, hunc Author conſcripſit librum, ſive dialogum, interrogans, ut Magiſter, & reſpondens, ut ſapiens diſcipulus: Unde venit mihi in mentem dubitare, an Author præcellat, dum interrogat, an dum reſpondet? Et licet major ſequatur Tyronibus utilitas ex reſponſionibus, quia illis ſapientes fiunt; cum tamen Authori, tam interroganti, quam reſpondenti idem, eodemve debeatur Magiſterium, nequeatque diſcipulus eſſe ſupra Magiſtrum, æqualiter in utroque præcellere Authorem, confiteri tenebimur, ita ut de illo cum Ovenio poſsim dicere:

Nil opus Authorem hunc, nil hunc laudare libellum.
Hoc opus Authorem laudat, hic Auctor opus.

Omnis ætas certè Authorem habebit gratum, & ipſum pictura, ſeu ſtigmate Sculapii inſigniri dignum contemplabitur: ſed relinquo laudes, ne laconicum ſtyllum tranſcen-

cendam, præcipuèque ob Authoris modeſtiam, & quia ut Quintilianus: Nos, brevi, nos brevitatem ponimus, non ut minùs, ſed ne plus dicatur, quàm oporteat: quare; & cum hic liber nil contra Dogmata Fidei noſtræ Catholicæ, nec Regis Pragmaticas aut bonos mores contineat, videtur mi, lucem mereri, & Typis mandari. Ita ſentio (*ſalvo ſemper*) Matriti die 27. Menſis Martii, anno 1736.

Doct. D. Balthaſar de Torre Ocon.

PRO-

PROGRAMMA

CLARISSIMO, ATQUE COLENDISSIMO MAGISTRO

D. D. VINCENTIO GILABERT,

D. ANTONIUS DE MEDINA, ET CAMPION.

METRICUM ANNAGRAMMA PURUM:

Clangat utrinque ſonos; immenſo nomine, & aura
Ductoris ſibi: das greſſus? dic: I. addito mille.

CUI JUVENTUTIS APOLLINEÆ GRESSUS dirigenti Acroſtice Thautologice canam:

G Emmea	G Aza	G Erens	G Racilis	G Eneroſaq;	G Reſſus.
I Mbrifer	I Rriguos	I Ndes	I Ubar	I Nclyte	I Ure
L Actea	L Æta	L Iber	L Ecturo	L Ampada	L Ibas
A Ltus	A Pollineos	A Mnes	A Dducis	A D	A Stra
B Landa	B Enigna	B Ibant	B Alentque	B Ibiſſe	B Identes
E Das	E T	E Xiles	E Xcelſos	E Rigat	E Xtunc
R Ura	R Ecens	R Utilanſq;	R Igas	R Ectoreq;	R Egnes
T Empora	T Uta	T Eras	T Umulans	T Enebroſa	T Uliſti

ET CUM SUB UMBRA TANTI ALARUM MECOENATIS cuncto litterario Orbi hic gravis Apollineus labor innoteſcat, atque ab ejus oculorum clariori luce promotus prodeat, in mei gratum actione, & ſui admirandi reſpectum ſic Labyrintice aſſero:



IVREↃANIMULTASALASATLUMINACERVI
VRECANIMULTASALALASATLUMINACERV
RECANIMULTASALASALASATLUMINACER
ECANIMULTASALASASALASATLUMINACE
CANIMULTASALASATASALASATLUMINAC
ANIMULTASALASATLTASALASATLUMINA
NIMULTASALASATLULTASALASATLUMIN
IMULTASALASATLUMULTASALASATLUMI
MULTASALASATLUMIMULTASALASATLUM
ULTASALASATLUMINIMULTASALASATLU
LTASALASATLUMINANIMULTASALASATL
TASALASATLUMINACANIMULTASALASAT
ASALASATLUMINACECANIMULTASALASA
SALASATLUMINACEREↃANIMULTASALAS
ALASATLUMINACERVREↃANIMULTASALA
LASATLUMINACERVIURECANIMULTASAL
ALASATLUMINACERVRECANIMULTASALA
SALASATLUMINACERECANIMULTASALAS
ASALASATLUMINACECANIMULTASALASA
TASALASATLUMINACANIMULTASALASAT
LTASALASATLUMINANIMULTASALASATL
ULTASALASATLUMINIMULTASALASATLU
MULTASALASATLUMIMULTASALASATLUM
IMULTASALASATLUMULTASALASATLUMI
NIMULTASALASATLULTASALASATLUMIN
ANIMULTASALASATLTASALASATLUMINA
CANIMULTASALASATASALASATLUMINAC
ECANIMULTASALASASALASATLUMINACE
RECANIMULTASALASALASATLUMINACER
VRECANIMULTASALALASATLUMINACERV
IVREↃANIMULTASALASATLUMINACERVI

ERRATA NOTABILIA SIC EMENDA.

PAG.13.lin.36. hypotheſi, lege *hypotheſis*. Pag.29.lin. 14. frigidum, leg. *calidum*. Pag.33.lin.22. prioreſque avolantes, leg. *prioribus avolantibus*. Pag.35.lin.17. à primarios, leg. *à primariis*. Pag.35.lin.28. differri, leg. *differuntur*. Pag.38. lin.36. reſtituentes, leg. *componentes*. Pag.100.lin.35. infingitur, leg. *infigitur*: & paulò poſt, infinguntur, leg. *infiguntur*. Pag.101.lin.21. lamboydes, leg. *lambdoydes*. Pag.183. lin. 29. bines, leg. *binæ*. Pag. 210.lin.8. inhibere, leg. *imbibere*. Pag.268. lin.11. mixtionem, leg. *mictionem*. Pag.290. lin. 28. excaatur, leg. *excabatur*. Pag.320. lin.21. uterum,leg. *utero*. Pag.321. lin.16. recipiendo, leg. *ad recipiendos*. Et paulò poſt,ad, dele. Pag.326.lin.18. lactem, leg. *lac*. Pag. 346. lin. 10. montuſa, leg. *montuoſa*. Pag.348.lin.13. lactem, leg. *lac*. Pag.355.lin.37. diluto, leg. *diluta*. Pag.434. lin.18. eam, leg. *ea*. Pag. 449. lin. 17. alias, leg. *alia*. Pag. 450. lin. 36. Ultheæ, leg. *Altheæ*. Pag. 454. lin.17. deeſt, *pug. 3.* Pag.466. lin.7. Salſaparrilla, leg. *Salſaparrillæ*. Pag.509. lin.5. Copaivæ, leg. *Copaiva*. Pag. 510. lin. 29. Mellito, leg. *Melliloto*. Pag.523. lin.36. Cochleare, leg.*Cochlear*. Pag.524. lin.17. Ruci, lee *Ruſci*.

Vidi *Examen Medicum per Dialogos*, *&c.* ab Auctore D. Vincentio Gilabert, & his mendis ſuo originali reſpondet. Matrit. & Auguſt. 20. 1736.

Lic. D. Emman. Garcia Aleſſon,
C. M. Generalis Corrector.

SUMA DE LA TASSA.

TAſſaron los Señores del Real, y Supremo Conſejo de Caſtilla eſte Libro, intitulado: *Examen Medicum per Dialogos juxta Antiquorum, & Recentiorum placita, &c.* ſu Author el Doct. D. Vicente Gilabert, Medico Primario de los Reales Hoſpitales, &c. à ſeis maravedis cada pliego, como mas largamente conſta de ſu original, dado en Madrid à veinte y tres de Agoſto de mil ſetecientos y treinta y ſeis años.

¶¶¶ INDEX

INDEX LIBRORUM, ET CAPITUM HUJUS OPERIS.

LIBER PRIMUS.

DE PRIMA PARTE MEDICINÆ, ſeu de Phiſiologia.

CAP. I. De Elementis. Pag.*6*.
Cap. II. De Temperamentis, pag.28.
Cap. III. De Humoribus, pag.34.
Cap. IV. De Secretione humorum, pag.40.
Cap. V. De Secretione humorum utilium, pag.47.
Cap. VI. De Secretione lactis, pag.49.
Cap. VII. De Secretione ſeminis, pag.50.
Cap. VIII. De Secretione ſalivæ, pag.52.
Cap. IX. De Succo Pancreatico, pag.54.
Cap. X. De Bile, pag.55.
Cap. XI. De Sero ſanguinis, pag.58.
Cap. XII. De Secretione urinæ, pag.59.
Cap. XIII. De Secretione muci, pag.*60*.
Cap. XIV. De Aqua Pericardii, pag.*61*.
Cap. XV. De Spiritibus. pag.*61*.
Cap. XVI. De Facultatibus. pag.*66*.
Cap. XVII. De Partibus corporis, pag.74.
Cap. XVIII. De Partibus ſimilaribus veris, pag.82.
Cap. XIX. De Arteriis, pag.83.
Cap. XX. De Venis, pag.84.
Cap. XXI. De Nervis, & vaſis lymphaticis, pag.87.
Cap. XXIII. De Muſculis, pag.*90*.
Cap. XXIV. De Muſculis capitis, & colli, pag.*92*.
Cap. XXV. De Muſculis ſenſoriorum, pag.*92*.
Cap. XXVI. De Muſculis pectoris, abdominis, & ſcapulæ, pag.*94*.
Cap. XXVII. De Muſculis Artuum ſuperiorum, pag.*96*.
Cap. XXVIII. De Muſculis Artuum inferiorum, pag.*97*.

Cap.

Cap. XXIX. De Oſſe, pag. 98.
Cap. XXX. De Oſsibus in particulari, pag. 102.
Cap. XXXI. De Trunci oſsibus, pag. 104.
Cap. XXXII. De Oſsibus arctuum ſuperiorum, & inferiorum, pag. 105.
Cap. XXXIII. De Perioſtio, oſsium medulla cartilagine, & ligamento, pag. 108.
Cap. XXXIV. De Glandulis, pag. 110.
Cap. XXXV. De Tegumentis communibus, pag. 112.
Cap. XXXVI. De Membrana adipoſa, & pannicu-lo carnoſo, ſeu de membrana muſculoſa, pag. 115.
Cap. XXXVII. De Cavitatibus componentibus truncum, & de peritonæo, pag. 117.
Cap. XXXVIII. De Partibus in abdomine contentis, & primo de Omento, & Ventriculo, pag. 120.
Cap. XXXIX. De Inteſtinis, pag. 123.
Cap. XL. De Meſenterio, pag. 128.
Cap. XLI. De Vaſis chyliferis, Cyſterna chyli, & Ductu Thoracico, pag. 130.
Cap. XLII. De Pancreate, pag. 132.
Cap. XLIII. De Liene, pag. 134.
Cap. XLIV. De Hæpate, & veſicula fellis, pag. 136.
Cap. XLV. De Renibus, ureteribus, & renibus ſuccenturiatis, ſeu capſulis attrabiliariis, pag. 141.
Cap. XLVI. De Veſica urinaria, & urethra, pag. 144.
Cap. XLVII. De Partibus genitalibus, pag. 146.
Cap. XLVIII. De Paraſtatis, ſeu epididymidibus, & vaſis deferentibus, pag. 148.
Cap. XLIX. De Veſiculis ſeminalibus, & proſtatis, pag. 150.
Cap. L. De Pene, pag. 152.
Cap. LI. De Partibus genitalibus mulierum, pag. 156.
Cap. LII. De Teſticulis, ſeu Ovariis mulierum, pag. 159.
Cap. LIII. De Tubis Fallopianis, pag. 161.
Cap. LIV. De Fœtu, & ejus membranis, pag. 163.
Cap. LV. De Partibus obcenis, ſeu generationis externis mulierum, pag. 167.
Cap. LVI. De Partibus thoracis, pag. 171.

Cap. LVII. De Pleura, & mediaſtino, pag. 174.
Cap. LVIII. De Glandula Thymo dicta, & Pericardio, pag. 176.
Cap. LIX. De Corde, pag. 178.
Cap. LX. De Pulmone, pag. 182.
Cap. LXI. De Aſpera arteria, pag. 184.
Cap. LXII. De OEſophago, pag. 188.
Cap. LXIII. De Diaphragmate, pag. 190.
Cap. LXIV. De Supremo ventre, ſeu capite, pag. 192.
Cap. LXV. De Partibus capitis contentis, pag. 194.
Cap. LXVI. De Membrana Arachnoydea, & Pia Matre, pag. 197.
Cap. LXVII. De Cerebro propriè dicto, pag. 198.
Cap. LXVIII. De Medulla oblongata, & Glandula pituitaria, pag. 206.
Cap. LXIX. De Spinali medulla, pag. 210.
Cap. LXX. De Parte capitis non capillata, ſeu de facie, pag. 211.
Cap. LXXI. De Organo guſtus, & loquælæ. pag. 216.
Cap. LXXII. De Organo odoratus, pag. 222.
Cap. LXXIII. De Organo auditus, pag. 225.
Cap. LXXIV. De Organo tactus. pag. 230.

LIBER SECUNDUS.

DE SECUNDA PARTE MEDICINÆ, ſeu de Pathologia.

CAP. I. De Morbo. pag. 231.
Cap. II. De Morbo organico, pag. 233.
Cap. III. De Subjecto morborum, pag. 237.
Cap. IV. De differentiis morborum accidentalibus, pag. 238.
Cap. V. De cauſis morborum in genere, pag. 247.
Cap. VI. De Cauſis morborum organicorum, pag. 253.
Cap. VII. De Sympthomatibus, pag. 256.

LIBER

LIBER TERTIUS.

DE TERTIA PARTE MEDICINÆ, quæ vocatur Semejotica.

CAP. I. De Signis in genere, pag. 259.
Cap. II. De Signis ſpeciei morbi, pag. 262.
Cap. III. De Signis morbi magni, parvi, longi, & acuti, pag. 264.
Cap. IV. De Contentorum eſſentia, pag. 275.
Cap. V. De Signis Diagnoſticis, & Prognoſticis, quæ deſumuntur ex pulſu, pag. 285.
Cap. VI. De Cauſis pulſuum, pag. 301.
Cap. VII. De Signis prognoſticis ex actionibus læſis deſumptis, pag. 308.
Cap. VIII. De Signis prognoſticis ex qualitatibus corporis mutatis, pag. 327.
Cap. IX. De Criſibus, & diebus criticis, pag. 329.

LIBER QUARTUS.

DE QUARTA PARTE MEDICINÆ, quæ Hygiene, ſive Diæta vocatur.

CAP. I. De Aere, pag. 340.
Cap. II. De Cibo, pag. 342.
Cap. III. De Potu, pag. 354.
Cap. IV. De Motu, & quiete, pag. 356.
Cap. V. De Somno, & vigilia, pag. 358.
Cap. VI. De Excretis, & retentis, pag. 359.
Cap. VII. De Animi Pathematibus, pag. 360.
Cap. VIII. De Differentia diętæ reſpectu ætatum, ſexus, & temperamentorum, pag. 362.
Cap. IX. De Diæta reſpectu ſexus, pag. 365.
Cap. X. De Diæta reſpectu temperamentorum, pag. 368.
Cap. XI. De Diæta Ægrotantium, pag. 371.

LIBER QUINTUS.

DE QUINTA PARTE MEDICINÆ, ſeu de Therapeutica, aut methodo medendi.

CAP. I. De Indicationibus, pag. 376.
Cap. II. De Evacuatione humorum, & primo de Expurgatione, pag. 384.
Cap. III. De Purgantibus Cholagogis, pag. 392.
Cap. IV. De Purgantibus Melanagogis, pag. 393.
Cap. V. De Purgantibus Hydragogis, pag. 394.
Cap. VI. De Medicamentis vomitoriis, pag. 413.
Cap. VII. De Humorum præparatione, pag. 418.
Cap. VIII. De Medicamentis præparantibus, & primo de Humorum craſſorum, ſeu ſpiſſorum reſolutione, ſeu attenuatione, pag. 419.
Cap. IX. De Humorum tenuium incraſſatione, pag. 423.
Cap. X. De Medicamentis, quibus motus tam ſolidorum, quam fluidorum excedentes corriguntur, pag. 426.
Cap. XI. De Miſsione ſanguinis, pag. 430.
Cap. XII. De ſanguinis evacuatione per hirudines, & ſcarificationem, pag. 439.
Cap. XIII. De Evacuatione per fonticulos, ſeu fontanellas, pag. 441.
Cap. XIV. De Vexicantibus, pag. 443.
Cap. XV. De Medicamentis Diaphoreticis, pag. 446.
Cap. XVI. De Medicamentis Diureticis, pag. 449.
Cap. XVII. De Medicamentis Errhinis, pag. 452.
Cap. XVIII. De Medicamentis evacuationem ſalivæ promoventibus, ſeu de Appophlegmatizantibus, pag. 455.
Cap. XIX. De Evacuatione per pectus, ſive de expectoratione, pag. 463.
Cap. XX. De Medicamentis ſpecificis, pag. 467.
Cap. XXI. De Medicamentis Cephalicis, pag. 473.
Cap. XXII. De Medicamentis Ophtalmicis, pag. 475.
Cap. XXIII. De Medicamentis Cardiacis, pag. 478.

Cap.

Cap. XXIV. De Medicamentis Alexipharmacis, pag.486.
Cap. XXV. De Medicamentis Adſtringentibus, pag.483.
Cap. XXVI. De Medicamentis Emollientibus, pag.487.
Cap. XXVII. de Medicamentis Sthomachicis, pag.489.
Cap. XXVIII. De Medicamentis Hæpaticis, pag.492.
Cap. XXIX. De Medicamentis Spleneticis, pag.494.
Cap. XXX. De Medicamentis Nephriticis, pag.497.
Cap. XXXI. De Medicamentis Uterinis, pag.499.
Cap. XXXII. De Medicamentis Carminativis, ſeu flatuum expellentibus, pag.502.
Cap. XXXIII. De Medicamentis reſolventibus, pag. 504.
Cap. XXXIV. De Medicamentis repellentibus, pag.505.
Cap. XXXV. De Medicamentis Traumaticis, ſeu vulnerariis, pag.507.
Cap. XXXVI. De Medicamentis Artriticis, pag.509.
Cap. XXXVII. De Medicamentis lac augentibus, & imminuentibus, pag.511.
Cap. XXXVIII. De Medicamentis Aphrodiacis, & Antaphrodiacis, pag.513.
Cap. XXXIX. De Medicamentis Anthelminticis, pag.515.
Cap. XL. De Medicamentis abſorventibus, pag.518.
Cap. XLI. De Medicamentis aperientibus, pag.520.
Cap. XLII. de Ponderibus, ac menſuris medicamentorum, pag.522.
Doſis ſpecialis Emeticorum regni vegetabilis, pag.525.
Regni mineralis, ibid.
Doſis ſpecialis purgantium regni vegetabilis, pag.526.
Regni Mineralis, pag.527.
Cap. XLIII. De formularum compoſitione, ſeu præſcriptione, pag.533.
Cap. XLIV. De formulis medicamentorum, pag.537.
Aqua deſtillata, ibid.
Balneum, pag.554.
Bochætum, pag.537.
Balſamum, 560.
Bolus, pag.537.
Cataplaſma, pag.539.
Ceratum, pag.558.

Clyſ-

Clyſter, pag. 539.
Conditum, pag. 540.
Conſerva, ibid.
Decoctum, ibid.
Electuarium, pag. 542.
Elyxirium, pag. 543.
Emplaſtrum, ibid.
Emultio, ibid.
Epitèma, pag. 544.
Eſſentia, pag. 545.
Extractum, ibid.
Fœcula, ibid.
Frontale, pag. 559.
Gelatina, pag. 545.
Infuſum, pag. 546.
Julepus, ibid.
Mixtura, pag. 547.
Morſeli, pag. 548.
Oleum, ibid.
Oxyrrhodinum, pag. 559.
Peſſarium, pag. 548.
Suppoſitorium, pag. 549.
Pillulæ, pag. 550.
Pulvis, pag. 551.
Quinta eſſentia, pag. 552.
Spiritus, ibid.
Regulus, ibid.
Syrupus pag. 553.
Reſina, ibid.
Roob, ibid.
Tincturæ, ibid.
Trochiſci, ibid.
Unguentum, pag. 555.
Linimentum, pag. 556.
Suffitus, pag. 558.
Cap. XLV. De operationibus Pharmacæuticis, pag. 560.
Chymia, pag. 561.
Alcholizatio, ibid.

Amal-

Amalgamatio,	ibid.
Calcinatio,	ibid.
Candiſatio,	ibid.
Cæmentatio , ſeu ſtratificatio,	ibid.
Circulatio,	ibid.
Clarificatio,	ibid.
Coagulatio,	ibid.
Cohobatio,	ibid.
Colatio,	pag. 562.
Conditura,	ibid.
Confectio,	ibid.
Cribatio,	ibid.
Cryſtalliſatio,	ibid.
Decantatio,	ibid.
Deliquium,	ibid.
Dephlegmatio,	ibid.
Deſpumatio,	ibid.
Deſtillatio,	ibid.
Detonatio,	ibid.
Digeſtio,	ibid.
Edulzoratio,	ibid.
Extractio,	ibid.
Fermentatio,	pag. 563.
Filtratio,	ibid.
Fixatio,	ibid.
Lævigatio,	ibid.
Nutritio,	ibid.
Præcipitatio,	ibid.
Rectificatio,	ibid.
Reverberatio,	ibid.
Separatio,	ibid.
Sigillatio hærmetica,	ibid.
Sublimatio.	pag. 564.

PRÆFATIO OPERIS.

QUemadmodum ad Sphæræ centrum, Lector amantiſsime, multas hinc inde vides lineas currere, has rectas, illas obliquas, quaſdam flexas, & nonnullas perpendiculares: Sic ad unum, eumdemque finem, multi multas conſtruxere vias, aliis alias planiores judicantes. Nempè, ut ajebat Hieronymus: *Unuſquiſque in ſuo ſenſu abundat.* Illud tamen intereſt, quod cum multi ſecura magis, ac certa ſemper quærant, plerique tantùm ad oſtentationem, res novas comminiſcantur. Hoc cum omnibus in rebus commune eſt, tùm verò in Medicina præcipuum: Nam cum ſcopus ejus ſit ſanitas, in ejus indagine longè plures certas vias, quam in Cretæo Dædali Labyrintho. Unde fit (malum) ut quotidiè nova opinionum monſtra profligare neceſſe ſit; & (quod in pejus ruit) quo plura reſecantur, eò etiam plura renaſcantur: Id, quod mihi ſignificare videntur ſeptem illa Lerneæ belluæ capita, pro uno computato, totidem ex inferno pullulantia.

Hinc etiam fit, ut Medicinæ candidati nequeant optatam metam contingere; nam in trivio poſitis, nullus viarum index, Mercurius adeſt. Accedit, quod mens humana, utpotè lucis, ac claritatis amantiſsima, operoſas abhorret, ac tenebris vias circumfuſas. Nam quid agant, præſertim Tyrunculi, ſi in ipſo Medicinæ limine, & quaſi veſtibulo, vias cernant, anfractibus inextricabiles? Prævidit hoc conſultiſsimus ille, atque inviciſsimus Imperator Juſtinianus, qui ad immenſa illa Codicis, ac Digeſtorum volumina, facilem ſtraturus viam, quatuor ſcripſit Inſtitutionum libros, quibus optimè imbuta legum ſtudioſa inventus, ſumma alacritate in majora ſtudia poſſet incumbere. Niſi hæc omnia experientia doceremur, haud facilè perſuaſerim: Enim verò cum multos quotidiè videam, qui ad Regium Protho-Medicatum rudes admodum, & vel ipſis Medicinæ elementis pœnitùs deſtituti accedunt, magis præcibus, quam idonea aptitudine id, quod expetunt, poſtulantes; non modò perſua-

ſuaſu facilè, ſed & lachrymis dignum perſuaſerim. Ego huic malo mederi cupiens, præcipuas Medicinæ partes brevi ordine, ac methodo hoc Libro complexus ſum, non gloriæ, ſed publicæ cupidus utilitatis.

Pars ergo prima Medicinæ *Phiſiologia* eſt, ad quam ſpectat humani corporis conſtitutio: hic membrorum omnium cernimus compagines: ut caro carni, oſſa oſsibus cohæreant: quam ſi quis ignoraverit, partis etiam ſecundæ Pathologicæ pœnitùs ignarus erit. Nam qui principia non callet, ex quibus ſanitas, vel morbus oriri ſolet, etiam ipſum morbum, & effecta ejus eum ignorare neceſſe eſt. Cujus rei teſtis eſt locupletiſsimus Galenus ipſe, cujus in Scholis ab omnibus doctrina celebratur: *In iis conſiſtit ſanitas*, inquit ille, *rectè ſe habentibus, in quibus conſiſtit morbus à ſua natura recedentibus.* Nam quis, quæſo, horologium audeat componere, niſi ejus arcana priùs penetraverit, pulchram ſcilicet, axium, funium, rotarum, aliorumque organorum varietatem? Profectò nullus. Age ergo: cum multo ſit mirabilior humani corporis conſtitutio: quis tanta ex eo naſcentia Phœnomena, tot ſympthomata, ſeu morborum productiones veſtigabit, ſi egregium artificium, ex quo hæc oriuntur non calleat optimè? Jam verò quotus quiſque eſt ex iis, qui in Medicorum numerum aſciſci cupiunt, qui hæc probè teneat?

Vix reperit unum.
Millibus è multis hominum conſultus Apollo.

Ex hac incuria craſiſsima illud naſcitur ignorantiæ monſtrum, circa tertiam Medicinæ partem Semejoticam, ideſt, circa ſigna diagnoſtica, & prognoſtica ſani, aut infirmi corporis humani. Nam ſignum, aut id, quod nobis indicat, quid in humano corpore lateat, neceſſe eſt, nos latere, ſi ſecreta illa ignoramus, unde hæc ſigna proficiſcuntur: atque adeò ſtatum ægrotantis ignorabimus.

Quæ etiam ratio eſt, quare quarta Medicinæ pars prorsùs ignoretur, quæ eò demùm tendit, ut modum victus cuique corpori præſcribat, ut integrum conſervetur, ſi ſanum eſt; ſin infirmum, reſtituatur. Verùm quis illud aſſequatur, cum corporis conſtitutio ignoratur? Medicinam

nam vocabit Hipocrates *adjectionem*, & *detractionem*: vix autem poterit Medicus victum adjacere, aut detrahere illi infirmo, cujus corporis ignorat qualitates.

Cum iis, quæ hactenùs dicta ſunt, quaſi catenatur error circa ignorantiam quintæ partis, ſeu circa methodum medendi: nam ut eſt in textu, *Abyſſus abyſſum invocat.* Quippè cum pars iſta ſit, quæ per indicationes demonſtrat nobis pharmaca unicuique ſpeciei morborum; evidens eſt, hac methodo ignoratâ, etiam ignorari remedia; cognitio enim morbi eſt inventio remedii.

Et adeò certum eſt, hæc plerumque ignorari, ut auſim tibi dicere, Lector chariſsime, ne trivialem quidèm methodum medicamenta præſcribendi, ab iis calleri, qui Medicinæ exercendæ poſtulant facultatem.

Cujus infortunii conſcius Præſes noſter eruditiſsimus Doct.D. Joſephus Cervi, ac volens, hoc malum reſcindere, edixit mihi, ut quoad poſſem, univerſas Artis Medicæ notitias colligerem, quæ ſatis eſſe queant ad perfecti examinis finem aſſequendum: ut eò modo nemo, qui ad hunc finem aſpirat, cauſam aliquam ignorantiæ poſsit prætexere.

Jamque ego id onus libentiſsimè ſuſcepi, claritatem ante omnia amans, ſublimibus Rhetorum phraſibus ſuperſedens, tam in reſponſionum explicationibus, quàm in proponendis quibuſdam difficultatibus, novas etiam ſubtilitates fugiens. Illud præcipuè curavi, ut ſelectiorum Auctorum medullam tibi propinarem, omiſsis ſuperfluis rebus, quibus ſtudioſorum animi deterrentur.

Denique, Lector benevole, ex ipſius Præſidis, ac Tribunalis judicio illud te monitum volo, niſi in iis, quas tibi offero materiis probè fueris exercitatus, vel à cœpto itinere deſiſtendum, vel in aliud tempus examen tibi differendum eſſe. Quapropter enixè à te peto, ut in id ſtudium vehementèr incumbas, donec febrium appendicem in rem itidem tuam in lucem edo, ut ea ratione ſumma brevitate in Theoricis poſsis excellere. Quod ſi Divinum Numen vitam porrigat, alium etiam promitto Tomum Practicum ejuſdem methodi dialogicæ, quò ſic faciliùs ad optatum culmen pervenire valeas. VALE.

INTERRO-

JHS.

INTERROGATIONES, ET RESPONSIONES PRÆVIÆ.

Interrog. DAtur Medicina?

Reſp. Datur, & probatur ex Sacra Scriptura: *Altiſsimus creavit de terra Medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa.* Eccleſ. 38. verſ. 4.

Int. Quis eſt Auctor hujus Scientiæ?

R. Deus.

Int. Cur?

R. Quia eſt, qui percutit, & ſanat, facultatemque largitur apta remedia inveniendi.

Int. Medicina unde deſumit nomen ſuum?

R. A medendo, id eſt ægros ſanando, & ſanos conſervando.

Int. Qualis primis temporibus fuit?

R. Diætetica, & Chirurgica; poſtea creſcentibus morbis, ab obviis experientias fecerunt, in templo Apollinis tabulis ſuſpenderunt morbos, & inventa deſuper remedia tabulis quoque inſcripta: Ægyptii poſt Adamum Medicinam primo exercuerunt, apud quos Hermes Triſmegiſtus (auctor Tabulæ Smaragdinæ) Princeps fuit. Ab Ægyptiis devoluta eſt ad Græcos, quorum Princeps Apollo credebatur, cujus filius Æſculapius erat: rurſus hujus erat filius Podalyrius, à quo tria genera Medicinæ prodierunt, nempè *Rho-*

dia, *Enidia*, *&* *Coa*, ex hac venit Hippocrates, ob eam Cous dictus. Græcis à Romanis victis, etiam ad Romanos Medicina venit, quorum decus erat Galenus, ex Pergamo Aſiæ oppido natus: à Romanis poſtea in univerſum mundum fuit propagata Medicina.

Int. Cui debentur prima rudimenta Medicinæ?

R. Debentur caſui fortuito, inſtinctui naturali, & eventui non præviſo.

Int. Quot ſunt Sectæ Medicinæ?

R. Variæ, ſcilicet, *Empirica Ægyptiorum*, quæ ſola experientia contenta eſt.

Int. Expiravit ne plane hæc ſecta?

R. Quæ olim cœpit, ad hoc uſque œvum ſtetit, contagioque ſuo plures contaminavit.

Int. Cur ita?

R. Quia omnis terra ejuſmodi homines alit, quorum magna in curandis morbis eſt præſumptio.

II. *Dogmatica Hippocratis*, *& Galeni*, quæ ſolis rationibus innititur.

Int. Quid conati fuerunt Hippocrates, & Galenus?

R. Artem medicam ſub certis quibuſdam complecti præceptis thematibus in formam Syſthematis redigere.

III. *Methodica*, quæ ad ſtrictum, & laxum omnia refert.

IV. *Chymica*, quæ ex principiis Chymicis omnia deducit.

V. *Paracelſica*, quæ in Sale, Sulphure, & Mercurio fundatur.

VI. *Mixta*, ſeu *Dogmatica*, *Hermetica*, ſeu Dogmatico-Spagirica, Pyrotechniæ, ſeu Chymiæ, & Anatomiæ ſuperinſtructa, quæ ſimul experientiam cum ratione adhibet.

VII. *Dogmatica Mechanica*, quæ lucem ſuam fœneratur ex Philoſophia Renati Deſcartes, Corpuſculari Gaſendi, hodiernoque ſæculo maxime floret, & in experientiis Anatomicis, & Pyrotechnicis fundata, & illuſtrata etiam eſt.

Int.

Int. Quæ ex Medicorum ſectis præſtantiſsima habenda eſt?

R. Mixta Dogmatica Hermetica, confidens non ſoli experientiæ, ut Empyrici, nec ſoli rationi, ut rationalis, ſed rationi, & experientiæ ſimul, ut Mechanica.

Int. An diu perduravit Medicina in eodem ſtatu poſt Hippocratem?

R. Minimè: nam poſt Hippocratem in varias ſectas variis cognominibus inſignitas ſe dividebant Medici: Sic Theſſalus Theſſalicus, & ejus Aſſeclæ dicebantur Methodici: Heraclion, & qui ipſi adhærebant, Empyrici: donec tandem Galenus, qui omnes has ſectas, quam maximè invehebat, Medicinam accuratius in formam reduxit.

Int. Quam diu permanſit Galenica illa doctrina?

R. Ad tempora *Arabum*, qui in Africa Scholam extruxerunt Medicam: illi tantum interpretati fuerunt doctrinam Galenicam, & ſequentia ſæcula ſequacia habuerunt.

Int. Quomodo doctrina eorum tandem emendata fuit, & refutata?

R. Renovata fuit diſciplina Hippocratica in Academiis, experimentis Anatomicis, & Chymicis.

Int. Quomodo Medicina hoc præſenti tempore colitur?

R. A nuperis annis promovetur quamplurimum inſtructionibus mechanicis, Chymicis, Anatomicis, & Phyſicis, & hodie ab omni ſecta libera eſt.

Int. Cur difficile eſt Artem Medicam ad certum redigere ſyſthema?

R. Quia novi ſub inde oriuntur morbi, novus, atque inſolitus quandoque per aëra volitat æther; nova ex ipſo tellure emergunt concreta, inſolitis nunc veſci ſolemus alimentis, non omnia nobis ſunt perſpecta, quæ ad cognitionem requiruntur corporis humani, alimentorum, & medicamentorum.

Int. Quid eſt Medicina?

R. Eſt ars præſentem ſanitatem conſervandi, & amiſſam reſtituendi, vel, *ſcientia eorum, quorum applicatione vita, & ſanitas conſervatur*: Vel *eſt ars ſcientia integram corporis humani, ſeu ſtatuæ humanæ viventis fabricam conſervandi, labefactatam reſtituendi alimentis, remediiſque.*

Int. Quomodo eſt ars?

R. Quatenus continet Chirurgiam, & modum præparandi medicamina.

Int. Quomodo Scientia eſt?

R. Dum æquè in ea rerum per cauſas inſtituimus, ac in aliis ſcientiis.

Int. Quotuplex eſt Medicina?

R. Duplex, ſpeculativa, & practica, illa concluſiones, hæc praxim continet.

Int. Quid eſt objectum Medicinæ?

R. Eſt homo, id eſt, ejus vita, ſanitas, morbi, horum cauſæ, quibus oriuntur, media, quibus diriguntur; vel eſt ſtatua humana vivens.

Int. Qua in re conſiſtit corporis humani viventis vita, & ſanitas?

R. In elegantiſsima illa, & admirabili fabrica omnium partium corpus humanum conſtituentium.

Int. Quid eſt finis Medicinæ?

R. Finis ultimus Medicinæ eſt ſanitas præſens conſervanda, & amiſſa reſtituenda: finis autem ſubordinatus eſt mitigatio ſymptomatum.

Int. Si dantur morbi inſanabiles, v.g. Maraſmus, &c. Medicinæ finis in his curandis non erit ſanitas?

R. Dantur quidem morbi inſanabiles, attamen curabiles, in quantum curæ Medici ſubjiciuntur.

Int. Quotuplicia ſunt media, quibus hæc ars acquiritur?

R. Duplicia, obſervatio ſcilicet, & ratiocinatio.

Int. Quid eſt obſervatio?

R. Obſervatio eſt rerum omnium, quæ in homine ſano, ægroto, moriente, & mortuo fiunt, tam ab iis, quæ in eo ſunt, quam ab iis, quæ arte, caſu, &c. per externa in eo producuntur.

Int.

Int. Quid eſt ratiocinatio?

R. Ratiocinatio exacta eſt, qua ea, quæ in homine fiunt abſcondita ſenſibus, vel facienda ſunt inveſtigantur, demonſtrantur: quod ut fiat data experientia ſingulatim expenſa, comparanda ſunt inter ſe, notanda omnia, quæ ratione, & experientia clarè deduci poſſunt.

Int. Quot ſunt Medicinæ partes?

R. Quinque, videlicet, *Phyſiologia*, quæ corpus humanum ſecundum naturam conſiderat, & docet res naturales.

II. *Pathologia*, quæ id in præternaturali ſtatu conſiderat, ſeu præter, vel contra naturam res continet.

III. *Hygiene*, ſeu diæta, quæ corpus ſanum conſervare docet, & tractat res non naturales.

IV. *Semejotica*, quæ ſigna tradit ſani, ægrique corporis.

V. *Therapeutica*, quæ ægrum reſtituere docet: ſeu tradit methodum medendi; & habet, ſeu continet in ſe Chirurgiam, Pharmaciam, & Diætam.

LIBER PRIMUS.

DE PRIMA PARTE MEDICINÆ, SEU PHISIOLOGIA.

CAPUT PRIMUM.

DE ELEMENTIS.

Int. QUid eſt Phyſiologia?

R. Eſt illa Medicinæ pars, quæ corpus hominis in ſtatu naturali conſiderat, ſeu quæ tractat res naturales.

Int. Quæ dicuntur res naturales?

R. Illæ, quæ hominem, ſeu corpus humanum conſtituunt.

Int. Quot ſunt res naturales?

R. Septem, *Elementa, Temperamenta, Humores, Spiritus, Partes, Facultates, & Actiones.* Aliqui dicunt, tantum eſſe tres, nempè, ſanitatem, cauſam ſanitatis, & accidentia ſanitatis: ſicut etiam tres tantum ſunt res præter, ſeu contra naturam, morbus, cauſa morbi, & ſymptoma.

Int. Quæ differentia intercedit inter Phyſicam, & Phiſiologiam medicam?

R. In eo differunt, quod Phyſica pro objecto habet potiſsimum corpora, atque Phenomena in Macrocoſmo univerſo occurrentia, ſive cæleſtia, ſive terreſtria fuerint, eorumque ſtructuram, aut motum, & quantum fieri poteſt, mixturam Elementorum inquirit, ut varias illorum habitudines ad varios motus inde deducenda

ducat. Medicus vero è contrario, quia Medicus cum ſolo homine vivo commercium habet, cujus conſervationem in ſanitate, præſervationem à morbis, reſtitutionem ad ſanitatem intendit, ac curat, adeòque utitur Phyſiologia ad inveſtigationem naturæ, illius objecti, quod nullum aliud eſt, quàm homo.

Int. Cur in Phyſiologia pertractandum venit de Elementis, quorum doctrina pertinet ad Phyſicam?

R. Quia cum reverà partes corporis humani ſint corpora mixta, lectoris animus præparandus eſt, ut quæ dicenda ſunt, intelligat clarius, & facilius.

Int. Quid eſt corpus humanum?

R. Eſt Machina hydraulico-pneumatica, ſeu fabrica humoroſa, & ſpirituoſa ex organis variis, velut tot inſtrumentis artificiosè conflata, & in primis ſpiritu immortali inſtructa, ut ſit viva ter optimi maximi imago.

Int. Quid ſunt Elementa?

R. Sunt corpora ſimpliciſsima, quæ reliqua omnia corpora mixta componunt, & in quæ poſtremo, ſive reſolvuntur, ſive reſolvi poſſunt eadem corpora mixta.

Int. Cur Elementa dicuntur corpora?

R. Quoniam partes ſunt mixtorum completæ ſubſtantiales, reverà exiſtentes in rerum natura, extenſionem habentes.

Int. Cur dicuntur ſimplicia?

R. Quia non conſtant ex aliis corporibus ſimplicioribus completis genere diverſis, ſed ſolummodo ex materia, & forma, quę minimè ſunt corpora completa, verum tantummodò ſunt principia corporum completorum, rerum videlicet naturalium incompleta.

Int. In quo differunt Elementa à principiis Phyſicis, ſeu à materia, & forma?

R. In eo, quod Elementa ex aliis ſe prioribus fiunt, & ex ſe invicem oriuntur. Principia Phyſica neque ex aliis, neque ex ſe invicem fiunt, ſed ex illis omnia, quæ naturaliter fiunt, producuntur. Principia quidem Phyſica purè ſunt principia: Elementa vero ſunt principia principiata.

Int. Quot ſunt Elementa?

R. Juxta Hipp. *lib. de Nat. Hum.* unicum tantum extitiſſe Elementum in rerum natura. Penes Ariſtot. vero, *lib.*3. *de Cæl.* quatuor ſunt, ſcilicet, *Ignis*, *Aer*, *Aqua*, & *Terra.* Cum Ariſtotele conſenſere Galenici univerſi, ac propterea præfatis Elementis adſcribere conſueverunt, non ſecus, ac idem Ariſtoteles, eaſdem qualitates peculiares. Quo circa *Terram* docent frigidam eſſe, & ſiccam: *Aquam* frigidam, & humidam: *Aerem* calidum, & humidum: *Ignem* calidum, & ſiccum.

Int. Quomodo vocantur hæ qualitates?

R. Dicuntur primæ.

Int. Cur vocantur primæ?

R. Quia conſtat, primo Elementis ineſſe, atque ab iis alias ex oriri qualitates, quæ, idcircò ſecundariæ appellantur. Quamobrem *gravitas*, v. g. in *terra*, & *levitas* in aëre, & reliquæ, quæ ſunt qualitates ſecundariæ proveniunt à qualitatibus primis, videlicet à frigiditate *terræ*, & à calore *aeris*: Ex primis vero, & ſecundis variè mixtis tertiæ deducuntur, ut color, odor, &c. Adducuntur tandem occultæ, quæ ab ipſa forma mixti oriri putantur.

Int. Ex qualitatibus primis, quæ vocantur activæ, & quæ paſsivæ?

R. Activæ ſunt, quę præ cæteris, & ad mutuam Elementorum alterationem, & ad mixtorum conſtitutionem validius agere ſolent, ut calor, & frigiditas: paſſivæ, quæ minus, v. g. humiditas, & ſiccitas.

Int. Quæ Elementa dicuntur ſymbola?

R. Ea, quæ conveniunt in una qualitate prima, v. g. Ignis, & Aer, Aqua, & Terra.

Int. Quæ vocantur aſſymbola?

R. Quæ in nulla prima qualitate conveniunt, v. g. Ignis, & Aqua, Terra, & Aer.

Int. Quid eſt frigiditas?

R. Juxta AA. *Eſt qualitas prima activa, quæ congregat homogenea, ſimul, atque ætherogenea.* Idcircò in gla-

glacie congregata promiſcue obſervamus aquam, paleas, lignum, lapides, &c.

Int. Quid eſt calor?

R. Juxta AA. *Eſt qualitas prima activa, quæ congregat homogenea, & diſgregat ætherogenea.*

Int. Quid eſt humiditas?

R. Juxta AA. *Eſt qualitas prima paſsiva faciens, ut ſuis terminis ſubjectum difficilè, alienis facilè ſiſtatur.*

Int. Quid eſt ſiccitas?

R. Juxta AA. *Eſt qualitas prima paſsiva faciens, ut facilè ſubjectum ſuis ſiſtatur terminis, difficilè tamen, ut alienis aptetur.*

Int. Quot ſunt qualitates ſecundæ?

R. Quatuordecim ſolent enumerari: Raritatem, & Denſitatem: Gravitatem, & Levitatem: Duritiem, & Mollitiem: Subtilitatem, & Craſsitiem: Ariditatem, & Lubricitatem: Aſperitatem, & Glabritiem.

Int. Quid Gaſſendus docuit de principiis rerum naturalium?

R. Exiſtimavit cum *Anaxagora*, *Democrito*, *Epicuro*, & *Lucrecio* fuiſſe Elementa rerum naturalium prætérquam numerum *atomorum* infinitum, quæ ad eorum mentem concurſu quodam mutuo corpora mixta univerſa, ſive ſenſilia, ſive inſenſilia exiſtentia componuntur.

Int. Quid hi vocarunt *atomos*?

R. Indiſcriminatim minima quædam ſolida individua variè figurata, quæ idcircò, ob tenuitatem, quam habent maximam, ſenſus omninò fugiunt ſimplicisſima tamen, & completa.

Int. Cur vocarunt atomos ſimplicisſima?

R. Quia in eorum ſententia, aliis non componuntur partibus diviſibilibus, utpotè individua.

Int. Cur dixerunt completa?

R. Quia reverà corpora ſunt figurata, atque exiſtentia, ſenſus quamvis noſtros minimè attingere valeant. Hinc fit, ut non negent Atomiſtæ veram Ariſto-

totelis Elementorum exiſtentiam, *Terræ* nimirum, *Aquæ*, *Aeris*, atque *Ignis*. Quemadmodum neque negant exiſtentiam *Spiritus*, *Sulphuris*, *Salis*, *&c.* quæ ſunt Elementa Chymica. Opinantur autem ea nequaquam eſſe corpora adeò ſimplicia, ut aliis non componantur corporibus ſimplicioribus, atomis nempè. Hinc atomos potius, quam ea, dicendas eſſe concludunt vera Elementa rerum naturalium, quæ orbem univerſum compingunt.

Int. Quid Carteſius adducit de Elementis rerum naturalium?

R. Carteſius veluti per ſimplicem hypotheſim ſupponit, materiam quamdam univerſalem, ſive ſubſtantiam quamdam longè, latèque extenſam, ubique homogeneam, ſibique ſimilem, quæ tamen, ob motum ei inditum in creatione mundi ab *Oppifice ter Optimo Maximo*, qui eam ex nihilo excitavit, indeſinenter moveatur, & dividatur, ſive potiùs infringatur in particulas varias ætherogeneas, id eſt, variè figuratas, inſenſiles tamen, quę poſtmodum hinc inde, modo variè congregatæ, modo variè diſtractæ, varias compingunt molleculas majores, ac per molleculas alia compingunt corpora mixta, tum ſenſilia, tum inſenſilia; quæ quidem ope generationis, & corruptionis, in rerum natura conſurgunt vicisſim, deſtruunturque. Id Carteſius tradit in ſuo ſyſthemate phyſico, tamquam meram hypotheſim, quæ ſacris textibus non planè cohærere videtur, à quibus enim conſtat quod in principio: *Creavit Deus Cælum, & Terram, &c.*

Int. Quid eſt in ſenſu Carteſiano materia primi Elementi?

R. Carteſius varias particulas variè figuratas eduxit, ex hac materia univerſali ſimplicisſima, prorſus homogenea, variè tamen per motum diviſa, diſtinguere conſuevit in tres claſſes præcipuas diverſi generis, quas Elementorum nomine inſignivit. Prima claſſis earum eſt, quæ ob tenuitatem maximam, necnon, & ob motum concitatisſimum, materiam quamdam

conſ-

conſtituunt tenuiſsimam, inſenſilem, maximè mobilem, quæ ubique fluit, refluit, atque effunditur per minimos meatus univerſos, per univerſos intercapedines, perque univerſa interſtitia, quę in reliquis pervia offendit molleculis craſsioribus. Materiam hanc appellavit Carteſius *Primi Elementi.*

Int. Quid eſt materia ſecundi Elementi in ſenſu hujus auctoris?

R. Eſt altera claſsis particularum, quæ craſsiores ſunt, rotundæ tamen, ac Sphericæ ob diuturnam angulorum attritionem, eo quod alias offendentes in motu ſeſe infringant, atque alterantur in ſuperficie. Particulæ præfatæ in ſpherulas minimas ita redactæ, materiam quamdam conſtituunt in rerum natura craſſiorem, magiſque reſiſtentem, atque adeò multò minus concitatam, ſive exagitatam, longe validiorem, quam materia primi elementi, quæ concitatiſsima eſt. Hæc altera materia á Carteſio dicitur *Secundi Elementi.*

Int. Quid eſt Æther in ſenſu Carteſiano, ſive materia ætherea, ſeu materia ſubtilis?

R. Juxta Carteſium materia ſecundi generis, id præ cæteris adnotandum venit, cum longè, lateque per orbem univerſum effundatur, globuliſque congregetur minimis rotundis, fieri haud potuiſſe, ut globuli componentes ad amuſsim, ita ſeſe contingant, ut varias inter ſe non relinquant ubique intercapedines, quas cum vacuæ eſſe nequeant, ſubeat neceſſe eſt materia primi Elementi longè tenuior.

Materia idcircò ſecundi Elementi ſubſiſtere nequaquam poſſet ſola in rerum natura, videlicet ſine interventu materiæ primi Elementi, quæ globulos ſecundi Elementi undequaque circumdat, iſque per univerſam penès peripheriam circumfunditur. Hinc in orbe univerſo, ad mentem Carteſii, conſurgit aggregatum quoddam materiæ primi, ſecundique Elementi, quod longè minus movetur, ſive exagitatur, hoc eſt, longè minus eſt concitatum, quam ſola materia primi

Ele-

Elementi : Longè tamen magis, quam ſi materia ſecundi Elementi ſola in rerum natura exiſtere potuiſſet.

Aggregatum iſtud materiæ primi, ſecundique Elementi, quaquaverſum per orbem effuſſum eſt id, quod Carteſius appellat *Ætherem*, *materiam æthercam*, *materiam ſubtilem*, quæ meatus univerſos, univerſas intercapedines, atque omnia interſtitia mixtorum variè ingreditur, prout diverſa eſt eorum forma, & conſtitutio, eorumque denſitas, & raritas.

Tertia tandem claſsis eſt reliquarum molleculარum, quæ utpotè craſsiores, atque inæquales, rudes, ac indigeſtæ, figuras habent varias, valdè diſsimiles, quæ motui propterea longè magis reſiſtunt, quæ videlicet difficilius moventur, atque exagitantur, quæ idcircò ex facili mutuo ſeſe comprehendunt, uniuntur, & motum plane amittentes in molles majores concreſcunt.

Hæc appellatur ab eodem Carteſio *Materia tertii Elementi*. Hæc quidem eſt illa, quæ in hypotheſi Carteſiana mixta compingit in rerum natura longè craſsiora, tum ſenſilia, tum inſenſilia, *Terram* videlicet, *Aquam*, *Aerem*, vel *Ignem*, & reliqua omnia, quæ iis componuntur, mixta craſsiora, necnon etiam *Spiritus*, *ſalia omnia*, *Sulphur*, *Phlegma*, *& caput mortuum* Chymicorum, & quidquid iis denique, ex eorum ſententia in orbe conflatur.

Corpora mixta quum variis congregentur particulis diverſi generis, neceſſe eſt, ut ſpiraculis ſaltem minimis, ubique pervia ſint, varii quoque generis, hoc eſt, variè configuratis, quæ repleri debent materia ſubtili, ſive æthere ; quia, uti monuimus, ingreditur motu quodam perniciſsimo, quem ſuſcipit ab impulſu vorticis univerſalis.

Materia præfata ſubtilis, quæ ingreditur corpora mixta, ſi vel adeò ſit craſſa, vel ſi non in tanta ſit quantitate, ut agitare queat in mixtis molleculas componentes, mixta, quæ componuntur, erunt hoc in caſu corpora ſolida, eoque ſolidiora, ac dura magis, quo particulæ præfatæ componentes ab Æthere intimè

mè minus exagitantur. Contra autem, ſi vel ob tenuitatem, vel ob copiam majorem, eas Æther commoveat, atque exagitet, erunt fluida, eoque fluidiora, quo magis exagitantur.

In quo tamen id potiſsimum adnotare juvat, ſi à meatibus præfatis inſenſibilibus, vel ob nimias anguſtias, vel alia de cauſa excludatur à materia primi Elementi materia ſecundi Elementi, tum molleculas componentes mixta naturalia tantam in motu adquiri celeritatem à materia concitatiſsima primi Elementi, quæ ſola eo in caſu, & ſui juris facta in ſpiraculis movetur, ut vel flammam, vel ignem, vel fervorem, vel fermentationem concipiat.

Ex quibus patet à Democrito non alia de cauſa diſſentire Carteſium, quod attinet ad Elementa mixtorum, niſi quod Democritus particulas minimas Elementorum componentes effingit individuas, & Carteſius eas oſtendit, dividi poſſe indefinite.

Multò minus diſcrepare videtur à Peripateticis, cum materia primi Elementi non ſit reverà niſi quàm ignis, ille per quàm tenuis defæcatiſsimus elementaris, qui proculdubiò appellari quoque poteſt materia primi Elementi. Materia ſecundi Elementi convenit cum aqua elementari. Materia Ætherea, ſive materia ſubtilis, ſive Æther Carteſianus convenit cum Aere elementari. Materia tertii Elementi, eo quod craſſior longè ſit, quàm reliqua elementa, atque motui longè minus idonea, ob varias, ac valdè diſsimiles particularum figuras adamuſsim convenire poteſt cum terra elementari, modo tamen *Ignis*, *Aer*, *Aqua*, *&* *Terra* in ſenſu uſurpentur Scholaſtico, id eſt, dummodo uſurpentur tamquam corpora elementaria, ſimpliciſsima, & puriſsima, quibus reliqua omnia mixta componuntur, & in quæ ſive reſolvuntur poſtremo, ſive reſolvi poſſunt.

Int. Nihilominus falſa quamvis omninò ſit hypotheſi Carteſiana, admittenda eſt in rerum natura aliqua materia tenuiſsima inſenſilis ætherogenea, quæ Æther appellari poſsit?

R. Neceſſario admittenda venit talis materia, quæ per orbem hinc inde moveatur motu quodam perniciſsimo; quo prout modo tenuior ſit materia præfata, modo craſsior, modo magis, modo minus copioſa, varios inducat motus, variaſque progignat in mixtis viciſsitudines, generationes, & corruptiones mixtorum naturalium, quæ quidem omnes proveniunt à motu mollecularum componentium: hæc tamen cum corporeæ ſint, moveri nequeunt, non niſi concitatæ ab aliis corporibus, quæ eas proximè impellunt. At cum corpora iſta, quæ proximè agunt in molleculis, eaſque impellunt, ſenſus fugiant omninò, inferendum neceſſe eſt, inſenſilia eſſe; atque adeò ex iis materiam quamdam confici mobilem, concitatiſsimam, adeò tamen extenuatam, atque ſubtilem, ut ſenſus organa proximè afficere nequaquam valeat.

Int. Unde hæc materia ætherea ſuſcipit motum ſuum validiſsimum?

R. A motu celerrimo vorticoſo, quo circumducitur in vortice eo maximo, quo Sol quotidie in gyrum movetur per vorticis Eclypticam, ab ortu in occaſum, atque ab occaſu in ortum circum circa globum terraqueum.

Int. Quid docuerunt Chymici de Elementis corporum naturalium?

R. Quinque eſſe tradunt Elementa plerique, non alia de cauſa, niſi quod per analyſim Chymicam ex mixtis ferè univerſis naturalibus, ſubſtantias quinque omninò diverſas educere ſolent, quibus idcircò nomina quoque imponunt diverſa, ſcilicet, *Spiritum, oleum*, ſive *Sulphur, Sal, Aquam, & Terram.*

Int. Quid notandum circa hæc Chymicorum principia?

R. 1. Notandum venit, quod ut ex his particulis invicem combinatis corpora exurgant, requiritur certa, & determinata harum particularum *magnitudo, figura*, certus ad ſe invicem *ordo*, ac *ſitus*, & *motus*, quo variè contexuntur, uniuntur, & exinde neceſſario di-

verſa emergunt corpora, & hinc diverſæ iſtorum affectiones, ſeu proprietates, ſicque ex horum minimorum *Syncriſi* (id eſt commixtione, ſeu unione) *Metacriſi* (metaſtaſi, ſeu translatione) corpora ſub *generatione* componuntur, ſub *alteratione* immutantur, & ſub corruptione deſtruuntur.

2. Hæ particulæ, ſeu Elementa Chymicorum maximum habent uſum in Medicina, nam ab earum certa textura dependent omnium Medicorum qualitates, temperamenta, ſanitas, morbus, Medicamentorum, & alimentorum vis.

Int. Quænam ex his particulis, ſeu elementis ſunt maximè activæ?

R. Primatum obtinent, tam in ſtatu ſano, quam morboſo, & medicamentis, particulæ *Salinæ*, & *Sulphureæ.*

Int. Quid ergo ſunt ſalia?

R. Sunt ſubſtantiæ plus minus compactæ, rigidę, vel poroſæ aculeis pungentibus, necnon aliquando à latere incindentibus donatæ, & ſapidę in liquoribus aqueis facilè ſolubiles.

Int. Quotuplicia ſunt ſalia?

R. Duplicia, Acida, & Alcalia; Acida ſunt magis rigida, aculeata inſtar gladii: Alcalia ſunt quidem etiam rigida, ſed tamen magis poroſa, & plus minus quoque aculeata.

Int. Quid notandum circa hæc ſalia?

R. Venit notandum, quod utraque ſunt vel manifeſta, v. g. Alcali in ſale *Tartari*, Acidum in *Aceto*: vel occulta, v. g. Alcali in *Oculis Cancrorum*, & Acidum in *Sacharo*, *Melle*, *&c.* Vel volatilia, v. g. Acidum in ſpiritu *vini*, Alcali in ſpiritu *Cornu Cervi*: vel fixa, quæ ſæpè nec igni cedunt, v.g. Acidum in *auro*, Alcali in cineribus elixivialibus, v.g. Sal *Abſynthii.*

Int. Acidum, & Alcali ſunt ne ſibi contraria?

R. Omninò, quia ſunt omnium fermentationum, effervеſcentiarum principium, adeòque contrariſsima.

Int. Quid exſurgit ex combinatione ſalis Acidi, & Alcali?

R. Novum compoſitum, naturæ mediæ exiſtens, quod ſal neutrum, ſeu enixum vocatur.

Int. Quæ eſt vis, & virtus ſalium alcalinorum?

R. Habent vim reſolutivam, ſuccos figunt, præcipitant, abſorbent, edulzorant, modificant, fermentationes tollunt, uno verbo, ſunt acidorum Antidotum.

Int. Quę eſt vis, & virtus ſalium acidorum?

R. Viſciditatem incindunt, partes tenues, volatiles, bilioſas, ſeu ſulphureas coagulant, & figunt, ſæpè etiam vim corroſivam exerunt.

Int. Quid ex horum combinatione oritur?

R. Variæ ſanguinis temperies, & intemperies.

Int. Quid hac de re Hippocrates dicit?

R. Dicit, *ſanguini noſtro ineſſe, acidum, amarum, ſalſum, & ſexcenta alia, &c.*

Int. Quid ergo præſtant particulæ *Sulphureæ, Terreæ, & Aqueæ?*

R. Sulphureæ conſtant ex acido, & terra pingui; unde ſi *Acidum* temperatur unctuoſo, multa bona ciet: ſi vero *acidum* excedat cum unctuoſo, multa mala infert, nam excedit, corroditque. Particulæ terreæ vim habent exſiccandi, indurandi, corpora reddunt *rigida, hyſpida, & durabilia.* Particulæ aqueæ faciunt, corpora molleſcere, fluere, & ad putrilaginem (exceſſu) diſponere.

Int. Oriuntur ex his quinque particulis, ſeu elementis commixtis aliquæ qualitates?

R. Omninò oriri qualitates ex certa harum particularum quinque textura, ſeu commixtione.

Int. Quid eſt qualitas ſecundum Medicos Dogmatico-Mechanicos?

R. Eſt certa particularum diſpoſitio, & contextum conſiſtens in earum certo motu, figura, ſitu, ordine, magnitudine, &c.

Int. Qualitates juxta horum ſententiam ſunt res diverſæ à corpore mechanico?

R. Non, nam aſſerunt, qualitates ſic definitas, ſeu

ex

ex his affectionibus mechanicis ortas, à corpore in ſtatu purè naturali, & phyſico non eſſe realiter ſeparatas. Qualitas ergo juxta illos eſt ipſius materiæ talis, vel talis modificatio, ſeu modus percipiendi, & quaſi inſenſibiles motus, occaſione ſpirituum excitati, ac relatione tantum ad noſtrum corpus varium ſortiri nomen: nam non dicunt, quod tantum in objecto ſint, ſed ſimul quid in mente fiat, dum conceptus etiam diverſos (prout ſenſoria noſtra tali, vel tali modo afficiunt) in noſtra mente formant; exemplo aciculæ res fit clara: Acicula, quæ titillationem, pruritum, & dolorem ſolo ſuo motu (quo qualitates ferè agere videntur) ſuique acuminis figura generat, nervorum fibras dumtaxat movendo, hinc ſpiritus irritando, licet acicula in ſe, nec dolorem, nec titillationem contineat. Juxta vero hunc philoſophandi modum, qualitates tum manifeſtas, tum occultas vix aliunde, meliuſque ad captum, quam ex mechanicis affectionibus oriri, aut intelligi poſſe.

Affectiones enim mechanicæ ſunt omnium primæ, & prope infinitæ ſpecies deduci poſſunt, v. g. figurarum infinitæ ſunt differentiæ, ita quoque magnitudo, ſitus, texturæ ſunt innumerabiles, ſic pariter ſpecies motus ſunt variæ: verbo, principia, ſeu mechanicæ affectiones ſunt tamquam Alphabeti litteræ. Elementa autem peripathetica, & Chymica ſunt tantum velut ipſæ dictiones.

Int. Quotuplex eſt calor?

R. Duplex, actualis, ſcilicet, & potentialis.

Int. Quid eſt calor actualis juxta doctrinam *Dogmatico-Mechanicam*?

R. Eſt motus validus, celer, & confuſus inſenſibilium particularum corporis.

Int. Quid eſt calor potentialis?

R. Eſt talis particularum in corpore aliquo diſpoſitio, ut ad motum corpori noſtro tales adquirat, vel faciat poros, ut æther, vel materia ſubtilis vehementius in illis ſe moveat, & calorem excitet; ut calor in

pipere: unde calefaciunt nos ea, quæ particulis noſtri corporis motum celerem, & confuſum inferunt.

Int. Quid eſt frigiditas actualis?

R. Eſt privatio motus validi, celeris, & confuſi particularum corporis.

Int. Quid eſt frigiditas potentialis?

R. Eſt talis particularum in corpore aliquo diſpoſitio, ut ad motum corpori tales adquirat, vel faciat poros, ut æther, ſeu materia ſubtilis in illis debiliter ſe moveat: Unde frigefaciunt nos ea, quæ in particulis noſtri corporis motum cælerem, & confuſum poſſunt reſiſtere, diminuere, vel in rectiorem mutare.

Int. In quo conſiſtit humiditas?

R. In motu partium corporis liquidi, quæ ſatis magnæ ſunt, ut corporibus duris poſsint adhærére; & ſic dumtaxat eſt ſpecies liquiditatis, hinc humidi appellantur, quando ſanguinis abundantiores particulæ aquoſæ partibus ſolidis adhæreſcunt.

Int. In quo conſiſtit ſiccitas?

R. In hoc, quod talia corpora, nihil habeant humoris admixti; hinc ſicci nominantur, quando partes aquoſæ durioribus noſtris partibus non adhæreſcunt.

Int. Quid habes de uno Elemento Helmontij, Aqua videlicet?

R. Elementi nomen non meretur.

Int. Non enim gloriatur, ſe omnia corpora liquore ſuo Alkaheſt in aquam reſolvere poſſe?

R. Poſito, aquam eſſe, quæ vegetabilibus ſuadet incrementa, vix tamen credendum, eam eſſe corpus ſimplicisſimum, Elementi nomine dignum.

Int. Quid inde?

R. Cum ipſa experientia nos in pluribus deſerat, hanc etiam doctrinam nemo hactenus vindicare potuit à labe incertitudinis, & inſufficientiæ.

Int. Quæ, & quot ſunt proprietates qualitatis?

R. Tres, 1. habere contrarium, v. g. calor, & frigus: 2. eſſe intenſibilem, & remiſsibilem: 3. eſſe ſimilem, & diſsimilem.

Int.

Int. Unde oriuntur qualitates?

R. Nonnullæ oriuntur ab Elementis, nonnullæ à Chymicis principiis, & nonnullæ à mechanicis affectionibus: ſic calor oritur ab igne, ſiccitas à terra, ſapor à ſale, odor à ſulphure, magnetiſmus à certa partium configuratione.

Int. Quid ſentiendum eſt de qualitatibus ſecundis, & tertiis?

R. Quod ſunt diverſi materiæ modi.

Int. Quid ſentiendum de occultis qualitatibus?

R. Dicendum eſt, eas non à forma ſubſtantiali, ſed ab Elementis mixtum componentibus variè, hinc merè mixtis, & ſic variè etiam merè agentibus reſultare: unde ex motu particularum, ſitu, ordine, connexione, & aliis affectionibus mechanicis eſſe petendas, ut patet in mechanicorum viribus, conſequenterque ſi non ſemper à priori, ſaltem à poſteriori, manifeſtè deducibiles ſunt.

Int. Quid eſt *mixtum* ſecundum AA.?

R. Eſt principium contrarietatis.

Int. Quotuplex eſt mixtum?

R. Duplex, perfectum, & imperfectum.

Int. Quid eſt mixtum perfectum?

R. Quod conſtat ex quatuor Elementis cum ſuis quatuor qualitatibus.

Int. Quid eſt mixtum imperfectum?

R. Quod eſt factum ex duobus, vel tribus Elementis tantum, vel quod fit ex aliis corporibus mixtis, v.g. ex variis ſeminibus, quæ denuò ſecerni poſſunt, & hæc vocatur *appoſitio*: non ſecus, ac aquæ, vinique permixtio nuncupatur *confuſio*.

Int. Quid eſt Elementorum *mixtio*?

R. Juxta Peripateticos cum Ariſtotele 1. de Gener. cap. 10. *eſt miſcibilium alteratorum unio*.

Int. In quo differt generatio à vera mixtione?

R. Differunt tantum ſecundum magis, & minus, nempè gradibus, remanente Elementorum forma valdè alterata in mixtione, in generatione vero corrup-

ta, ut nova adveniat. Hinc vulgatum illud penès Phyſicos: *Corruptio unius, eſt generatio alterius.*

Int. Quæ requiruntur conditiones ad mixtionem perfectam?

R. Quatuor, 1. ut miſcibilia contrarias habeant qualitates, ſeu proprietates, ſeu affectiones: 2. tam in quantitate, quam in qualitate ſint ſibi invicem proportionata: 3. quod in minimas dividantur particulas, nam quælibet mixti particula omnia quatuor Elementa debet in ſe continère: 4. quod in mixto formaliter exiſtant.

Int. Quomodò miſcentur Elementa?

R. Per amicitiam, per neceſsitatem, & per amicitiam, & neceſsitatem.

Int. Quid eſt mixtio penès Chymicos, qui nullam in Elementis admittunt veram alterationem?

R. Eſt unio naturalis, ſalis, ſulphuris, Aquæ, ac Terræ.

Int. Cur hanc unionem dicunt naturalem?

R. Ut ab appoſitione, & confuſione, diſtinguatur mixtio, & ab iis, quas appellant mixtiones artificiales, accidentales, extrinſecas, &c.

Int. Ergo *Sal*, *Sulphur*, *Aqua*, & *Terra*, ſunt partes mixti?

R. Quod ſic.

Int. Quid eſt pars in ordine ad mixtum ſpectata?

R. Eſt corpus, quod totius, cujus pars dicitur, naturalem conſtitutionem ingreditur.

Int. Quot ſunt partes mixti?

R. Diverſæ ſunt partes mixti, nam aliæ ſunt *primigeniæ*, aliæ *eſſentiales*, & aliæ *integrantes*. Primigeniæ juxta AA. ſunt *Aqua*, *Ignis*, *Aer*, & *Terra*. Secundum *Carteſium*, *materia ſubtilis*, *globoſa*, & *ramentoſa*: & juxta *Gaſſendum Atomi*: Eſſentiales ſunt quatuor illa proxima mixti principia ſuperius aſsignata, *ſcilicet ſal*, *ſulphur*, *Aqua*, & *Terra*, ita ut illud ſine illis nec eſſe, nec concipi poſsit. Partes integrantes mixti corpora plura vocantur, quæ invicem combinata in unicum mixtum abeunt, idque integrant, quin tamen eſſen-

eſſentiam illius conſtituant: hujus generis ſunt, v. g. *digiti manus, pedes, brachia* reſpectu corporis humani: guttulæ plures ſanguinis, aut vini reſpectu totius molis, quam componunt.

Int. Quotuplex eſt mixtum reſpectu ſui ipſius?

R. Triplex, *durum, molle, & liquidum.*

Int. Quid eſt mixtum durum?

R. Eſt corpus partibus diverſi generis quieſcentibus conſtans, ſimul unitis.

Int. Quid eſt mixtum molle?

R. Eſt corpus è partibus diverſi generis partim quieſcentibus, partim agitatis, ſimulque unitis conflatum.

Int. Quid eſt mixtum liquidum?

R. Eſt corpus ex partibus diverſi generis indeſinenter agitatis, ſimulque unitis compoſitum.

Int. Quænam eſt cauſa efficiens *duritiei, mollitiei, & liquiditatis* mixtorum?

R. Eſt materia primi, & ſecundi Elementi; nam ſi proxima mixti principia, ſcilicet terra, ſal, ſulphur, & aqua ſibi invicem accreſcentia adeò firmiter connectantur, ut materia primi, ſecundique Elementi, ipſis movendis impartit; alia juxta alia quieſcunt, adeòque molleculas duras, ſeu mixta dura parva efformant. Parva autem hujuſmodi mixta dura, ubi plura ſimul ita combinantur, ut materia primi, ſecundique Elementi poros, quos intra ſemetipſa relinquunt, permeans, ipſis agitandis non ſufficiat, mixtum magnum durum conſtituunt.

Ubi mixti proxima Elementa ſibi invicem accreſcentia, ita connectuntur, ut in ſtructuram interiorem totius, quod primo componunt, eam ſolummodò primi, & ſecundi Elementi materiæ copiam intromittant, quæ aliqua Elementa movere queat, alia quieſcunt, aut velut quieſcunt, & alia continuo agitantur, atque adeò proxima principia in molleculas molles, ſeu in mixta mollia exigua deſinunt. Exigua vero ejuſmodi mixta mollia, dum plura ita ſimul uniuntur, ut materia primi, & ſecundi Elementi poros, quos intra ſe-

metipſa relinquunt, ſubiens ipſis partim ſolummodò agitandis ſufficiat in mixtum molle magnum abeunt.

Dum proxima mixti principia ſibi invicem accreſcentia ita connectuntur, ut intra texturam interiorem totius, quod primo efformant, eam materiæ primi, ſecundique elementi copiam admittant, quæ ipſis movendis par ſit, alia juxta alia continuo agitantur, adeòque molleculas liquidas, ſeu mixta liquida parva conſtituunt. Parva autem hujuſmodi mixta liquida, ubi plura ſimul ita combinantur, ut materia primi ſecundique Elementi poros, quos intra ſemetipſa relinquunt, permeans, ipſis perpetuo agitandis ſufficiat, in mixtum liquidum magnum deſinunt. Ex dictis clarè infertur, materiam primi, & ſecundi Elementi eſſe efficientem cauſam duritiei, mollitiei, & liquiditatis mixtorum.

Int. Quotuplex eſt mixtum reſpectu ſenſus tactus?

R. Multiplex, nempè: *durum, molle, liquidum, læve, aſperum, calidum, frigidum, ſiccum, humidum, &c.* quia tactus organo uti convenit applicatum, vel duritiei, vel mollitiei, vel liquiditatis, vel lævitatis, vel aſperitatis, vel caloris, vel frigiditatis, vel ſiccitatis, vel humiditatis ſenſationem excitat.

Int. Quid eſt ſenſatio duritiei in ordine ad mixtum ſpectata?

R. Eſt peculiaris ipſiuſmet mixti diſpoſitio, qua illud aptum redditur ad tactus organum ita afficiendum, ut inductam ipſi affectionem, hæc immediaté ſequatur animæ perceptio, quæ durities vulgo nominatur, ſi nullum ipſimet tactus organo, vel cerebro impedimentum inſit.

Int. Quid eſt ſenſatio duritiei in ordine ad organum tactus ſpectata?

R. Eſt peculiaris ipſiuſmet organi tactus motio à partibus corporis duri producta, cujus ope hæc in anima excitatur perceptio, quæ durities appellatur.

Int. Quid eſt ſenſatio mollitiei in ordine ad mixtum ipſum conſiderata?

R. Eſt peculiaris ipſiuſmet mixti diſpoſitio, qua illud aptum redditur ad tactus organum ita afficiendum, ut inductam ipſi affectionem, hæc immediatè ſequatur animæ perceptio, quæ mollities nuncupatur.

Int. Quid eſt talis diſpoſitio?

R. Eſt partium aliquarum integrantium mixti quies, aliarumque agitatio.

Int. Quid eſt ſenſatio mollitiei in ordine ad organum tactus conſiderata?

R. Eſt peculiaris ipſiuſmet organi tactus motio à partibus corporis mollis producta, cujus ope hæc in anima perceptio excitatur, quæ mollities dicitur.

Int. Quid eſt ſenſatio liquiditatis in ordine ad mixtum conſiderata?

R. Eſt peculiaris ipſiuſmet mixti diſpoſitio, qua illud aptum redditur ad tactus organum ita afficiendum, ut inductam ipſi affectionem hæc immediatè ſequatur animæ perceptio, quæ liquiditas nominatur.

Int. Quid eſt hæc diſpoſitio?

R. Eſt continua integrantium mixti partium agitatio à laxo ipſarum nexu immediatè pendens, propter quam tactus organo leviter tantum obnititur, & facilè dividitur, adeòque ſenſationem liquiditatis excitat, dum illud movet.

Int. Quid eſt ſenſatio liquiditatis in ordine ad organum tactus conſiderata?

R. Eſt peculiaris ipſiuſmet organi tactus motio à partibus corporis liquidi producta, cujus ope hæc in anima excitatur perceptio, quę liquiditas dicitur.

Int. Quid eſt ſenſatio lævitatis in ordine ad mixtum conſiderata?

R. Eſt peculiaris ipſiuſmet mixti diſpoſitio, qua illud aptum redditur ad tactus organum ita afficiendum, ut inductam ipſi affectionem hæc immediatè ſequatur animæ perceptio, quę lævitas nuncupatur.

Int. Quid eſt hæc diſpoſitio?

R. Eſt exterioris ſuperficiei mixti planitudo, & æqualitas, cujus miniſterio tactus organum blandè, ac uni-

formiter movet, adeòque lævitatis ſenſationem producit, dum ipſi applicatur.

Int. Quid eſt lævitas in ordine ad organum tactus ſpectata?

R. Eſt peculiaris ipſiuſmet organi tactus motio à partibus corporis lævis producta, cujus ope hæc in anima perceptio excitatur, quæ levitas dicitur.

Int. Quid eſt ſenſatio aſperitatis in ordine ad mixtum conſiderata?

R. Eſt peculiaris ipſiuſmet mixti diſpoſitio, qua illud aptum redditur ad tactus organum ita afficiendum, ut inductam ipſi affectionem, hæc immediatè ſequatur animę perceptio, quæ aſperitas nominatur.

Int. Quid eſt hæc diſpoſitio?

R. Eſt exterioris ſuperficiei mixti ſcabrities, & inæqualitas à corpuſculis rigidis in ipſa prominentibus, & exiguis quibuſdam intervallis ab invicem diſtinctis pendens, cujus miniſterio tactus organum moleſtè, ac inæqualiter movet, adeòque ſenſationem aſperitatis producit.

Int. Quid eſt ſenſatio aſperitatis in ordine ad organum tactus?

R. Eſt peculiaris ipſiuſmet organi tactus motio à partibus corporis aſperi producta, cujus ope hæc in anima excitatur perceptio, quæ aſperitas vulgo dicitur.

Int. Quid eſt ſenſatio caloris in ordine ad mixtum ſpectata?

R. Eſt peculiaris ipſiuſmet mixti diſpoſitio, qua illud aptum redditur ad tactus organum ita afficiendum, ut inductam ipſi affectionem, hæc immediatè ſequatur animæ perceptio, quæ calor nuncupatur.

Int. Quid eſt talis diſpoſitio?

R. Eſt vorticoſus inſenſibilium particularum mixti motus, cujus ope ſenſationem caloris excitat, ubi tactus organo uti convenit admovetur.

Int. Quid eſt mixtum calidum in ordine ad organum tactus?

R. Eſt ſenſibile corpus, quod partibus inſenſibilibus mo-

motu vorticoſo indeſinenter agitatis donatur, adeòque tactus organum dum ipſi uti convenit admovetur, ita afficit, ut ſenſationem caloris producat.

Int. Cur in definitione dicitur, *uti convenit admovetur?*

R. Quia neceſſum eſt, ut calida quædam corpora tactus organo immediatè applicentur, quo motu vorticoſum ſuo ſimilem ipſi communicent, atque adeò ſenſationem caloris excitent, ut ferrum ignitum, lapis, &c. Alia vero ſunt corpora calida, quæ aeris interventu, caloris ſenſationem producunt, quin neceſſum ſit, ut tactus organo immediatè applicentur: hujus generis ſunt Sol, flamma, &c.

Int. Quid ergo eſt ſenſatio caloris in ordine ad organum tactus conſiderata?

R. Eſt peculiaris ipſiuſmet organi tactus motio, vorticoſus ſcilicet inſenſibilium ejus partium motus ab inſenſibilibus corporis calidi partibus productus, cujus ope hæc in anima perceptio excitatur, quę vulgo dicitur calor.

Int. Quid eſt ſenſatio frigoris in ordine ad mixtum ſpectata?

R. Eſt peculiaris ipſiuſmet mixti diſpoſitio, qua illud aptum redditur ad tactus organum ita afficiendum, ut inductam ipſi affectionem, hęc immediatè ſequatur animę perceptio, quæ frigus appellatur.

Int. Quid eſt hæc diſpoſitio?

R. Eſt peculiaris mixti conformatio, propter quam illud tactus organo ad motum calorem ejus extinguit, aut imminuit.

Int. Quid eſt mixtum, quod in ordine ad ſenſum tactus conſideratum, frigidum dicitur?

R. Eſt ſenſibile corpus, quod partibus quieſcentibus, vel partibus motu inſenſibilium organi tactus partim motu minuere, vel motu inſenſibilium organi ejuſdem tactus motui appoſito agitatis conſtat, adeòque tactus organum, cum ipſi immediatè applicatur, ita afficit, ut frigoris ſenſationem excitet.

Int. Quid eſt ſenſatio frigoris in ordine ad organum tactus ſpectata?

R. Eſt peculiaris ipſiuſmet organi tactus affectio (ceſſatio nempè, vel imminutio motus vorticoſi inſenſibilium ejus partium) *à corporibus frigidis nominatis producta, & ejus occaſione hæc in anima excitatur perceptio, quæ frigus nuncupatur.*

Int. Quid eſt ſenſatio ſiccitatis in ordine ad mixtum ſpectata?

R. Eſt peculiaris ipſiuſmet mixti diſpoſitio, qua illud aptum redditur ad tactus organum ita afficiendum, ut inductam ipſi affectionem hæc immediatè ſequatur animæ perceptio, quę ſiccitas dicitur.

Int. Quid eſt hæc diſpoſitio?

R. Eſt peculiaris mixti conformatio, vel in motu, vel in figura partium illius, & interjectis ipſis poris potiſſimum conſiſtens, cujus beneficio humiditates, quæ tactus organo inſunt, vel diſſipat, vel condenſat, vel ipſo eliminat, vel abſorbet, atque adeò ſenſationem ſiccitatis excitat.

Int. Quid eſt mixtum ſiccum?

R. Eſt ſenſibile corpus, quod partibus ita agitatis, vel tot poris donatis conſtat, ut tactus organum, dum ipſi, ſicuti convenit admovetur, ita afficiat, ut ſiccitatis ſenſationem producat, ut flamma, Alumen, &c.

Int. Quid eſt ſenſatio ſiccitatis in ordine ad organum tactus?

R. Eſt peculiaris ipſiuſmet organi tactus affectio, à corporibus ſiccis nuncupatis producta, è cujus occaſione hæc in anima excitatur perceptio, quæ ſiccitas vulgo nominatur.

Int. Quid eſt ſenſatio humiditatis in ordine ad mixtum conſiderata?

R. Eſt peculiaris ipſiuſmet mixti diſpoſitio, qua illud aptum redditur ad tactus organum ita afficiendum, ut inductam ipſi affectionem hæc immediatè ſequatur animæ perceptio, quę humiditas dicitur.

Int. Quid eſt hæc diſpoſitio?

R.

R. Eſt peculiaris mixti conformatio (laxus nempè inſenſibilium illius partium nexus, motus, parvitas mollis, & fluxilitas) *propter quam humiditatis ſenſationem producit, ubi tactus organo immediatè applicatur.* Quatenus ſcilicet quędam illius partes ipſi adhæreſcunt, imò interius ejus textum ſubeunt, atque adeò humiditatem ipſi conciliant.

Int. Quid eſt mixtum humidum?

R. Eſt ſenſibile corpus, quod partibus inſenſibilibus laxo nexu invicem unitis, continuo agitatis, & flexibilibus donatur, adeòque tactus organum, cum ipſi immediatè applicatur ita afficit, ut ſenſationem humiditatis excitet.

Int. Quid eſt ſenſatio humiditatis in ordine ad organum tactus?

R. Eſt peculiaris ipſiuſmet organi tactus affectio (quædam nempè partium ejus relaxatio) *ab inſenſibilibus corporis humidi partibus producta, cujus ope hæc in anima excitatur perceptio, quæ humiditas vulgo dicitur.*

Int. Quotuplex eſt adhuc mixtum durum?

R. Multiplex ſcilicet, rigidum, flexibile, fragile, & friabile.

Int. Quid eſt mixtum rigidum?

R. Eſt corpus è partibus ſeſe invicem facile intricantibus, & ſtrictiſsime, atque firmiſsime ſimul unitis compoſitum, quod difficilè flectitur, propter eaque rigidum nominatur.

Int. Quid eſt mixtum flexibile?

R. Eſt corpus è partibus ſeſe invicem facilè intricantibus, & laxe inſtar annullorum catenæ ſimul unitis conſtans, quod facilè variis modis flecti poteſt, quin mutuus illarum nexus pœnitus tollatur.

Int. Quid eſt mixtum fragile?

R. Eſt corpus è partibus valde rigidis, minimè ſeſe implicantibus, & per plures ſuperficiei ſuæ partes ſeſe immediatè tangentibus conflatum, quod rumpitur, & in fruſta plura ſæpè ſæpius dirimitur, dum quis illud flectere nititur.

Int.

Int. Quid eſt mixtum friabile?

R. Eſt corpus è partibus mediocriter rigidis; & per paucas ſuperficiei ſuæ partes ſeſe immediatè tangentibus conſtans, quod facilè frangitur, & in fruſtula plura dividitur, dum manibus, vel digitis comprimitur.

CAPUT SECUNDUM.

DE TEMPERAMENTIS.

Int. QUid notandum circa nomen temperamenti?

R. Temperamentum, temperies, ſymethria apud veteres: *Craſsis*, & *complexio* apud Neotericos Synonima ſunt: ſtrictè autem loquendo AA. temperamentum ſolis qualitatibus; RR. vero complexionem ſubſtantiæ attribuunt; ſicque AA. & RR. facilè combinantur, nam per ſymetriam, quam alii idioſyncraſsim vocant, aliud non intelligunt, quàm contemperaturam, convenientiam, & proportionem, juxta AA. 4. Elementorum; juxta RR. vero particularum in compoſitione connexione, numero, magnitudine, figura, ſitu, motu, &c.

Int. Quid eſt temperamentum in genere?

R. Eſt congrua mixtio Elementorum, horumque qualitatum ad functiones uniuſcujuſque rei proprias obeundas.

Int. Quotuplex eſt temperamentum?

R. Duplex *ſubſtantificum, quod eſt congrua mixtio Elementorum, ſeu particularum debita magnitudine numero, figura, &c. & qualitativum, quod eſt qualitas ex quatuor qualitatum complexu orta, & ab illis prout ſic indiſtincta.*

Int. Quotuplex eſt temperamentum *qualitativum*?

R. Duplex, *ad pondus*, & ad juſtitiam. 1. dicitur *illud, in quo qualitates ſunt in eodem gradu, ſeu in æquilibrio.* 2. vero *illud, in quo qualitates ſunt inæqualiter temperatæ, convenienter tamen pro cujuſcumque partis*

con-

conditione ad rectè earum actiones obeundas.

Int. Datur temperamentum ſubſtantificum ad pondus?

R. Minimè, quia repugnat: qualitativum vero in homine datur quoad qualitates paſsivas in adoleſcentia, quoad activas in juventute; eſt tamen tantum momentaneum, & inſtantaneum.

Int. Quotuplex eſt temperamentum ad juſtitiam?

R. Duplex, *ſimplex*, una, & *compoſitum* duabus qualitatibus excedentibus: Utrumque tamen quadruplex, *calidum*, *frigidum*, *humidum*, *ſiccum*: *Calidum*, & *humidum*, *calidum*, & *ſiccum*, *frigidum*, & *humidum*, *frigidum*, & *ſiccum*.

Int. Quomodo vocatur temperamentum frigidum, & ſiccum?

R. Dicitur *igneum*, *bilioſum*, ſeu *cholericum*, & reperitur quando ſanguis, & reliqui ſucci plus de ſale volatili, oleoſo ſulphureo participant, & bilem uberiorem procreant, & tales dicuntur cholerici, vel bilioſi, ſuntque pallidi, ſicci, vel vireſcentes.

Temperamentum calidum, & humidum vocatur *ſanguineum*, reperitur quando ſanguis temperatus eſt, temperato volatili oleo dulcificatus, optimaque gaudet craſsi: tales enim dicuntur ſanguinei, ſuntque carnoſi, rubicundi, hilares, ingenioſi, &c.

Temperamentum frigidum, & humidum dicitur *Phlegmaticum*, ſeu pituitoſum, adeſt quando ſanguis ab uberiori chylo diluitur, & pauco oleo volatili, ſeu bile imbutus eſt: tales vocantur Phlegmatici, ſeu pituitoſi, ſuntque humidi, frigidi, pallidi, ſtupidi, &c.

Temperamentum frigidum, & ſiccum vocatur *Melancholicum* ab eo, quod ſanguis, & ſucci corporis ſunt denſiores, ſpiſsi, acidi, omnique volatilitate deſtituti, ſuntque triſtes, meditabundi, frigidi, ſicci, tardi, &c.

Int. Quotuplex eſt temperamentum ad juſtitiam, tam ſimplex, quam compoſitum?

R. Duplex, *vel actuale*, primo contactu alterans, ut

ut calor in igne, & frigus in aqua: vel *Potentiale* vim ſuam non exſerens, niſi á calore actuatum, ac partibus comminutis, & ab invicem ſeparatis, ut calor in *Pipere*, frigus in *Lactuca*.

Int. Temperamentum hominis, ejuſque partium *vitale* à quo dependet?

R. A diverſa fibrarum textura, & craſsi ſanguinis; unde ſi ille calidior, & ſiccior, ac particulæ tenuiores, ſulphureæ, & valde fermenteſcibiles in eo prædominentur, emerget temperamentum *Cholericum*. Si particulæ craſsiores, aquoſæ, & crudiores reliquas ſuperent, *Phlegmaticum*. Si particulæ viſcidæ intermixtis ſalinis acidis, præ aliis caput extollant, *Melancholicum*. Si ſanguis temperatus, ac oleoſis ſubtilibus particulis dulcificatus, *ſanguineum*.

Int. Quod temperamentum eſt utile ad vitam magis producendam, & operationes collectivè melius exercendas?

R. Sanguineum, ſeu moderatè calidum, & humidum.

Int. Ad ſcientias comparandas quod temperamentum eſt aptiſsimum?

R. Cholerico Melancholicum, vel huic non abſimile ſanguineo-melancholicum.

Int. Quotuplex adhuc eſt temperamentum?

R. Quadruplex, 1. *naturale*, ſeu *nativum*, ſeu *innatum*, quod à natura in primo ortu cuique eſt datum: 2. *aſcititium*, ſeu *adventitium*, quod decurſu ætatis adquiſitum eſt per res non naturales, vel præternaturales: 3. *partiale*, quod cuique parti competit: 4. *totale*, quod toti corpori eſt tributum.

Int. Quodnam eſt temperamentum partium, ſeu quænam partes aliis ſunt calidiores?

R. Omnes partes corporis actu ſunt calidæ, attamen ſanguineæ, carnoſæ dictæ, ſunt calidiores ſpermaticis, eo, quod ſanguine, & ſpiritu magis redundent; in ſpecie autem calidæ ſunt *Spiritus*, *Cor*, *Sanguis*, *Caro ſimplex*, *Jecur*, *Lien*, *Renes*, *Pulmones*, *Pinguedo*, *Adeps*, *&c.* frigidæ ſunt *Cerebrum*, *Spinalis medulla*, *Ner-*

Nervi, membranæ, Tendines, Ligamenta, Cartilagines, Oſſa, &c. Siccæ ſunt *oſſa, Cartilagines, ligamenta, tendines, membranæ, Pili, Cor, &c.*

Humidæ ſunt *ſanguis, adeps, Medulla oſsium, caro muſculorum, Jecur, Lien, Teſtes, Mammillę, &c.*

Int. Quæ corporis pars eſt temperatiſsima?

R. Cutis temperatiſsima eſt, præſertim in vola manus, ac ſummis digitorum pulpellis.

Int. Quomodo variat temperamentum?

R. I. vi *ſexus.*

Int. Quid eſt *ſexus*?

R. Eſt modus corporis ortus ex diverſa partium genitalium conformatione, & temperie,

II. Vi *ætatum.*

Int. Quid eſt *ætas*?

R. Eſt partiale tempus vitę humanę, in quo notabilis obſervatur mutatio, eaque ex mutatione caloris nativi, ejuſque ob res non naturales, & pręternaturales varia proportione.

Vir, fœmina univerſaliter eſt calidior, non tamen ſemper. Quoad ætatem, *pueri*, quorum ætas 14. anno finitur: includens etiam *infantiam* ad 7. annum durantem, ſunt calidi, & humidi à prædominio.

Adoleſcentes, quorum ætas ſe extendit ad annum 25. includens etiam annum pubertatis 18. ſunt calidi, & in paſsivis temperati.

Juvenes, quorum ætas ſe extendit ad annum 35. ſunt calidi, & ſicci.

Viri, ſeu ætas conſiſtentis ad annum 48. vel 50. durantis, ſicci ſunt, & in activis temperati.

Senes tandem frigidi, & ſicci à 50. ad 60. magis ingraveſcente, à 60. ad 70. maximè in decrepita à 70. ad finem vitæ durante.

III. Vi anni temporum.

Int. Quo temperamento gaudent anni tempora?

R. Vernum, quod incipit *Sole* ingrediente *ſignum Arietis*, ubi etiam fit *Æquinoctium vernale*, eſt calidum, & humidum, omnium ſaluberrimum.

Æſti-

Æſtivum, incipiens Sole ingrediente *ſignum Cancri*, ubi etiam eſt Solſtitium æſtivale, calidum, & ſiccum eſt.

Autumnale, incipiens Sole ingrediente *ſignum libræ*, & in quo fit *æquinoctium autumnale*, frigidum, & ſiccum, ac inſaluberrimum eſt.

Hyemale tandem, incipiens, Sole ingrediente *ſignum Capricornii*, & in quo fit *Solſtitium hyemale*, eſt frigidum, & humidum.

Int. Quid eſt calor naturalis?

R. Eſt qualitas ætherea partibus omnibus implantata, vi cujus animalia vivere, & actiones ſuas exercere poſſunt.

Int. Quotuplex eſt calor naturalis?

R. Quadruplex eſt, videlicet, vel *innatus*, vel *influens*, vel *aſcititius*, vel *actuatus* ex inſito, & influente conſtans.

Int. A qua cauſa oritur calor naturalis?

R. A ſanguine, qui per organa in gyrum movetur, qui quodammodo fervet, atque intus ebullit, ſimulque partes, quas aluit, blandè calefacit.

Int. Quid eſt calidum innatum?

R. Eſt ſubſtantia primigenia calida, pinguis, & oleoſa in animali conflata ex partibus Salino-volatilibus, oleoſis principiorum generationis, præcipue in corde, ac partibus ſpermaticis ſubjectata, præcipuum animæ organum pro omnibus ejus actionibus.

Int. Quid eſt humidum radicale?

R. Eſt ſubſtantia humida, pinguis, & oleoſa in primo eſſe viventis adquiſita ex partibus aëreis, oleoſis, & balſamicis principiorum generationis, ut ſit caloris nativi ſubjectum.

Int. Quid eſt calor naturalis inſitus?

R. Juxta AA. eſt ille calor, qui à vitæ exordio ſingulis partibus implantatur, qui toto vitæ tempore perſeverat. RR. vero aſſerunt, calorem in homine, & animantibus omnem eſſe à ſanguine, & ſpiritibus; adeòque docent omnem calorem eſſe influentem.

Int.

Int. Quæ eſt ſedes caloris naturalis?

R. Primaria eſt cor cum arteriis, & venis: Secundaria omnes corporis partes.

Int. Quid RR. cenſent de calido innato, & humido radicali?

R. Plurimi docent, hæc duo entia in rerum natura non exiſtere.

Int. Cur non exiſtunt juxta illorum mentem?

R. Quia aſſerunt, nullum de iis conceptum, ipſorum eſſentiis conformem formare poſſe.

Int. Quare iſtud?

R. Quia numquam obſervari poteſt, quod tale calidum innatum à prima nativitate cordi inditum, ad ultimam ſenectutem ibidem perſiſtere cum humido ſuo primigenio.

Int. Cur hoc?

R. Quia caloris eſſentia non conſiſtit in quiete, calor non eſt ſtabilis, & inſitus, ſed omnis influens: Juxta illos vero, quod vocari poteſt calidum innatum, ſunt reliquiæ ſanguinis in corde rarefactæ, quæ ſingulis momentis mutuantur, quia ſemper aliæ, atque aliæ accedunt, prioreſque avolantes.

Int. Quid eſt juxta RR. humidum primigenium?

R. *Chyloſa*, ſeu *lactea* ſanguinis pars, quæ pabulum, & nutrimentum omnibus partibus ſuppeditat, qua deficiente partes flaceſcunt, & marceſcunt.

Int. Augetur ne perpetuo in nobis calor naturalis?

R. Ad virilitatem incluſive in nobis calor augetur, quia quo magis ad eam accedimus, eo magis à vapido ſanguinis excremento ſe vindicat, & perpetua circulatione perficitur.

Int. A quibus cauſis interit, ſeu perit calor nativus?

R. A triplici cauſa, vel à ſuffocatione, vel à diſſipatione, vel à defectu reſtaurationis. Suffocatur, vel à ſanguinis copia, à viſcoſitate ſanguinis, à veneno, à frigore, à coagulatione, à cordis nimia conſtrictione, ut in triſtitia, vel mœrore, vel à nimia apertio-

ne, ut in ira, vel lætitia, &c. Diſsipatur per nimios labores, ſudores, &c. Non reſtauratur in inedia, vaſorum compreſsione, læſione, eorum obſtructione à craſsitie, vel viſcoſitate ſanguinis, &c.

CAPUT TERTIUM.

DE HUMORIBUS.

Int. QUid eſt humor?

Reſp. Eſt ſubſtantia liquida, palpabilis in corpore noſtro ex cibo, & potu ſecundum naturam progenita.

Int. Quia dicitur liquidà?

R. Ut excludantur fæces.

Int. Quare palpabilis?

R. Ut excludantur ſpiritus, qui etiam ſunt ſubſtantia liquida, ſed ob ſummam ſuam volatilitatem impalpabilis eſt.

Int. Cur dicitur ex *potu*, & *cibo*?

R. Quia ſic ipſe *chylus* non eſſet humor (nihil enim fit ex ſe ipſo) qui tamen reverà humor eſt.

Int. Quare in noſtro corpore progenita?

R. Ut excludatur juſculum recenter aſſumptum.

Int. Quare ſecundum naturam?

R. Ut intelligatur, nos hic non agere de humore præter naturam.

Int. Quotuplex eſt humor?

R. Duplex, vel *naturalis*, qui ſecundum leges naturæ in corpore generatur, vel qui non habet qualitatem nobis inimicam: vel *præternaturalis*, qui à cauſis præter naturam oritur.

Int. Quotuplex eſt humor naturalis?

R. Triplex, *alimentitius*, *genitalis*, & *excrementitius*.

Int. Quid eſt humor alimentitius?

R. Eſt qui in corpore naturaliter generatur ad nutritionem animalis.

Int.

Int. Quotuplex eſt humor alimentitius?

R. Duplex, vel *primarius*, qui in vaſis adhuc continetur: vel *ſecundarius*, qui à primario ortus, alicui membro peculiariter jam inſertus eſt.

Int. Quid eſt humor alimentitius primarius?

R. Eſt corpus fluidum ex chylo genitum, ac pro corpore alendo maximè deſtinatum.

Int. Quotuplex eſt humor alimentitius primarius?

R. Juxta AA. quadruplex eſt, ſanguis nimirum, ſeu maſſæ ſanguineæ portio rubra, calida, humida, & oleoſa. Bilis, ſeu maſſæ ſanguineæ portio calida, ſicca, & ſalino-ſulphurea. Pituita, ſeu maſſæ ſanguineæ portio frigida, humida, & aquoſa. Et denique Melancholia, ſeu maſſæ ſanguineæ portio frigida, ſicca, & ſalino-acida.

Int. Quid eſt humor alimentitius ſecundarius?

R. Eſt ille, qui à primarios immediatè oritur, & alicui membro peculiariter eſt inſertus.

Int. Quotuplex eſt humor alimentitius ſecundarius?

R. Quadruplex: 1. vocatur *innominatus*, ſeu inſitus, dum nutrimentum in extremis vaſorum capillarium continetur, & leviter à membris mutari incipit.

Secundus *Ros*, dum inſtar roris è vaſculis in partes, ſeu ſubſtantiam partis diſpergitur.

Tertius *Gluten*, dum Ros ibi aglutinatur partibus.

Quartus *cambium*, dum nutrimentum glutinoſum in partis ſubſtantiam totaliter convertitur.

Hi vero humores juxta AA. ſolum differri penès majorem elaborationem, & ſimilitudinem cum parte nutrienda. Credebant enim ſanguinem prout continetur in vaſis majoribus, aſsimilari non poſſe partibus ſolidis, niſi interveniente inſigni mutatione, & coctione, qua videlicet ex fluido tranſiret in ſolidum, & ſæpè ex rubro in album: adeòque hanc coctionem habere plures gradus, à quibus deſumebant præfatam differentiam. Verum hos humores juxta RR. confundit circulatio ſanguinis, ſiquidem per eam tota maſſa ſanguinea continuo in ſtatu naturali per vaſa capilla-

ria, imò per ipſam partium ſubſtantiam circulatur, & promovetur.

Int. Quotuplex eſt ſanguis propriè talis?

R. Triplex accidentaliter eſt ſanguis, videlicet, *arterialis*, *venalis*, & *pituita dulcis*, ſeu imperfectus ſanguis.

Int. Datur ſpecies aliqua ſanguinis præternaturalis?

R. Non.

Int. Quotuplex eſt pituita?

R. Duplex, alia naturalis, & alia præternaturalis.

Int. Quotuplex eſt pituita naturalis?

R. Unica tantum, nimirum inſipida.

Int. Quotuplex eſt pituita præternaturalis?

R. Octo habet ſpecies, quatuor ratione ſaporis, & quatuor ratione ſubſtantiæ. Ratione ſaporis ſunt *acida*, *ſalſa*, *pontica*, & *auſtera*. Ratione ſubſtantiæ ſunt *vitrea*, *gypſea*, *mucilaginoſa*, & *aquoſa*.

Int. Quotuplex eſt bilis?

R. Duplex, naturalis, & præternaturalis.

Int. Quot ſunt ſpecies bilis naturalis?

R. Tres, *pallida*, *rufa*, & *flava*.

Int. Quot ſunt ſpecies bilis præternaturalis?

R. Quinque, *Vitellina*, & eſt quæ vitellis ovorum aſsimilatur. *Porracea*, quæ virentibus porris eſt ſimilis. *Æruginoſa*, quæ æruginis colorem præſefert. *Cærulea*, quæ colore cæruleo gaudet. Denique *Atra bilis*, quæ nigro colore prædita eſt cum ſplendore.

Int. Quæ ex iis calidior eſt?

R. *Porracea* calidior eſt *vitellinà*, *æruginoſa*, *porraceà*, *cærulea*, *æruginosà*, & *atra bilis* omnium calidiſsima eſt.

Int. Quotuplex eſt Melancholia?

R. Duplex, naturalis, & præternaturalis.

Int. Quotuplex eſt Melancholia naturalis?

R. Unica tantum.

Int. Quotuplex eſt Melancholia præternaturalis?

R. Quadruplex eſt, alia, quæ fit per aduſtionem bilis, alia ſanguinis, alia pituitæ ſalſæ, & alia, per Me-

Melancholiæ uſtionem, vel putredinem.

Int. In quo differt atra bilis facta ex uſtione bilis ab atra bile facta ex uſtione ſucci melancholici?

R. In eo, quod atra bilis facta ex uſtione bilis eſt magis mordax, acris, & amara, quam ea, quæ fit ex uſtione ſucci melancholici.

Int. Quid eſt ſerum?

R. Eſt excrementum tenue, & aquoſum ſecundæ coctionis, vehiculum humorum, tum per urinam, tum per ſudores expurgandum.

Int. Quo ſapore donatur ſerum?

R. Salſo.

Int. Quotuplex eſt?

R. Quadruplex, Sanguineum, Bilioſum, Pituitoſum, & Melancholicum.

Int. Quot ſunt uſus humorum?

R. Quatuor: 1. neceſſarii ſunt ad nutritionem: 2. ad conſervationem ſpeciei: 3. ad contemperationem inter ſe: & 4. ad bonos mores procreandos.

Int. Cujus humoris reperitur major copia in maſſa ſanguinaria?

R. Sanguinis quarti humoris, deinde bilis, poſtmodum Melancholiæ, & tandem Pituitæ.

Int. Petunt humores materiam determinatam ex qua fiant?

R. Determinatè fieri ex chylo, ita ut ex alia materia fieri non poſsint.

Int. In qua corporis parte generantur humores?

R. In Hæpate, unica actione, unico calore, hæpate ſe habente tamquam cauſa æquivoca. Juxta RR. vero nullum humorem in hæpate generari, cum hoc viſcus vi ſuæ ſtructuræ materialis, ſit ineptum ad talem generationem, & vis illi innata ſanguificativa ſit inexplicabilis.

Int. In qua ergo parte juxta RR. generantur humores?

R. Juxta communem ſenſum, in nulla, ſed à ſanguine ex chylo cum eo fermentante, & circulante omnes generari humores.

Int. Cum iſti humores ab eadem cauſa efficiente fiant, cur tamen ſunt tam diverſæ naturæ?

R. Quia ex diverſis chyli partibus producti ſunt: v. g. ex terreſtri, *Melancholia*, ex inflammabili, ſeu oleoſa, *Bilis*, ex crudiori, *Pituita*, ex temperatiori, *Sanguis*, & ex aquoſa, *Serum.*

Int. Quotuplex eſt humor alimentitius juxta RR.

R. Duplex, proximus, & remotus. Proximus eſt illa ſanguinis pars ſeroſo-chyloſa (ſed melius gelatinoſa) qualis, quę in maſſa ſanguinis è corpore educta perſiſtit fluida, minuſque colorata. Hæc non differt à lympha, quæ à partium nutritione refluit, niſi in eo, quod hæc eſt magis aquea, propter hoc, quod pluribus particulis alibilibus, ac ſolidioribus partium ſolidarum nutritioni impenſis, orbata eſt. Sola hæc ſanguinis pars habet vim nutriendi proportionatam, & ſimilitudinem cum partibus ſimilaribus corporis nutriendis: partes enim non ut diſsimilares, ſed ut ſimilares nutriuntur.

Si enim ad ea, quæ in œconomia animali obtingunt, probe attendamus, facilè obſervamus, omnes partes noſtri corporis ſolidas per ſimplicem cocturam, in liquorem gelatinoſum, inſipidum, atque diaphanum reſolvi; deinde prima quoque rudimenta in generatione animantium eadem eſſe, atque ovi albumini ſimilia, è quibus facilè concludere poſſumus, partim, quod partes corporis noſtri ſint eædem in quas reſolvuntur; partim corpus per eaſdem materias nutriri ex quibus conflatum, & generatum fuit. Cum itaque ſeroſo-gelatinoſum, ac inſipidum illud principium nullibi prius reperiatur, quam in illa parte ſanguinis ſeroſo-gelatinoſa, ſeu limphatica, jure merito RR. concludunt, hanc limpham unicè, & proximè corpus noſtrum nutrire.

Int. Si ſola gelatinoſa ſanguinis pars nutrit, ad quid reliquæ partes maſſam ſanguinis reſtituentes?

R. Reliquæ ſanguinis partes ſuos uſus habent, attamen ſanguis in hoc negotio conſideratus, vehicu-

lum

lum ſaltem conſtituit, quo materia nutritionis proxima, & immediata ad partes advehitur. Lubentiſsime quidem concedunt RR. maſſam ſanguineam dici poſſe nutritionis materiam, non tamen reſpectu ſanguinis ſtrictè dicti, partis nempè ipſius rubicundæ, aut globulorum ſanguineorum, ſed quatenus multum materiæ modo dictæ gelatinoſæ, aut lymphæ in ſe continet, vel reſpectu lymphę in ſanguinea maſſa hærentis, & cum ipſa per arterias ad partes advectæ.

Int. Quis eſt humor alimentitius remotus?

R. In ordine ad hoc negotium nutritionis, materia exiſtit chylus.

Int. Quas conditiones habere debet chylus, ut debitam tribuat pro nutritione materiam?

R. Chylus pro hoc negotio debet eſſe debitæ conſiſtentiæ, ex alimentorum aſſumptorum partibus pinguibus, gelatinoſis, optimis, ſecedens per modum ſubtilioris diſſolutionis fermentativæ in ſtomacho ab alimentis, à chymo, præcipuè in duodeno, cæteriſque inteſtinis tenuibus.

Int. Ergo nec Bilis, Melancholia, Pituita, nec ſanguis, ſeu quartus maſſæ ſanguineę vulgo humor nutriunt?

R. Primi tres humores non habent ſubſtantiam *nutrificam*, ſanguis vero quartus antiquorum humor, ſeu ut volunt RR. partes globuloſæ ſanguinis, minimè nutrire valent, quia ineptæ ſunt ad nutritionem.

Int. Quid eſt humor excrementius naturalis?

R. Eſt ille, qui ex ſua natura ineptus eſt, ut in ſubſtantiam noſtram convertatur.

Int. Quotuplex eſt humor excrementitius naturalis?

R. Duplex, utilis, & inutilis.

Int. Quid eſt humor naturalis utilis?

R. Eſt qui per ſe utilitatem aliquam præſtat in nobis, in quibus gignitur.

Int. Quot ſunt humores naturales excrementitii utiles?

R. Multiplices ſunt, videlicet, *Bilis*, *Melancholia*,

Pituita, Serum ſanguinis, Lac, Semen, ſanguis menſtruus, humor Pericardii, humor digeſtivus ventriculi, ſaliva, ſuccus pancreaticus, Mucus inteſtinalis, &c.

Int. Quid eſt humor excrementitius naturalis inutilis?

R. Eſt qui nullam per ſe præſtat utilitatem in nobis, in quibus gignitur.

Int. Quot ſunt humores excrementitii naturales inutiles?

R. Multiplices ſunt, nempè, *urina, ſudor, lachrimę, mucus narium, ſanguis Puerperij, Aquę parturitionis, ſanguis hæmorrhoidalis, &c.*

CAPUT QUARTUM.

DE SECRETIONE HUMORUM.

Int. QUid ſunt humorum Secretiones?

R. Sunt actiones vitales, quarum ope per viſcerum, & partium poros, vel humores excrementitii à reliquis ſeparantur, ut é corpore expellantur, vel laudabiles, quorumdam colatoriorum beneficio, ſecernuntur, ut ad uſus ſpecificos impendantur.

Int. Quomodo tales ſecretiones fiunt?

R. Omnes ſecretiones fiunt tranſcolatione per poros, juſta magnitudine, & figura gaudentes.

Int. Quæ differentiæ ſecretionum reperiuntur?

R. 3. I. reſpectu *materię* ſecernendæ, aliæ ſecretiones reſpiciunt partes inutiles, alię vero utiles.

II. Reſpectu *gradûs*, ſecretiones interdum largiores, interdum vero mitiores ſunt.

III. Reſpectu *ætatum, & temperamentorum*, quorum alia ad ſecretiones magis, alia vero minus diſpoſita ſunt.

Int. Quid eſt *organum ſecretionum*?

R. Vel ſunt glandulæ, vel pori partium.

Int. A qua cauſa fiunt ſecretiones humorum?

R.

R. A *natura circulante humores*, quæ per continuam remotionem partium inutilium, utiliumque aſſervationem ad debitum tempus, conſervationem corporis intendit, & præſtat.

Int. Ad quid deſerviunt ſecretiones humorum?

R. I. Secretiones abſolutè ad vitam neceſſariæ ſunt; & iis ceſſantibus, morbi graviores corpus affligunt, imò mors interdum repentina ſequitur.

II. Dum partes inutiles ſemper è maſſa ſanguinea removentur, & è corpore expelluntur, corruptio humorum metuenda præcavetur.

III. Hoc ipſo etiam nimia humorum abundantia tollitur, atque proportio, ſive æquilibrium inter humores, & motus conſervatur.

IV. Per humorum verò laudabilium, v. g. *ſalivæ*, *ſeminis*, *lactis*, *lymphę*, *&c.* ſecretionem, corporis proprii conſervationi, prolis generationi, & infantis nutritioni proſpicitur.

Int. A quo fluido ſeparantur omnes humores? vel quod fluidum tribuit materiam immediatam pro generatione tam diverſorum humorum?

R. Maſſa ſanguinis, dum præterlabitur per omnes corporis partes.

Int. Quid eſt ſanguis?

R. Eſt humor vitalis, quo nullum animal caret, & in quo vita, & corporis noſtri robur continetur: quo effuſo omnis corporis, & animę operatio ceſſat, quapropter anima, & vita, ipſius quoque Sacræ Scripturæ teſtimonio, in ſanguine eſt.

Int. Sanguis ex quibus conſtat partibus?

R. Sanguis conſtat partibus indole inter ſe differentibus; nam ex *ſolidis*, & *fluidis*, *gravibus*, & *levibus*, *diaphanis*, & *opacis*, *ſubtilioribus*, & *fixioribus*, *aqueis*, *terreis*, & *oleoſis inflamabilibus*, minus benè cohærentibus, componitur.

Int. Ex quo evincitur, quod ſanguis conſtet ex partibus ſolidis, & fluidis?

R. Solidas partes inexiſtere ſanguini ex eo patet, quod

quod liquida ejus parte leniori, calore evaporata, ſicca, & ſolideſcens ſubſtantia relinquatur.

Int. In ſanguine benè conſtituto, qua proportione ſolidum, & liquidum continentur?

R. In ſanguine ſani hominis tres ordinariæ partes liquidi, & una ſolidi reperiuntur, ut conſtat ex variis experimentis.

Int. Solida pars ſanguinis eſt homogenea, vel ætherogenea?

R. Sanguis exſiccatus, & à Chymico igne tractatus, primo *Phlegma*, deinde *oleum* ſubtile, poſtea craſsius fundum petens, empyreumaticum cum ſale volatili, & denique *terram* fixam, in vaſis fundo relictam, elargitur: unde evincitur, ſolidam partem ſanguinis eſſe valdè ætherogeneam.

Int. Sanguis debitè conſtitutus continet ſubſtantiam gelatinoſam, ſeu ſuccum nutritium?

R. Optimus ſanguis gelatini-formem conſiſtentiam habet, & non niſi gelatina purpurea videtur; ſiquidem frigore facilè concreſcit, & temperatæ indolis, ac nullius evidentis ſaporis eſt. Sicuti enim gelatina, evaporata aquea parte, in glutem tranſit; ita etiam ex ſanguine, optimum glutem poteſt parari: ideòque ea alimenta, quæ glutinoſum ſuccum coctione fundunt, optimo ſanguini generando eſſe aptiſsima, ſicque carnes juniorum animantium copioſum ſanguinem gelatinoſum generant.

Quamquam autem ſanguinis textura multum ſimilis ſit gelatinæ animantium; attamen ille differentes quoque ab hac quaſdam proprietates obtinet. Primo ſanguis exſiccatus longè promptius flammam concipit, ac diutius eam alit, quam ſiccata gelatina. Deinde major quantitas ſalis volatilis, & olei ex ſanguine per diſtillationem, quam ex gelatina obtinetur. Tum ſanguis putrefactus tetrum magis fœtorem, quam alia quævis gelatina corrupta exhibet.

Int. Ex quo evincitur, quod ſanguis conſtat ex parte ſubtili ſulphurea?

R.

R. Probatur ex ejus inflammabilitate, & quod ingentem quantitatem olei ſub diſtillatione fundat, & ex eo, quod per motum valdè incaleſcit.

Int. A quo dependet ſanguinis *calor*?

R. Sanguinis calor, quam maximè dependet à parte ejus ſubtili ſulphurea in motum concitata. Sanguinis enim calor nihil eſt aliud, quam motus inteſtinus partium ejus ſulphurearum, qui eo fortior eſt, quo major partium ſulphurearum copia eſt, & quo plus motu attritivo agitantur, & mutua colliſione impelluntur.

Int. A quo provenit *color rubicundus* ſanguinis?

R. A motu inteſtino, & colliſione ſubſtantiarum componentium ſanguinem, particulæ temperatæ, oleoſæ, ac terreæ alkalizantur, & ſubtiliores fiunt; quare ex connubio, & mixtura principij alkalini, & olei ſubtilis purpureus ſanguinis color emergit: ut videtur, olea diſtillata ſali lixivioſo recluſo affuſa, leni digeſtione rubrum colorem induere.

Sanguis enim à Medicis conſideratur, vel in abſtracto, vel in concreto. Sanguis in abſtracto conſideratus, ſunt particulæ alkalinæ, & oleoſæ commixtæ, quæ ſanguini in concreto propriè, & ſtrictè formam ſpecificam, ideſt, colorem rubicundum, quo à reliquis humoribus diſtinguitur, largitur. Hæc ſubſtantia ſtrictiſsimo ſenſu ſanguinea dicta (ab AA. ſanguis quartus humor) in ſe ſpectata, & extra conſortium cum aliis fluidis eſt ad ſiccitatem proniſsima, ita ut quaſi pulverem ſubtiliſsimum rubicundum conſtituat, promptiſsimeque applicato igne ardeat.

Hoc apertè demonſtrant experimenta à mechanicis RR. per uſum microſcopiorum inſtituta, quibus apparet, totam ſanguinis confuſam maſſam repræſentare liquorem diaphanum, cui globuli rubicundi innatare videntur: Ex hoc phænomeno etiam formula loquendi de globulis ſanguineis, tamquam ſanguine ſtrictiſsimè ſumpto, in Scholis Medicis ortum duxit. Id ipſum evincitur ſequenti experimento: Si ſanguis

ex

ex ſecta vena in aquam tepidam effundatur, ingentem portionem ſubſtantiæ mucidæ diaphanæ in fundum demittet; aqua vero ſupernatans rubra apparebit, quæ poſt evaporationem tenuem rubicundum pulverem, qui promptiſsimè ardet, relinquet.

Sanguis vero in concreto conſideratus, ſub ſe comprehendit maſſam illam rubicundam fluidam, ac fluxilem, quæ ex partibus variis, non æquè homogeneis mixtam, & ex ſanguine in abſtracto, lympha, ſero, & elemento terreo, quod ſulphuris nimiam activitatem infringit, ipſique temperiem conciliat. Aqua ſanguini fluiditatem, gelatina nutrimentum partium, ſulphurea portio calorem, rubedinem, ſubtilitatem, & penetrantiam præſtant: Terra vero firmiorem ipſi conſiſtentiam largitur, ſub qua, ſeu involucro, ligata ſubtilis portio retinetur.

Int. Quotuplex eſt motus ſanguinis?

R. Triplex, ſcilicet, *fluiditatis*, *fermentativus*, & *localis*, ſeu circularis.

Motus ſanguinis fluiditatis, *eſt motus ille ſanguinis, quo fluit, quo videlicet eſt de genere fluidorum, atque adeò, quo diſtinguitur à mixtis ſolidis.*

Motus ſanguinis fermentativus, *eſt motus ille ſanguinis inteſtinus, quo maſſa ſanguinea intimè ſeſe exagitans, efferveſcit, ebullit, calorem ſuum naturalem fovet, conſervat, alteratur, digeritur, & extenuatur.* Vel *eſt motus particularum, ſanguinis mixturam ingredientium, ejuſque maſſam conſtituentium ſingularum circa ſuam axim, ita ut quævis particula, ſingulatim mota, alteram quoque moveat, ſuoque attritu talem in ſpecie motum excitet, qualis in genere corporibus fluidis ineſſe obſervatur.*

Iſte tamen motus ſolus ſibi relictus, quamquam ad fluiditatem multum contribuat, nequaquam tamen ſanguinis conſervationi in bonitate, ejuſque mixtione congrua inſervit, ſed potius corruptioni proximè viam ſternere aptus eſt, niſi alter, quem localem, & progreſsivum, aut circularem dictum, accideret.

Int.

Int. Unde provenit motus ſanguinis fermentativus?

R. Motus fermentationis excitatur in ſanguine eo, quod ab *æthere materia ſecundi generis* penitus excluſa, ſola per poros minimorum maſſam ſanguinis componentium moveatur materia primi generis; quæ hoc in caſu motum longè majorem ſibi comparat, mollecu- las ſanguinis minimas longè validius circum agit, eaſque optimè ſubit, ſolvit, & infringit.

Int. Quid eſt motus circularis ſanguinis?

R. Eſt motus ſanguinis à corde per arterias ad partes, ejuſdemque per venas ad eumdem fontem redditus.

Int. Unde provenit motus circularis ſanguinis?

R. Motus *localis*, ſive *progreſsivus*, aut *circularis* ſanguinis producitur per *ſyſtolem* potiſsimum *cordis, arteriarumque*; quarum parietes ſeſe contrahentes, ſanguinem contentum urgent, comprimunt, atque exprimunt, qui valbulis reluctantibus, quum retrocedere nequeat converſus, neceſſe eſt, ut ulterius procedat: à corde nimirum in arterias, ab arteriis in venas, à venis *in auriculas cordis*, ab auriculis in *ventriculos*, à ventriculis iterum in arterias, & ſic deinceps, tamquam à centro corporis humani, ad circumferentiam, atque à circumferentia ad centrum.

Int. Quotuplex eſt motus circularis ſanguinis?

R. Duplex eſt, alius in adultis, quando ſcilicet ſanguis per venam cavam refluus fertur ad auriculam dextram, & ex hac in dextrum *cordis* ventriculum, ex hoc vero per arteriam *pulmonalem* in *pulmones*, ac deinde ex pulmonibus per venam *pulmonalem* ad cordis auriculam ſiniſtram; ex hac vero in ejuſdem lateris ventriculum tendit, ac tandem contracto *corde*, per arteriam aortam expulſus, ad omnes partes diſtribuitur, ab his vero per venam cavam reddit ad *cor*.

Alius eſt in *fœtu*, quando nimirum ſanguis *ex placenta uterina* cum ſucco nutritio per venam umbilicalem *ad hæpar*, & per ductum Glyſſonianum ad venam cavam, & per hanc ad *cor*, ejuſque auriculam dextram partim, partim vero per *foramen ovale* ad ſiniſ-

tram fertur: Ex dextra vero *cordis* auricula in dextrum ventriculum effuſſus ſanguis, & ope ſyſtoles in pulmones, per arteriam pulmonalem impulſus, per *ductum arterioſum* ad arteriam tendit *aortam*, in quam ſimiliter ſanguis ſiniſtræ auriculæ è ventriculo ejuſdem lateris infunditur, ac tandem poſtquam in totum corpus diſtributus eſt, per duas arterias umbilicales ad Placentam vehitur.

Int. Quod eſt organum circulationis ſanguinis?

R. Organum circulationis I. eſt *cor*, dum in *diaſtole* ſanguinem è vena cava in auriculas, & ventriculos recipiens; in *ſyſtole* vero eumdem in arteriam aortam expellens.

II. Arteriæ, & venæ, quarum illæ ſanguinem exceptum ad omnes partes vehunt, hæ vero revehunt.

III. Pulmones, in quibus ſanguis fluxilior, & ad motum progreſsivum, propter aeris preſsionem, magis aptus redditur.

IV. Reliquæ partes tono gaudentes, quæ beneficio *fibrarum*, motum humorum promovent.

Int. Quæ eſt cauſa efficiens hujus motus?

R. Sunt *ſpiritus animales* per nervos à cerebro fluentes, motum partibus ſolidis; & in primis cordi imprimentes, & jugiter continuantes.

Int. Quis eſt finis, ſive uſus circulationis ſanguinis?

R. Uſus circulationis eſt I. ut fluxibilitas, & calor ſanguinis conſervetur.

II. Ut ſordes noxiæ partium ſolidarum abſtergantur, & *fibræ* emolliantur.

III. Ut calore ſanguinis partes ſolidæ continuo foveantur.

IV. Ut partes inutiles omni tempore è ſanguine removeantur.

V. Ut nutrimentum debita proportione partibus apponatur.

VI. Ut vita, & ſanitas conſerventur.

Int. Quid notandum de circulatione ſanguinis?

R.

R. I. Notandum eſt, quo magis lentus eſt circulus ſanguinis, eo tardius etiam procedunt ſecretiones, & excretiones, ac è contra.

II. Quo magis augetur circulus ſanguinis, eo magis increveſcit calor ſanguinis, & partium.

III. Sub fortiori humorum circulo, multæ generantur partes excrementitiæ.

IV. Motus ſanguinis circularis ad partes externas non ſemper eſt æqualis, quod ex vaſorum intumeſcentia, & detumeſcentia colligitur.

CAPUT QUINTUM.

DE SECRETIONE HUMORUM utilium.

Int. QUid eſt lympha?

R. Eſt humor laudabilis ſanguinis maſſæ, primo junctus, poſtea vero in variis organis ſecretus, ex partibus aquoſis, & gelatinoſis conſtans, partium nutritioni dicatus.

Int. In quo lympha differt à ſero?

R. In eo, quod *ſerum* eſt partium excrementitiarum, ad conſervationem corporis inutilium, colluvies: *Lympha* vero eſt omnibus conſentientibus liquor laudabilis, & nutritius.

Int. Ex qua materia fit *lympha*?

R. Ex partibus laudabilibus aquoſis, ad fluxilitatem lymphæ facientibus, ex multis gelatinoſis chyli ſub pinguibus, & ex paucis ſalinis aquoſarum, & pinguium mixtionem promoventibus.

Int. A quo colatorio, ſeu organo ſecernitur lympha è maſſa ſanguinis?

R. Nondum adeò detectum eſt ab Anatomicis; probabiliter tamen ſunt, vel *glandulæ* exiliſsimæ, *vel pori*, tum partium, tum tunicarum *arteriarum* (à quibus probabiliter ſuum habent ortum vaſa lymphatica)

è

è quibus *lympha* in vaſa tenuiſsima, & exiliſsima lymphatica dicta infunditur.

Int. A quibus cauſis movetur lympha per univerſum corpus?

R. I. Movetur à ſanguinis circulatione.

II. *A glandulis conglobatis*, hinc inde in primis vero in *Meſenterio* conſpicuis, quæ beneficio ſuarum fibrarum muſculoſo-nervearum, *lympham* conquaſando, ejus fluxilitatem conſervant, & ſimul per vaſa promovent.

III. Arteriæ, quæ ubique vaſa lymphatica comitantur, & ſuo pulſu, ſeu motu ſyſtaltico, & dyaſtolico, continuo lymphæ curſum facilitant.

IV. Motus partium, quæ alternatim ſe laxando, & contrahendo, vaſa lymphatica, quibus ambiuntur, comprimendo, lymphæ motum promovent.

V. Valvulæ, recurſum *lymphæ* ad partes impedientes, motum vero verſus interiora promoventes.

VI. Ipſa conformatio vaſorum lymphaticorum, dùm in ſuo ortu ſummè anguſta, ſenſimque ampliora redduntur, ad *lymphæ* motum non parum confert.

Int. Quid eſt cauſa efficiens *lymphæ*?

R. Eſt ipſa *natura* corporis conſervatrix, quæ ope mechanicæ ſtructuræ partium, *lympham* ſanguini mixtam, in variis partibus ſeparat, & in peculiaria vaſa receptam, partim in *receptaculum chyli*, partim in vaſis ſanguineis, partim in *ductu thoracico*, & in venam ſubclaviam, eum quidem in finem infundit, ut partibus nutritiis aliquomodo privata iiſdem denuo impregnetur, & novas nutriendi vires acquirat.

Int. Quis eſt uſus limphæ?

R. Deſervit ergo lympha 1. ut partibus gelatinoſo-aqueis partes omnes nutriat, irriget, & in debita fluxilitate conſervet.

II. Ut humoribus aliis nutritiis, lacti, ac ſemini fundamentum præbeat.

CAPUT.

CAPUT SEXTUM.

DE SECRETIONE LACTIS.

Int. QUid eſt lac?

R. Eſt liquor albus, pinguis, ſpiſsioris conſiſtentiæ ex partibus ſeroſo-ſalinis, pinguibus, ac caſeoſis conſtans, in mammis muliebribus ex ſanguine ſecretus, & fœtui nutritioni dicatus.

Int. Quotuplex eſt *lac*?

R. Ratione conſiſtentiæ, aliud eſt *fluidum* magis, & *ſeroſum*, uti *coloſtrum*, aliud magis ſpiſſum.

Ratione ſaporis, aliud magis, aliud eſt minus dulce.

Ratione coloris, aliud eſt pallidum, ad ceruleum colorem tendens, aliud magis album pro temperamentorum diverſitate.

Int. Ex qua materia fit lac?

R. Materia ex qua, eſt lympha multis particulis chyloſis impregnata, id quod partim ex ſapore, partim ex colore, partim ex alimentis multum chyli, & lactis quoque ſuppeditantibus probatur.

Int. Ex quibus probatur, *lac* ex his particulis conſtare?

R. Serum in *lacte*, quod ſit vehiculum reliquarum particularum, à nemine negatur. Quod ex *pinguedine*, ſeu *butiro*, & *caſeo* conſtet quotidiana docet experientia. *Sal* in *ſero lactis* adeſſe, probatur ex eo, quod poſt evaporationem ſe prodit.

Int. Quod eſt organum ſecretionis lactis?

R. Sunt *glandulæ mammarum conglomeratæ*, in quibus ſanguinis partes chyloſo-lymphaticæ à reliquo ſanguine per modum philtrationis ſeparantur.

Int. Quæ eſt cauſa efficiens lactis?

R. Eſt principium vitale, ſive natura, quæ poſt partum ſanguinem partibus nutritiis imbutum, antea ad

uterum, fœtus nutriendi gratia fluentem, partes inferiores, in primis vero *uterum* conſtringendo, verſus ſuperiora, & præcipue ad *mammas* dirigit, ut in illis materia gelatinoſo-chyloſa ſecreta, fœtus nutritioni inſerviat.

Int. Quis eſt uſus lactis?

R. I. Deſervit lac, ut *Coloſtrum* dictum, *Mechonium*, ſive materiam mucoſam in inteſtinis fœtus poſt partum hærentem, partibus ſuis ſeroſo-ſalinis evacuet, & inteſtina abſtergat.

II. Ut infantis nati nutritioni tamdiu, donec alios cibos ferre queat, inſerviat.

Int. Quid obſervandum de *lacte*?

R. I. Obſervandum venit, quod lactis generatio non raro etiam ante partum evenit.

II. *Lactis* effluxus ſpontaneus è mammis gravidarum, ſæpius, vel fœtus debilitatem, vel abortum futurum indicat.

III. Nihil magis lactis generationem impedit, aut generati diſsipationem promovet, quam terror.

IV. Fœminæ ferè ordinariè motum lactis ab axillis ad mammas ſentiunt.

V. Quo rarius infantes mammis apponuntur, eo citius lac diſparere ſolet.

VI. *Lac* anteà copioſum, ſubito diſparens, non raro mortem infantis inſtantem indicat.

CAPUT SEPTIMUM.

DE SECRETIONE SEMINIS.

Int. Quid eſt ſemen?

R. Eſt liquor laudabilis ex optimis, ſive gelatinoſo-chyloſis partibus in teſtibus ſecretus, & in ſpecialiſsimis locis collectus, ut negotio generationis, ſuo tempore neceſſario inſerviat.

Int. Quotuplex eſt ſemen?

R.

R. Quia duplicem ad hominis procreationem requiri ſexum, exinde ſtatuebant veteres, duplex quoque ad generationem hominis requiri ſemen, maris nempè, & fœminæ; è quorum mutua permixtione fœtus formationem in *utero* accipere. Secundum RR. vero *ſemen* muliebre nihil aliud eſſe, quam *ovulum* in ovario muliebri productum, hic enim nos unicè ſermonem inſtituere de eo, quod ſemen, aut ſperma virile ab AA. & RR. ſemper vocatum fuit.

Int. Quotuplex eſt ſemen virile?

R. Ratione quantitatis duplex eſt, nam in aliis in majori, in aliis in minori copia generatur. Reſpectu conſiſtentiæ, in aliis magis, in aliis minus fluidum eſt.

Int. Ex qua materia fit ſemen?

R. Ex ſubtiliori lymphatico-chyloſa ſanguinis parte; quod exinde apparet, quia cibi multum chyli laudabilis continentes, ſeminis generationem, ſi modo partes ſunt legitimè conſtitutæ, admodum promovent; è contra vero, ſeminis productio impeditur.

Int. Quod eſt organum ſecretorium ſeminis?

R. Sunt teſtes, & quidem ſpecialiter eorum *ſubſtantia glanduloſo-vaſculoſa*, ſive congeries vaſculorum tenuiſsimorum, miro ordine complicatorum, ex *arteriis* ſpermaticis prodeuntium, in quibus ſcilicet vaſculis, ex lympha per *arterias ſpermaticas* infuſa, *ſemen* elaboratum, & per miram illorum vaſculorum longitudinem latum, majus adquirit robur.

Int. Quo ætatis anno *ſemen* generatur?

R. Poſt annum decimumquartum, ubi corpora incipiunt aliquomodò tardius in longum, latumque expandi, atque augeri.

Int. Quid notandum de ſemine?

R. I. Semen quo magis acre, & calidum eſt, eo magis etiam ad venerem ſtimulat, & è contra.

II. Quo magis proni ſunt homines ad venerem, eo major etiam ſeminis, cæteris paribus, eſt proventus.

III. Quo magis pendulum, & flacidum eſt ſcrotum,

eo minor etiam ſeminis generatur quantitas.

IV. Teſtes inſigne corpori robur conciliare, exinde patet, quod animalia caſtrata tanto vigore non polleant, ac non caſtrata.

CAPUT OCTAVUM.

DE SECRETIONE SALIVÆ.

Int. Quid eſt humor ſalivalis, ſeu *ſaliva*?

R. Eſt liquor laudabilis in variis glandulis, tam in ore, quam circa illud poſitis, ſecretus, ciborum digeſtioni, & reſolutioni dicatus.

Int. Quotuplex eſt ſaliva?

R. Multiplex, nam alia eſt ſatis fluida, in primis, quæ ex glandulis *ſublingualibus*, *maxillaribus*, & *Parotidibus* fluit. Alia minori fluxilitate gaudet, ut ſaliva glandularum *buccarum*. Alia denique ſpiſsior eſt, qualis eſt ſaliva *tonſillarum*.

Int. Ex qua materia fit ſaliva?

R. Saliva componitur, vel fit ex particulis aqueis ſubtilioribus, lymphatico-gelatinoſis, ſalinis ſubtilioribus, quibus probabiliter adjunguntur aliæ ſulphureæ volatiles.

Partes aquoſæ in inſigni quantitate, reliquis vehiculum præbentes, apertè videmus in ſaliva, apparentibus lymphatico-gelatinoſis, poſt ejus leniorem evaporationem, eodemque etiam modo ſalinis prodeuntibus.

Longè magis autem hoc patefit ab illo effectu, quem præſtat ſaliva reſpectu ciborum, ac ingeſtorum in *ventriculo*, quæ mediante illa intimè diſſolvuntur, & quoad colorem, odorem, ſaporem, conſiſtentiam, atque texturam, ipſamque virtutem planè immutantur, ut priſtinam penitus amittant formam, nec unquam illam iterum induere valeant: hanc enim ob rationem cibis ſtatim ſub maſticatione, & deglutione illo-

illorum admiſcetur à provida natura ſaliva, tamquam menſtruum ſolvens in corpore humano univerſale, & naturale, & hunc finem manifeſtat ipſe effectus, in eo ſeſe patefaciens, quod non modo ſub ipſo actu hujus fermentationis in ventriculo idem contingat, quod in alia fermentatione artificiali contingere ſolet.

Materiæ nempè fermentandæ, aut fermenteſcentis expanſio, & turgeſcentia, quaſi in bullas aſcendentes, de quo teſtatur ventriculi inflatio, ructuumque aſcenſio, & eructatio ſaporem, & odorem ingeſtorum tunc temporis retinens, ac referens: ſed quod etiam poſt actum hunc fermentatorium in ventriculo abſolutum effectus fermentationis generalis deprehendatur in reliquiis per tranſitum materiæ in acceſcentiam, ad modum aliorum fermentorum, quæ ordine in acceſcentiam, gradu tamen, aut indole ſpecifica differentem, tranſire ſolent: & tandem, quod facta tali ſolutione partes utiles ab inutilibus, & excrementitiis, faciliori negotio, ad mota enchyreſi, extrahantur, & ſeparentur: id quod apparet poſt ciborum coctionem in elaboratione, & extractione chyli, qui tandem productum illud novum conſtituit in duodeno, & reliquis inteſtinis tenuibus, aut rectius dicendo, ſub majori perfectione, in *vaſis lacteis* conſpiciendum.

Int. Saliva ſolummodò ſecernitur à glandulis in ore poſitis?

R. Non enim negandum eſt, humorem ſalivalem quoque in *æſophago*, ejuſque glandulis, & in *duodeno* è glandulis à *Brunero* detectis ſecerni, eumque in finem, & ibi affundi, ut partim ſufficiens ubique pro neceſsitate adſit ipſius quantitas, partim aliquatenus ſaliva ex ore ad ventriculum defluens, ibi à ciborum ſucco accedente forſam alteretur, ejuſque efficacia infringeretur, ut huic defectui per novam illius acceſsionem ſuccurratur.

Int. Quid eſt uſus ſalivæ?

R. Eſt multiplex I. ut inſerviat ciborum reſolutioni in ore.

II. Ut promoveat deglutionem.

III. Ut interiora oris humectet.

IV. Ut linguæ volubilitatem conſervet, & loquelæ inſerviat.

V. Ut papillas linguæ nerveas humectando, guſtum promoveat.

Int. Quid notandum venit de ſaliva?

R. I. Saliva tempore maſticationis, & deglutionis majori copia ad oris cavitatem fluit.

II. Idem major fluxus etiam ſub aſpectu alimentorum gratorum, aut audito ſaltem interdum eorum nomine obſervatur.

III. In infantibus dentientibus *ſaliva* in inſigni copia affluens, *gingivas* emollit, & dentitionem promovet.

IV. Quo magis glutinoſa, ſeu viſcida eſt ſaliva, eo minus ad ciborum reſolutionem, alioſque uſus eſt apta.

CAPUT NONUM.

DE SUCCO PANCREATICO.

Int. Quid eſt Succus *Pancreaticus*?

R. Eſt liquor limpidus, ſalivalis in Pancreate ex ſanguine arterioſo ſecretus, & in Inteſtinum Duodenum, vel jejunium infuſus, ciborum ulteriori reſolutioni, & digeſtioni inſerviens.

Int. Quibus in ſubjectis humor pancreaticus majori generatur copia?

R. Major generatur copia in ſubjectis humidioribus, quam in ſiccioribus, & quamvis eum continuo ad inteſtina fluere probabile ſit, videtur tamen tempore digeſtionis majori quantitate effundi in inteſtina.

Int. Quis eſt origo Succi Pancreatici?

R. Eſt *Pancreas*, ſeu ejuſdem glandulæ variæ. Viæ ve-

vero per quas ſuccus excernitur in *Inteſtinum Duodenum*, ſunt ductus minores in majorem terminantes, qui Vverſumgianus vocatur.

Int. Quæ eſt cauſa efficiens ſucci *Pancreatici*?

R. Eſt *natura*, quæ conſervationi corporis intenta, ope ſucci *Pancreatici* è Pancreate mediantibus fibris glandularum motricibus expreſsi, ciborum ulteriorem reſolutionem peragit, ut Chylus eo commodius vaſa *lactea* ingredi queat: extra vero illud tempus inteſtinorum fibras emollit, ac *motum peryſtalticum* promovet.

Int. Cujus ſaporis eſt ſuccus *Pancreaticus*?

R. Experimenta diverſorum Anatomicorum libenter demonſtrant, quod naturaliter habet aliqualem aciditatem, modice ſcilicet eminentem, ſicque juxta horum obſervationes dici poteſt, quod eſt liquor *acido-ſalſus*, ſicut *Regnerus de Graaf* eum invenit ſæpiſsime.

Int. Quis eſt uſus ſucci pancreatici?

R. Succus Pancreaticus I. deſervit, ut cibos in ventriculo jam reſolutos, ulterius diluat, & digeſtionem augeat.

II. Ut Bilis Cyſticæ, tempore digeſtionis ad inteſtina fluentis acrimoniam temperet.

III. Ut inteſtina extra tempus digeſtionis emolliat, & lubrica reddat, ac hoc ipſo fæcum alvinarum excretionem adjuvet.

CAPUT DECIMUM.

DE BILE.

Int. QUid eſt *bilis*?

R. Eſt humor è maſſa ſanguinea ſeparatus, ſapore amarus, colore flavus, rufus, aut pallidus è partibus ſulphureis, oleaginoſo-pinguibus, alcalino-ſalinis, & aqueis compoſitus.

Aquoſas partes demonſtrat ipſius bilis fluiditas, & ut ipſa evaporatio, aut diſtillatio, ſub qua partes aquoſæ viſibiliter ſecedunt, relictis reliquis.

Sulphureum pingue principium *bili* ineſſe comprobat ipſius inflammabilitas, & ſolutio in *Spiritu Vini*, ſi inſpiſſata fuerit.

Alcalinum vero principium evincunt varia experimenta. I. Bilis ad conſiſtentiam extracti inſpiſſata, facilius, & quoad plurimam partem aqueo ſolvitur menſtruo.

II. *Bilis* non modo ante inſpiſſationem effervеſcit cum acidis concentratioribus, v.g. *oleo vitrioli*, & *ſpiritu nitri acido*: ſed ſi inſpiſſata aqua denuo ſolvatur, hæc etiam ſolutio cum iiſdem acidis effervеſcit.

III. Syrupos cæruleos virore tingit.

IV. Cum aliis concretis alcalino-pinguibus ſaponariis eamdem poſsidet virtutem abſterſoriam.

V. Accenſeri poteſt contemperatio *bilis* per acida blandiora.

Int. *Bilis* in conſtitutione naturali conſtat etiam principio ſalino acido?

R. Notiſsimum eſt, ſalem ſulphuris pro acido haberi; & cum *bilis* in ſua mixtione naturali conſtet de principio ſulphureo, inde eſt, quod etiam conſtat de principio acido. An vero hoc acidum mereatur, ut propter ipſius admixtionem, quantitate paucam, bilis acida debeat deprædicari, merito dubitandum eſt, cum à poſteriori fiat denominatio.

Int. Quod eſt organum ſecretorium *bilis*?

R. Eſt *Hæpar*, & in primis ejus *acini glanduloſi*, ſeu *vaſculoſi*.

Int. Ad quid confert ſecretio bilis à ſanguine?

R. Secretio *bilis* neceſſaria exiſtit, ut ſanguis hinc purior redditus, uſibus noſtri corporis tanto melius inſerviat. Partes *ſulphureæ*, *pingues*, & *oleoſæ* tamquam maximam partem *bilis* conſtituentes, una cum ſalinis, ſi in copia generentur, & diutius ſi in maſſa ſanguinea manerent, hujus mixtioni nociruræ eſſent; dum

dum partim acrimoniis ſalinis, partim ſulphureis, & hinc pendentibus commotionibus inteſtinis orgaſmicis, nimiæ ſanguinis tenuitati, variiſque aliis ex hoc capite fluentibus incommodis anſam præberent: Cum tamen ſanguis noſter, ſi laudabilis, & verè bonus exiſtere debeat, abſentiam talis modi partium æthe-rogenearum copioſarum requirat, ut corpori noſtro, ſub ſuo tranſcurſu, debitum nutrimentum largiri poſſit.

Int. Quotuplex eſt *bilis*?

R. Duplex alia eſt *Hæpatica*, quæ diluta coloris minus ſaturati, & ſaporis non adeò acris, & amari eſt, ac continuo per ductum *Hæpaticum* ad inteſtina partim, partim vero per ductus *Cyſtepaticos* ad veſiculam felleam fluit.

Alia eſt *Cyſtica*, quæ craſsioris conſiſtentiæ, coloris ſaturati, inſigniter amara, ac non niſi certo tempore, digeſtionis ſcilicet, contracta *veſicula fellea*, & concurrente ventriculi cibis repleti, preſsione, in inteſtina expellitur, & cibis ſemidigeſtis admiſcetur.

Int. Bilis generatur in Hæpate, vel potius in ſanguine prævié generata, per glandulas *Hæpatis* á reliqua maſſa ſeparatur?

R. Veroſimillimum eſſe *bilem* in hæpate verè, & propriè generari, nempè ex materia in ſanguine præviè diſpoſita: quod evidenter conſtat ex eo quod ſanguis naturaliter non amaricat; amaricaret autem ſi *bilis* formaliter talis eidem foret intermixta; ſolummodo vero ejus particulæ materiales naturaliter per ſanguinem ſunt diſperſæ, quibus ſingulis ſeorſum deſit formalitas, ſeu eſſentia bilis: hæc vero non reperitur niſi in omnibus particulis ſimul unitis, quod efficit Hæpar ratione ſui mechaniſmi, ſeparando eas à ſanguine, & debite in ſuis ductibus miſcendo.

Int. Ad quid deſervit ſecretio bilis?

R. I. Deſervit, ut partes ſulphureo-ſalinæ ſuperfluæ, craſsym humorum vitalium turbantes, removeantur, & expellantur.

II.

II. Ut cibi ſemidigeſti, & ad corruptionem proni per partes *bilis* ſalino-ſulphureas à putredine *in inteſtinis* præſerventur.

III. Ut faciliter diſtributionem chyli, quoniam ſua virtute abſterſoria inteſtinorum tenuium etiam tunicam villoſam, quotidie abſtergit, mundificat, ejuſque poros patulos conſervat, ut chylus elaboratus, in oſcula *vaſorum lacteorum* facilius intret. Demum ſua acrimonia ſalina, qua inteſtinorum tunicam nerveam ſtimulat, fœcum excretionem promovet, ut hoc reſpectu naturalis clyſter nominari mereatur.

Int. Quid obſervandum de *Bile*?

R. Sequentia: I. *acida*, & *nitroſa* bilis uberiorem generationem impediunt, ejuſque acrimoniam temperant.

II. Acria, oleoſa, ac aromatica multum præbent *bilis*.

III. Cholerici, majorem bilis copiam producunt, quam reliquorum temperamentorum ſubjecta.

IV. *Bilem* non ingredi cum chylo in vaſa lactea probat hujus albedo, & dulcedo.

CAPUT UNDECIMUM.

DE SERO SANGUINIS.

Int. QUid eſt ſerum?

R. Eſt colluvies, & mixtura variarum partium excrementitiarum, & inutilium è tota maſſa humorum ſecedentium.

Int. Ex quibus partibus componitur ſerum?

R. In ſero enim concurrunt partes aquoſæ, tenuiores, ſalinæ, mucidæ, & acres bilioſæ pingues, quæ omnes inter ſe mixtæ cohærent, ut aquoſa tenuis portio maximam, atque primariam mollem conſtituat, cui inhærent paulò minus ſalinæ, adhuc minus mucidę, & minimum ſulphureæ acris ſubſtantiæ.

Int. Quæ eſt materia ſeri?

R.

R. Sunt alimenta tam eſculenta, quam potulenta, & humores corpus conſtituentes.

Int. Serum, & lympha ſunt eadem res?

R. Lympha, & ſerum non idem eſſe, ſed humores diſtinctos conſtituere: Lympha enim naturaliter conſtituta gelatinoſa eſt, inſipida, ac dulcis, tantam continens aquoſitatem, quanta requiritur pro fluore ipſius conſervando: Serum vero, quod excrementitium vocamus, quando à reliqua humorum maſſa ſecretum excernitur, ſaporis ſalſi, & conſiſtentiæ longe tenuioris exiſtere, cum odore etiam aliquando gravi.

CAPUT DUODECIMUM.

DE SECRETIONE URINÆ.

Int. QUid eſt urina?

R. Eſt excrementum ex ſeri craſsioribus partibus aquoſis, & ſalino-terreſtribus, pauciſque ſulphureis conſtans, in renibus ſecretum, & per vias urinarias excretum.

Int. Quotuplex eſt urina?

R. Secundum aliquos, duplex eſt, alia eſt ſanguinis, quando ſcilicet partes ſeroſæ ſanguinis ſufficiente ſalino-terreſtrium, ac ſulphurearum particularum quantitate impregnatæ, & hinc ſub citrino colore ſecernuntur, & per vias ordinarias excernuntur.

Alia potus, quando poſt largiorem potum maſſam ſanguineam ad modum diluentem, urina limpida aquoſa, & partibus excrementitiis minus imbuta, majori copia, & frequentius excernitur. Vel quæ ex prima regione per ſpeciales vias ad veſicam urinariam fertur.

Int. Ex qua materia fit urina?

R. Materiam urinæ conſtituunt, I. partes ſeroſæ in majori quantitate, quæ reliquis vehiculum præbent, quibus admixtæ ſunt. Salino-terreſtres, teſte chymia ſapore, & *tartaro* matularum. II. Salino-volatiles, teſti-

tibus itidem ſenſibus, & chymia. III. *Sulphureæ*, quas color, odor, & reſolutio chymica probant.

Int. Quod eſt organum ſecretionis urinæ?

R. Sunt *Renes.*

Int. Ad quid ſecretio, & excretio urinæ?

R. Ad hoc ut corpus à partibus ſeroſis, tam ex ſanguinis continua conquaſſatione natis, quam à potu nimio originem trahentibus, & ſanguinem nimis diluentibus, liberetur. Et ut partes *ſalino-ſulphureæ*, ac terreſtres ad obſtructiones generandas aptæ, & hinc œconomiæ vitali contrariæ è corpore expellantur.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

DE SECRETIONE MUCI.

Int. QUid eſt mucus?

R. Eſt excrementum ut plurimum album; conſiſtentiæ ſpiſsioris ex aquoſis terreo-ſalinis, & mucido pinguibus particulis conſtans, in variis locis ſecretum, & in certas cavitates infuſum.

Int. A quibus ſumuntur differentiæ muci?

R. A conſiſtentia, & à loco. A conſiſtentia, alius eſt magis fluxilis, alius vero magis ſpiſſus eſt. A loco, alius in *capitis* variis partibus, alius in *ventriculo*, & *inteſtinis*, alius denique in *veſica* generatur.

Int. Ex qua materia generatur?

R. Materia muci ſunt partes *terreo-ſalinę*, *mucido-pinguibus* immerſæ, quibus *aquæ* portio diverſa, pro majori, vel minori muci ſpiſsitudine, admixta eſt.

Int. Quod eſt organum ſecretorium muci?

R. Sunt *membranæ glanduloſæ* narium, ac ſinuum *Sphenoideorum*, *Ethmoideorum*, & *Frontalium*. Glandulæ *ventriculi*, *inteſtinorum*, & veſicæ mucum talem continuo ſecernentes.

Int. Ad quid à natura fit talis ſecretio?

R. Ut fluxilitas ſanguinis ad ſecretiones neceſſaria con-

conſervetur, ut viſcerum ſecretoriorum obſtructiones præcaveantur; & ut narium *membrana mucoſa*, tali materia obducta, ab injuriis externis, *ventriculus* vero, inteſtina, ac veſicæ tunica à læſione muniantur.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

DE HUMORE, SEU AQUA Pericardii.

Int. QUid eſt aqua Pericardii?

R. Eſt humor collectus in capſula membranacea cor cingente, eſtque ſubſtantiæ admodum tenuis, ac ſeroſæ, ſaporis ſubſalſi, coloris limpidi, ſæpiuſque cum pauca flavedine.

Int. Quod eſt organum ſecretorium humoris Pericardii?

R. Scaturigo hujus humoris valde obſcura eſt, atque in tenebris latitans: veroſimilius tamen multi ſuſpicantur humorem Pericardii ſeparari per poros glandularum minorum *Thimi*, atque ex ipſo per exiguos ductus, excretorios deferri in cavitatem Pericardii.

Int. Quis eſt uſus humoris Pericardii?

R. Eſt *cor* humectare, & lubricare, adeòque facilitare ejuſdem continuum motum.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

DE SPIRITIBUS.

Int. QUid eſt Spiritus?

Eſt ſubſtantia corporis humani valde ſubtilis, valdeque apta ad motum, præcipuum ratione activitatis, in functionibus peragendis inſtrumentum.

Int. Sunt ne ſpiritus corporei?

R.

R. Quod ſic; dicuntur vero in corporei, quia per ſe non cadunt ſub ſenſu aliquo externo.

Int. Dantur ne ſpiritus?

R. Dantur, & probatur, I. per actiones animalium ſolis ſpiritibus adſcribendas: II. per hominis vires, *deliquia*, *vertigines*, *paralyſes* in ſpiritibus benè, vel malè diſpoſitis conſiſtentes: III. ex ſubitanea in defatigatis refectione ab aſſumptis liquoribus ſpirituoſis, puta à vino, ejuſque ſpiritu: ex quo colligitur, defatigationem præcipuè contingere ob deperditionem alicujus materiæ ſubtilis ad operationes requiſitæ, qualis apud Medicos eſt ſpiritus.

IV. Per auctoritatem Hyppocrat. qui *6. Epidem.* 8. aſſerit: *Tria eſſe, quę corporis noſtri compoſitionem conſtituunt, continentia, contenta, & impetum facientia,* (ſeu ſpiritus) ut probat tota Medicorum rationalis Schola.

Ultimo tandem probatur ab experientia: etenim ligato, vel abſciſſo *nervo* alicujus partis; taliter, ut ſpiritus non poſsit ad illam venire, perit illico ejus motus, & ſenſus. Hoc malè imputatur abſentiæ alicujus irradiationis à *cerebro* in partes illas, vel indebitæ tenſioni ſolidi; quoad primum, quia illa vel eſt res corporea, vel non: ſi prius, habes jam ſpiritum, nam debet illa eſſe tenuiſsima, & agitatiſsima: ſi poſterius, non apparet, quare ligato nervo motus, & ſenſus perirent; ſpiritualia enim, quia carent extenſione, nulla re corporea impediuntur.

Quoad ſecundum vero, quia ligatura, nec dirimit continuationem ſolidi, nec impedit communicationem motus ab uno, ad alterum extremum, ut evenit *chorde* Muſicæ tenſæ in inſtrumento muſico, quæ licet fortiter ligetur, ligatura minimè tollit communicationem motus vibrationis ab uno ad aliud extremum, ſicque fit ſonus licet chorda ſit ligata, dummodò in tota ſua longitudine nulli parti adhæreat, quod minimè evenit nervis, nam à principio uſque ad eorum finem, quam plurimis partibus uniuntur. Qui plu-

plura circa hoc negotium deſiderat, legat meum Scrutinium.

Int. Quotuplex eſt ſpiritus?

R. Duplex, *vitalis*, & *animalis*.

Int. Quomodo? & ubi ſpiritus generantur in humano corpore?

R. Juxta AA. vitales generantur in ſiniſtro cordis ventriculo; animales vero in cerebro ex ſubtili ſanguine, & aere per nares attracto. Juxta RR. vero in corde, & in omnibus arteriis, à peculiari fermentatione, & turgeſcentia particularum *ſulphureo-ſalinarum* ſanguinis, & nitroſarum aeris. Vel juxta alios à ſanguineo *ſulphure*, & ab inſpirato *aere* nitroſo incenſo, flammulam vitalem conſtituente. Animales enim illi dicuntur, qui à ſanguine in *cerebro* ſegregati ſunt, ſive inexiſtant in *cerebro*, ſive in nervis, aliiſque functionum organis.

Int. Spiritus animales ſunt magis defœcati, & perfectiores, quam vitales?

R. Quod ſic, nam ſpiritus vitales, dum à ſanguine ſeparantur in ſubſtantia corticali *cerebri*, accedente veriſimiliter aliqua perfectione, fiunt animales: & viciſsim hi munere ſuo functi, pro parte rurſus deferuntur ad ſanguinem, fiuntque denuo vitales.

Int. Quibus nominibus ab Auctoribus inſignitur ſpiritus vitalis?

R. Ab aliquibus vocatur, *Lampas*, vel *flammula*, ſeu *igniculus lucidus*, & *luminoſus vitalis*, *Architectus corporis*: ab Helmontio dicitur, *Archæus*, & *Blas humanum*: à Bartolino, *ſpiritus vitæ*, ſeu *vivificus*, ſeu *Lux animalis*: ab Ariſtotele, *quinta eſſentia elementorum*: à Theophraſto, *vitale principium*: ab Hippocrate, *calidum innatum*: à Chymicis, *balſamum*, & *ſulphur vitæ*.

Int. Cur ſpiritus dicitur vitalis?

R. Dicitur vitalis, non quatenus vivit, ſed quatenus una cum ſanguine eſt immediatum inſtrumentum activum, & conſervativum omnium actionum vitalium, ſi ſenſum, & motum excipias.

Int.

Int. Ex qua materia fiunt ſpiritus vitales?

R. Præter ſanguinis, & chyli ſubtiliſsimam portionem, eſſe ſubtilem quoque aeris inſpirati portionem.

Int. Quæ eſt cauſa efficiens ſpiritus vitalis?

R. Eſt motus fermentativus chylum, & ſanguinem reſolvens: nam conſtat ex chymia, per fermentationem, corpus quoddam ſubtile tertium confici.

Int. Differt ſpiritus animalis à vitali?

R. Eſſentia non differunt, differunt tamen ratione ſubtilitatis, quia animalis ſubtilior eſt vitali: iſte circulationem ſanguinis, & calorem ſuppeditat, ille potiſsimum præeſt ſenſui, & motui.

Int. Dantur ne ſpiritus naturales?

R. Non dantur tales ſpiritus conformiter ad AA. doctrinam, qui ſtatuebant, hos ſimul cum ſanguine in Hæpate generari. Non tamen incongruum videtur, ſi ſpiritus in *cerebro* ſequeſtrati dividantur in *animales*, & *naturales* conformiter ad functiones, quas efficiunt, ſed hæc loqutio eſt inuſitata, quia putantur, omnes ſpiritus indifferentes eſſe ad hanc, illamve functionem efficiendam.

Int. Diviſio ſpirituum animalium ab AA. in *motorios*, & *ſenſorios*, atque horum rurſus in *viſorios, auditorios*, *&c.* retinenda eſt conformiter ad functionem, quam exercent?

R. Omnes hæ diviſiones exploduntur à RR. qui ſubſtinent, unicos eſſe ſpecie ſpiritus ad omnes functiones peragendas aptos: diverſitas autem actionum pendet à diverſitate organi, ad quod ſpiritus confluunt; ſicque ſi idem ſpiritus animalis confluit ad organum motus, efficit *motum*, ſi ad organum ſenſus, *ſenſum*, ſi ad organum viſus, *viſum*, *&c.*

Int. A quibus ergo cauſis excitatur confluxus *ſpirituum* animalium ad organa ſenſus, & motus?

R. A quam plurimis, I. *ab animæ imperio* (ab Auctore naturæ talem legem eſſe poſitam inter *animam*, & *ſpiritus* animales benè conſtitutos, ut ad ipſius velle, mox

mox influant, quod ipſa vult, abſque eo, quod illos protrudat, quod à re ſpirituali habere non poteſt) eſtque iſte motus, vel lenis, vel vehemens pro arbitrio animæ.

II. *Ab animi pathematibus*, in quibus ſæpè videmus involuntariè rotari *oculos*, tremere corpus ultra modum, rubeſcere, aut palleſcere faciem, &c.

III. *Ab irritatione*, ſive ab eo, quod quædam res validiús impingat in nervos, iiſque mediantibus, motum imprimant ſpiritibus, qui hoc ipſo, abundantiús irruunt in eoſdem nervos; ut dum per ſuppoſitoria acria, augetur motus peryſtalticus inteſtinorum.

IV. *A naturali protruſione*: ſeparantur enim *ſpiritus* in cerebro, per hoc quod cum motu ſanguinis deferantur ad ejus ſubſtantiam corticalem, & illi, qui recta impingunt in hujus poros, eos pertranſeant, ſuumque motum in fibras medullares continuent: unde neceſſe eſt, ut protrudant alios ibidem exiſtentes, atque ab aliis advenientibus protrudantur. Eſtque iſte motus ſpirituum indifferens, & tardior, & ex quo omnium *muſculorum* æqualis, & *tonica* ſemper tenſio, peryſtalticus inteſtinorum motus, & alii quam plurimi (qui non cadunt ſub imperio voluntatis) dependent.

Int. Eſt eadem ſcaturigo, ex qua omnes *ſpiritus animales* profluunt ad partes?

R. Non, nam ad motus voluntarios, *ſpiritus animales* proveniunt à *cerebro*: ex *cerebello* vero potiſsimum veniunt *ſpiritus* inſervientes actionibus non voluntariis. Hinc habe rationem, quare in Appoplexia à vitio *cerebri* non pereant *pulſus*, & *reſpiratio*, quia tunc profluunt *ſpiritus* à *cerebello*, in quo non datur multoties vitium.

Int. Conferunt ne *ſpiritus animales* pro nutritione?

R. Conferunt etiam ad nutritionem partium, ſeparando non nihil earum fibras, & pororum latera à ſe invicem, ſicque ſanguini viam ſternendo.

Int. Retinenda eſt diviſio ſpirituum in *inſitos*, & *influentes*?

R. Hæc diviſio omninò caret fundamento, quia implicat dicere, ſpiritum inſitum, & à prima generatione partibus ſolidis perpetuò inexiſtentem auxilio ſpiritus influi, operationes ſuas peragentem. Si vero per influentem intelligatur ille, qui à partibus principibus in cæteras corporis partes promanat, & per inſitum ipſe influens, dum jam pervenit ad terminum operationis, non requirendo, ut partibus firmiter inhæreat, unituſque ſit; tunc diviſio illa retineri poteſt: Et ſic ſpiritus, qui hoc momento efficit motum muſculorum, quatenus ipſis muſculis inhæret, dici poteſt inſitus; qui vero per nervos fluit ad muſculos, appellandus eſt influens, & dùm ova fæcundat genitalis dici ſolet.

Int. Quid eſt ſpiritus genitalis?

R. Eſt corpus ſubtile, elaſticum, & maximè activum, tam ſeminis maſculini, quam colliquamenti ovi, ex ſpiritu vitali, & animali conflatum, ut ſit primaria cauſa generationis efficiens.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

DE FACULTATIBUS.

Int. Quid eſt *Facultas*?

R. Eſt cauſa proxima actionis effectiva.

Int. Quotuplex eſt facultas?

R. Juxta AA. triplex eſt, animalis, vitalis, & naturalis.

Int. Quid eſt facultas animalis?

R. Eſt illa, quæ operatur præcedente ſpecie.

Int. Quotuplex eſt?

R. Duplex, *princeps*, & non *princeps*: illa eſt *ratione cujus non princeps operatur*: hæc vero, *quæ operatur ratione principis.*

Int.

Int. Quotuplex eſt facultas animalis princeps?

R. Triplex, *imaginativa*, *ratiocinativa*, & *memorativa*.

Int. Quid eſt facultas imaginativa?

R. Eſt potentia, quæ ex præcedentibus ſpeciebus aliam format ſpeciem.

Int. Quid eſt ratiocinativa?

R. Eſt potentia, quę percipit objectum, ut conveniens, aut diſconveniens.

Int. Quid eſt facultas memorativa?

R. Eſt potentia ſpecierum conſervativa.

Int. Quotuplex eſt facultas animalis non princeps?

R. Duplex, *ſenſitiva*, & *motiva*.

Int. Quid eſt facultas ſenſitiva?

R. Eſt potentia, qua ſentimus.

Int. Quotuplex eſt?

R. Quintuplex, *viſiva*, *auditiva*, *odorativa*, *guſtativa*, & *tactiva*.

Int. Cur facultas ſenſitiva eſt quintuplex?

R. Quia quinque ſunt inſtrumenta, quibus hæc facultas utitur.

Int. Quotuplex eſt ſenſus?

R. Duplex, *Communis*, & *particularis*.

Int. Ubi reſidet ſenſus communis?

R. In *corpore calloſo cerebri*: particularis vero in unoquoque ſenſuum organo.

Int. Quid eſt facultas motiva?

R. Eſt potentia, qua animal varias ſui corporis partes movet.

Int. Quid eſt facultas vitalis?

R. Eſt illa *vis generativa ſpirituum vitalium; qui neceſſarii ſunt ad actiones.* Sed melius *eſt illa, quæ alimentorum præparationem ultimò perficit, eaque diſtribuit in animalibus quidem perfectioribus per pulſum: In imperfectis vero hæc peraguntur per functiones partium illis partibus analogarum.*

Int. Quotuplex eſt facultas vitalis?

R. Duplex, *princeps*, & non *princeps*: illa eſt, *quæ*

generat ſpiritus vitales; hæc eſt *virtus pulſifica.* Malè facultas vitalis ab AA. ſic dividitur, quia hæc facultas non reſidet in *corde*; *ſpiritus* autem *vitales* à ſolo motu fermentativo, & circulari ſanguinis generantur; cor vero ab influxu ſpirituum animalium pulſat, ſeu movetur, & non à virtute ſibi inſita.

Int. Quid eſt facultas naturalis?

R. *Eſt potentia actionis vitalis proximè electiva, media forma naturali, ut inſtrumentum.* Sed melius *eſt potentia, quæ potiſsimùm primæ alimentorum præparationi incumbit, & in ore, ventriculo, inteſtinis, aliiſque partibus in infimo ventre contentis, ſuas functiones obit.*

Int. Quotuplex eſt facultas naturalis?

R. Vulgo ab AA. dividitur *in principem*, & *non principem.*

Int. Quotuplex eſt princeps juxta horum ſententiam?

R. Triplex, *generativa*, *vegetativa*, & *nutritiva.*

Int. Quid eſt facultas generativa?

R. *Eſt ea vis, qua quodlibet animal ſibi ſimile generat.*

Int. Quid eſt facultas vegetativa?

R. *Eſt illa virtus, cujus ope corpus animalis alimentis convenienter præparatis; & diſtributis; non ſolùm ad certos uſque incrementi terminos augetur, ſed etiam aliud corpus, aut alia corpora, eidem corpori ſimilia, generantur.*

Int. Quid eſt facultas nutritiva?

R. *Eſt potentia, qua corpus nutritur, hoc eſt, ad certos incrementi terminos augetur, aut in certo ſtatu conſervatur, ejuſque decrementum impeditur.*

Int. Quotuplex eſt facultas naturalis non princeps?

R. Multiplex, videlicet, *retentiva*, *concoctiva*, *ſecretiva*, *excretiva*, *diſtributiva*, *aſsimilativa*, & *unitiva*: hæc ſunt principia, aut cauſæ, quibus alimentum intra corpus animalis aſſumptum retinetur, coquitur, ejus excrementa excernuntur, quod utile eſt diſtribui-

buitur, partibus nutriendis aſsimilatur, ac tandem unitur. Hæ facultates vocantur communiter miniſtræ facultatis nutritivæ, ſed meliùs dicuntur partes illius conſtitutivæ; ex illis enim ſimul ſumptis emergit facultas nutritiva, illarum omnium actionibus nutritio perficitur.

Int. Quotuplex eſt facultas juxta RR.?

R. Duplex, *materialis*, & *immaterialis.*

Int. Quid eſt facultas materialis?

R. Eſt illa, vi cujus actiones materiales dependenter ab organis corporis exercentur.

Int. Quotuplex eſt facultas materialis?

R. Duplex, *vegetativa* ſcilicet, quæ vegetativas, & *ſenſitiva*, quæ ſenſitivas actiones exercet.

Int. Quid eſt facultas immaterialis, ſeu *ſpiritualis*, ſeu *rationalis*?

R. Eſt illa, vi cujus ſpirituales actiones, & quidem in ſe independenter ab organis peraguntur.

Int. Ergo tot facultates ab AA. aſsignatæ, ſunt ſuperfluæ?

R. Omninò: nam ad *operationes vitales*, & *naturales merè materiales* peragendas in partibus corporis noſtri, præter *animam* informantem, nihil aliud requiritur præter diſpoſitiones in inſtrumentis neceſſarias, ut functiones rectè procedant, ſeu illæ ſe teneant ex parte *ſtructuræ organicæ*, ſeu ex parte *temperamenti*, & mixtionis elementorum in partibus ſolidis, ſeu ex *humorum*, & *ſpirituum* conſtitutione dependeant. Ad immateriales vero actiones, niſi vis animæ noſtræ rationalis nihil poſtulatur.

Int. Eſt ne Medico neceſſarium has animæ vires conſiderare?

R. Non, ſed tantum neceſſe eſt, animam rationalem, ut cauſam primam omnium corporis noſtri actionum vitalium ſupponere, quatenus hæc non tantum rationalem, quam ſenſitivam, & vegetativam vim in corpore habet.

Int. Quid ſentiendum de dictis *animæ facultatibus*, an

an illæ ab hac, & inter ſe diſtinguantur realiter, an vero non?

R. Facultas immaterialis animæ non diſtinguitur ab anima rationali: materialis vero facultas realiter ab ipſa diſtinguitur; ſicuti etiam diſtinguntur in ſe hæ facultates.

Int. Quid in noſtro corpore eſt *functio*?

R. Eſt actio, vi animæ in nobis contingens.

Int. Quotuplex eſt functio?

R. Duplex, *materialis*, quæ dependenter ab organis noſtri corporis, tamquam inſtrumentis ſine quibus non conficitur: vel *immaterialis*, quæ ab anima rationali fit independenter ab organis.

Int. Quotuplex eſt actio materialis?

R. Materialis actio dividitur in actionem *vegetativam*, ſeu *vitalem*, ſub qua *chylificatio*, *ſanguificatio*, *nutritio*, *auctio*, & *generatio*; ſub his rurſum aliæ functiones comprehenduntur, ſcilicet *attractio*, *retentio*, *concoctio*, *& expulſio*, & reſpectu generationis, *alteratio*, & *formatio*.

Int. Quotuplex eſt functio immaterialis?

R. Duplex, ſcilicet intellectus, ſeu cognitio vera, & rationalis, & voluntas, ſeu appetitus rationalis. Actio animalis juxta aliquos ex RR. eſt quintuplex, ſcilicet, *intellectus*, *voluntas*, *ſenſus*, *appetitus ſenſitivus*, & *motus animalis*.

Int. Quotuplex eſt ſenſus?

R. Duplex, *internus*, & *externus*.

Int. Quotuplex eſt ſenſus *internus*?

R. Triplex, *ſenſus*, *communis*, *phantaſia*, & *memoria*.

Int. Quotuplex eſt ſenſus *externus*?

R. Quintuplex ſcilicet, *viſus*, *auditus*, *guſtus*, *odoratus*, & *tactus*.

Int. Quid eſt *ſenſatio*?

R. Eſt perceptio alicujus objecti dependenter ab affectione organi corporei.

Int. Quod eſt organum ſenſus communis?

R.

R. Eſt *corpus calloſum cerebri*, quatenus in eo, tamquam in communi omnium impreſsionum centro, & ſenſorio, percipit anima quæcumque objecta organa ſenſuum externorum moventia.

Int. Quid eſt *Imaginatio*, ſeu *Phantaſia*?

R. Eſt illa vis animæ, quà ſe convertendo ad ſenſorium commune, & ad impreſsiones in eo factas percipit, contemplatur, & cognoſcit objecta ſenſibilia, aut non amplius agentia in ſenſorium, à quibus eæ impreſsiones factæ ſunt.

Int. Quid eſt *memoria*?

R. Eſt vis illa animæ, qua in mentem revocamus ea, quæ aliàs cognovimus: hæc duplex eſt, alia merè *intellectualis*, ſoli menti inſidens; qua recordamur aliquando de rebus merè *ſpiritualibus*, quas aliàs cognovimus. Alia eſt partim corporea, quatenus exercetur dependenter à corpore, ſeu à quibuſdam organis, in quibus quædam diſpoſitiones requiruntur, ut rerum, quas ſenſuum beneficio olim percepimus, recordemur.

Int. Quid eſt *appetitus ſenſitivus*?

R. Eſt paſsio animæ, quatenus occaſione certi motus ſpirituum animalium in cerebro, nata eſt habere affectiones illas, quas vocamus, paſsiones, v.g. Amorem, deſiderium, ſpem, odium, &c.

Int. Quot ſunt differentiæ *paſsionum animæ*?

R. Paſsiones animæ à diverſis Auctoribus alio, atque alio ordine, & numero proponuntur. Carteſius non niſi ſex principales numerat, quæ ſunt *amor*, *odium*, *admiratio*, *cupiditas*, *lætitia*, & *triſtitia*. Cæteras omnes exiſtimat, vel ex illis componi, vel eſſe illarum ſpecies.

Int. Quid eſt *amor*?

R. Eſt paſsio animę, qua ſeſe affectu conjungit cum objecto, quod apprehendit ſibi conveniens.

Int. Quot ſunt ſpecies amoris?

R. Amoris plures ſunt ſpecies, quæ maximè notantur in excedente, pro varietate objecti, modique in

illud tendentis variæ. Unde amor nimius de re venerea vocatur, *Libido*, de Divitiis, *Avaritia*, de laudibus, & honore, *Ambitio*.

Int. Amor, quas alterationes ciet in corpore?

R. In amore, & cupiditate obſervatur augmentum caloris, qui in ſimplici amore ſeſe non ita diffundit ad partes exteriores, ſed magis hæret circa pectus. Obſervatur quoque rubor faciei, pulſus frequens, ac robuſtus, & in cupiditate cibi appetitus plerumque valet, ac omnes actiones vitales conformiter peraguntur. Unde colligere eſt, *ſpiritus animales* in hiſce paſſionibus abundantiùs influere in *nervos paris vagi*, & alios dictis functionibus appropriatos; ſic ob fortiorem partium conſtrictionem, ſanguis majori impetu à corde propellatur.

Int. Quid eſt *cupiditas*?

R. Eſt paſsio animæ, quà affectat rem habere præſentem.

Int. Quid eſt *odium*?

R. Eſt paſsio, quà anima ſeſe affectu removet ab objecto, quod apprehendit ſibi diſconveniens.

Int. Quas alterationes facit odium in corpore?

R. In odio, metu, ac triſtitia obſervatur calor debilis, pulſus parvus, pallor faciei, aliaque plurima, quæ ſanguinis, & ſpirituum motum languere ſatis demonſtrant.

Int. Quid eſt *lætitia*?

R. Eſt paſsio animę, quà bono præſente, in affectu fruitur.

Int. Quid obſervatur in lætitia?

R. Motus ſpirituum moderatus, ac valde naturalis.

Int. Quid eſt *triſtitia*?

R. Eſt affectio animi ob malum præſens, vel futurum, vel ob bonum amiſſum.

Int. Quid eſt *admiratio*?

R. Eſt animę paſsio, quà fertur in attentam conſiderationem objecti, quod apprehendit, ut rarum, & extraordinarium.

Int.

Int. Admiratio, quem effectum præſtat in corpore?

R. In admiratione non contingit notabilis alteratio, niſi ſit valdè excedens, quo caſu corpus ſæpè remanet, quaſi immobile.

Int. Quot ſunt animæ paſsiones minus principales, ſeu ſecundariæ?

R. Multiplices, videlicet, ſpes, metus, conſternatio, &c.

Int. Quid eſt *ſpes*?

R. Eſt animæ paſsio, quà erigitur ad adquirendum bonum, quod apprehendit obtentu difficile.

Int. Quid eſt *metus*?

R. Eſt fuga mali futuri in appetitu ſenſitivo.

Int. Quid eſt *conſternatio*?

R. Eſt ſtupor ex apprehenſione mali imminentis, qui tollit, ſeu potius enervat facultatem reſiſtendi.

Int. Quid eſt *audacia*?

R. Eſt paſsio, quà animus erigitur ad ſuperandas, & ſpernendas difficultates, quas apprehendit in adquiſitione boni.

Int. Quid eſt *gloriatio*?

R. Eſt lætitia fundata in apprehenſione laudis.

Int. Quid eſt *pudor*?

R. Eſt metus vituperii cum aliquali triſtitia indè exorta.

Int. Quid eſt *indignatio*?

R. Eſt diſplicentia in affectu ſenſitivo orta ex eo, quod apprehendamus alicui immerenti bonum, vel malum obveniſſe.

Int. Quid eſt *ira*?

R. Eſt appetentia vindictæ in affectu ſenſitivo.

Int. Quas alterationes hi affectus faciunt in corporibus?

R. Hæ paſsiones prout magis de primariis paſsionibus participant, etiam alterationes correſpondentes ſecum trahunt.

CAPUT

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

DE PARTIBUS CORPORIS SANI in genere, & de earum differentiis.

Int. QUid expoſtulat hæc doctrina, ut rectè intelligatur?

R. Requirit notitiam anatomicam practicam, vel ſpeculativam.

Int. Quid eſt *Anatomia*?

R. Eſt ars, quæ docet *ſitum, figuram, nexum, fabricam, actionem, & uſum partium corporis humani.*

Int. Quid eſt objectum Anatomiæ?

R. Objectum primarium eſt *corpus humanum*; ſecundarium vero quævis alia *animalia*, ut quandoque defectum cadaverum humanorum ſuppleant.

Int. Quomodo vocatur hæc beſtiarum Anatomia?

R. Dicitur *Zootomia*, ſive Anatome comparativa.

Int. Quid eſt finis Anatomiæ?

R. Finis Anatomiæ eſt multiplex: Primarius tamen eſt, operum mirabilium *Dei* in corpore humano cognitio, & admiratio. Secundarius etiam eſt multiplex, inter quos primum locum meretur ſanitas, ut rectè cognita *fabrica* corporis humani, *ſanitatis* tanto melior cura haberi queat: à quo fine Anatomia Medica audit. Secundarius, ſi juſſu *Magiſtratus* cadavera ad cauſas mortis violentæ, vel ſuſpectæ inquirendas, aperienda, ut inſpectionis vera relatio, atque aptum judicium dari poſsit. Hęc Anatomia *forenſis*, & *juridica* appellari poteſt.

Tertius, ut quando cadavera morbis defuncta diſſecamus, ob cauſas morborum, & mortis inveſtigandas. Hæc Anatomia practica vocatur.

Int. Quotuplex eſt Anatomia?

R. Duplex, *ſpeculativa*, & *practica*.

Int. Quid eſt ſpeculativa?

R.

R. Eſt illa, quæ in inſpectione cadaverum, dum alii proſecant, aut ex libris, fabricam corporis humani addiſcunt, quantum pro ſcopo ſuo unicuique ſufficit.

Int. Quid eſt Anatomia practica?

R. Eſt artificioſa cadaverum, brutorumve diſſectio, quà partium ſubſtantia, ſtructura, figura, ſitus, magnitudo, numerus, & uſus innoteſcit.

Int. Quid eſt pars corporis?

R. Eſt omne illud, quod totum complet, & integrat, atque ad illius functiones eſt deſtinatum.

Int. Eſt ne quædam differentia inter partes corpus integrantes?

R. Maxima adeſt inter illas differentia, nam aliæ ſunt animatæ, quæ communi cum toto fruuntur vita, & ſic toti ſunt *continuæ*: aliæ inanimatæ, quæ è contra, & hæc toti ſunt *contiguæ*: aliæ ſunt *ſolidæ*, ſeu *continentes*: aliæ fluidæ, ſeu *contentę*, & aliæ *ſpirituoſæ*, ſeu *impetum facientes*, juxta illud *Hippocratis*: *Corpus dividitur in continentia, contenta, & impetum facientia.*

Int. Sunt ne omnes corporis partes *adintegrantes* eum?

R. Omnes ſunt adintegrantes, licet *Fernelius* contrariam tueatur ſententiam. Fernelius autem ſtrictiſsimè definit partem, ſic, *corpus toti cohærens, communi vita conjunctum, ad illius functionem, & uſum deſtinatum.* Unde ille excludit *crines, ungues, humores, ſpiritus, &c.* quæ toti non ſunt *continuę*, ſed tantum contiguæ.

Juxta RR. vero doctrinam, non tantum illæ corporis partes ſunt verè tales adintegrantes, quæ ſanitatis, vel morbi ſunt capaces, & toti continuæ; ſed etiam omnes illæ, quæ totum complent, utpotè pertinentes ad veram, & naturalem illius *functionem*, & *uſum*. Non enim tantum partes *ſolidas* eſſe veras, & integrantes corporis, ſed etiam *fluidas*, & *ſpirituoſas*, maximè cum harum *uſus*, vel actiones, ſæpè ſint præſtantiores, quam ſolidarum.

Int. Elementa excluduntur è numero partium corpus integrantium?

R.

R. Quod ſic, quia Elementa ſunt *ipſa minima phyſica*, è quorum commixtione partes hæ corporis integrantes conficiuntur. Etiam excluduntur è numero partium integrantium omnia illa, quæ non ſunt comparata ad certam *functionem*, vel *uſum*, ut *calli*, *tophi*, *verrucæ*, *&c.*

Int. Quænam partes ſunt ſanitatis, vel morbi capaces?

R. In ſenſu rigoroſo tantum *ſolidæ*, quia hæ ſolummodo ſunt vera organa pro operationibus corporis exercendis; ſicque ſi integræ ſint, *ſanæ*, ſi vero læſæ, *morboſæ* dicuntur. In ſenſu autem minus ſtricto, etiam partes *fluidæ* ſanitatis, & morbi capaces ſunt; quatenus *dyſcraſsiæ*, *cachochymiæ*, & motui præternaturali obnoxiæ ſunt.

Int. Quid eſt pars ſolida?

R. Eſt corpus vivens toti cohærens ad illius functionem, vel uſum comparatum.

Int. Quid eſt functio?

R. Functio, ſeu actio eſt motus quidam effectivus ab organo factus, ob propriam ipſi aptitudinem.

Int. Quotuplex eſt functio?

R. Duplex, *privata* ſcilicet, quà partes ſibi conſulunt; vel *publica*, quà toti animali.

Int. Quid eſt uſus?

R. Eſt partis ad utendum aptitudo quædam, ſcilicet talis, quę non ſolummodò in partis, unde dimanat, commodum cedit, ſed etiam alterius cujuſpiam, aut totius utilitatem ſpectat.

Int. Differt ne uſus ab actione?

R. Dupliciter uſus differt ab actione. Primò, in eo quod actio dumtaxat partibus operantibus, uſus vero ſæpè partibus nihil agentibus competat: ſic *pinguedo*, nihil agit, ſed partes fovet, ac humectat, iiſque faciliorem motum conciliat. Secundò, *actio* competit toti organo operanti, uſus vero ſingulis organi partibus, v.g. *Muſculi actio* eſt contrahere, uſus vero *membranæ* muſculi eſt fibras ejuſdem continere; *arteriæ* au-

autem ſanguinem ei conferre, venæ eum revehere, uti *Nervi*, ſpiritum animalem advehere.

Int. Quot ſunt differentiæ *partium ſolidarum*?

R. Dupliciter dividuntur partes *ſolidæ*, 1. ratione *ſubſtantię*; 2. ratione *functionum*.

Int. Quotuplex eſt pars ſolida ratione *ſubſtantiæ*?

R. Duplex, *ſimilaris*, & *diſsimilaris*.

Int. Quid eſt pars *ſimilaris*?

R. Eſt illa, quæ in partes ſibi ſimiles dividitur, ita ut omnes earum particulæ ſint ejuſdem naturæ, ac ſubſtantiæ.

Int. Quot ſunt partes ſimilares?

R. Ad partes ſimilares ſi rectè loqui velimus, non niſi *fibræ* pertinent, ex quibus omnes reliquæ partes mirabili artificio ſunt compoſitæ: attamen latiori ſenſu *Anatomici* etiam huc referunt omnes partes ſequentes ad ſenſum, quaſi ſimplices, ſive *ſimilares*, nempè *Arterię, venę, membranę, ligamenta, muſculi, tendines, oſſa, pinguedo, vaſa lymphatica, vaſa lactea, ductus excretorii, cartilago, ungues, pili, &c.*

Hæc dicuntur ſimilares ad ſenſum, & non reverà tales, quia in illis animadvertitur compoſitio ex aliis partibus differentibus inter ſe, v. g. *vena*, *arteria*, & *nervus*. *Vena* enim conſtat ex tenuiſsimis fibris, & membranis. *Arteria* ex iiſdem etiam membranis, & fibris. Nervus ex *dura, piaque meninge*, & *fibris medullaribus*: ſicque in reliquis detegitur compoſitio.

Int. Ex qua materia fiunt omnes partes ſimilares?

R. AA. putarunt, quod in prima partium formatione, *ſanguis maternus* una cum *ſemine* concurrit, non ſolum, ut *materiale*, verum etiam ut *effectivum* principium, aliæque partes plus ſeminis, aliæ plus ſanguinis, aliæ cujuſque æquales partes recipiunt: atque hinc proceſsit vetus diviſio, qua partes, ratione hujus principij generationis dicebantur, aliæ *ſpermaticæ*, quæ in ſua formatione plus *ſeminis*, quam *ſanguinis* accepiſſe credebantur: aliæ *ſanguineæ*, in quarum formatione *ſanguis* prædominium habuit: aliæ *mediæ*, quæ

ex

ex æqualibus *ſanguinis*, & *ſeminis* partibus formatæ putabantur.

Apud RR. vero hæc diviſio partium *ſolidarum* in *ſpermaticas*, & *ſanguineas* non admittitur; ſed potius contra AA. dividunt partes in *ſpermaticas*, & *carnoſas*; nam partes *ſanguineæ* verè tales non dantur, ſed tantum apparenter, cum purpureus ſanguis à matre in *utero* non ſuppeditetur pro formatione, & nutritione *fœtus*. Omnes partes *ſimilares*, & *ſolidæ* in *fœtus* prima formatione ex *ſemine* delineatæ ſunt; *ſuccus vero lacteus*, ſeu *lympha gelatinoſa*, partes delineatas nutrit, molle auget, & amplificat, non vero *ſanguis*.

Int. Partes *ſpermaticæ* regenerari poſſunt?

R. Partes *ſpermaticę* diſſectæ non regenerantur, ruptæ, vero, aut ſeparatæ non uniuntur, niſi mediante corpore ætherogeneo: ſic *os* abſcyſſum non reſtituitur, ſed fractum coaleſcit, intercedente nempè ætherogeneo callo: *carnoſæ* autem regenerantur, hoc in carne ablata, vel vulnerata manifeſtum fit.

Int. Quid eſt pars *diſsimilaris*?

R. Eſt quę in partes natura, & ſubſtantia diſsimiles dividitur, non vero in ſimiles.

Int. Ratione functionum partes dividuntur benè in *organicas*, & *non organicas*, *in principes*, & *miniſtras*?

R. Quod ſic.

Int. Quid eſt pars organica?

R. Eſt illa, quæ alicui actioni peragendæ eſt deſtinata, eumque in finem, certam, determinatam, ac ſenſibilem conformationem habet.

Int. Ergo omnis pars *diſsimilaris* eſt *organica*?

R. Verum eſt, quod omnis *diſsimilaris* eſt *organica*, non autem omnis organica eſt diſsimilaris, quia multæ partes ſunt *organicæ*, quæ ſunt *ſimilares*. Nam v.g. *nervus*, licet *ſimilaris* pars ſit; attamen quia ipſi commiſſum eſt munus deferendi, ac diſtribuendi *ſpiritus animales*; hinc non minus eſt *organica* pars, quam *muſculus*, aut *manus*: idem quoque intelligendum de *oſſe*, *arteria*, & *vena*.

Int.

Int. Quid eſt pars non *organica?*

R. Eſt illa, quæ ſimpliciter uſum habet, & nullam actionem obtinet, ut cartilagines, pinguedo, pili, &c.

Int. Quæ conditiones requiruntur ad partium *organicarum* actiones exercendas?

R. Quatuor, I. *Conformatio* (ſub qua *figura, meatus,* ſeu *cavitas, & aſperitas, & levitas*) II. *Magnitudo.* III. Numerus. IV. Conjunctio, ſub qua *ſitus, & connexio* comprehenduntur.

Int. Pars ſolida vi dignitatis, & nobilium actionum rectè dividitur *in Principem, Præſtantem,* & *ignobilem?*

R. Optimè, nam dantur in corpore partes, quæ toti largiuntur materiam immediatè neceſſariam pro vita, ut *cor,* & *cerebrum,* quæ *Principes* vocantur. Secundo, dantur partes, ſine quibus homo non vivit, ut *Pulmo, Ventriculus, Hæpar,* aliæque ſimiles, quæ nobiles, ſeu præſtantes appellantur. Tertio, aliæ adſunt, quæ non ſunt neceſſariæ ad vitam, ſed tantum ad uſum, & actionem aliquam, quæ vitam fœliciorem faciunt, atque hinc *ignobiles* dicendæ, quales ſunt *brachium, digitus, pes, manus, &c.* His ignobilibus adjungendæ ſunt illæ, quibus eſt miniſterium vile, ut *pinguedo, capilli,* aliæque ſimiles.

Int. Quot ſunt partes Principes?

R. Secundum AA. quatuor ſunt, tres ratione individui, ſcilicet, *cerebrum* ſpiritus animales generans, immediatum ſenſus, motuſque, & in homine etiam cogitationis *organum,* per quod omnes animales actiones perficiuntur. *Cor* fons caloris nativi. *Hæpar* ſanguinem generans; & una ratione *ſpeciei,* partes ſcilicet *genitales,* à quibus ſpeciei conſervatio dependet.

Juxta RR. vero ex partibus ſolidis ſolummodò numerantur duæ, nempè *cerebrum* ſpiritus toti corpori concedens, & *cor* ſanguinem toti per ſyſtolem largiens. Ex liquidis, ſeu fluidis partes principes ſunt *ſanguis,* & *ſpiritus,* ob ſummam ſanguinis, & ſpiritus neceſsitatem: Ceſſante enim motu ſanguinis, & ſpiri-

ri-

rituum, ceſſat vita, & ſanitas, imò ſine ſanguine, & ſpiritu, vita nulla.

Int. Ergo *Hæpar* è numero partium Principum excluditur à RR.?

R. Omninò, quia *Hæpate* quomodolibet læſo, vita immediatè non deficit, nec toti largitur materiam neceſſariam, nam ex Autoptia conſtat, quod non generat ſanguinem, ut AA. voluerunt.

Int. Vivunt ne partes ſolidæ?

R. Affirmativè, nam hæ ſunt verè corpora organica, totique continua.

Int. Dentes, Ungues, pili, Adeps, & *Pinguedo* vivunt?

R. Primas tres partium ſpecies vivere, cum ſint corpora toti continua; creſcunt enim, & nutriuntur, habentque ſua vaſa capillaria, per quæ ſuum ſuſcipiunt alimentum. Adipem vero, & pinguedinem non vivere, cum ſint corpora toti contigua, ſicque nullam operationem vitalem excercent.

Int. Una pars eſt prior origine altera?

R. Non, ſed omnes ſimul formantur, & diſcriminantur: non tamen æquali temporis ſpatio exornantur, ſed aliæ citius, aliæ vero tardius.

Int. Quomodo *Anatomici* dividunt *corpus humanum*?

R. Artiſ-Periti dividunt totum *corpus humanum* in *Truncum,* & *Artus.*

Int. Quid intelligunt per *truncum*?

R. Totum illud, quod eſt à ſummo *vertice*, uſque ad *pudenda*, & *inguina* incluſivè, exceptis *brachiis.*

Int. Quid intelligunt per *Artus*?

R. Intelligunt *brachia*, & *crura.* Priora ſolent vocari *manus*; poſteriora vero *pedes.*

Int. Quæ cavitates conſiderant in *trunco*?

R. Tres ventres, ſeu cavitates numerant, ſcilicet, *ſupremam*, *mediam*, & *infimam.*

Int. Quid eſt ſuprema cavitas, ſeu ſupremus venter?

R. Eſt illa cavitas, quæ craneo circumvallatur, includitque cerebrum, cerebellum, & *meninges.*

Secundus venter *eſt cavitas illa, quę reperitur inter claviculas,* & *diaphragma.* Ter-

Tertius venter, ſeu infimus, *eſt cavitas* à *Diaphragmate uſque ad pubem, continens Hæpar, Lien, aliaſque partes.* Supremus venter vocatur *caput*, medius, *thorax*, & infimus, *Abdomen.*

Int. In quas partes dividitur *caput*?

R. In duas, in *capillatam*, & *non capillatam*, quæ *facies* vocatur; ejus pars ſuperior, & antica dicitur *frons*; pars ſuperior capillata vocatur *ſinciput*: poſterior, & inferior *occiput*; laterales vero *tempora.*

Pars inter *caput*, & *thoracem* media, appellatur *collum*, ejuſque pars poſterior *cervix*, anterior *jugulum.*

Pars poſterior thoracis nominatur *Dorſum*, anterior *pectus*, laterales, *latera*: foſſula in medio, *ſcrobiculus cordis*: duæ eminentiæ, quæ apparent in parte antica, dicuntur *mammæ.*

In Abdomine conſiderantur tres partes, quarum ſuprema vocatur *Epigaſtrium*, quæ terminatur duos circiter digitos ſupra *umbilicum.* 2. dicitur *umbilicalis*, & definit circiter duos digitos infra *umbilicum.* 3. denique pars inferior conſtituit regionem infimam, *Hypogaſtrium* appellatam.

Partes *Epigaſtrii* ſuperiores, & laterales dicuntur *Hypochondria*, diſtinguunturque in dextrum, & ſiniſtrum. Partes Hypogaſtrii laterales ſuperiores vocantur *Ilia*, & pars ejuſdem infima immediatè ſupra genitalia, *Pubis.* Partes laterales juxta pudenda in flexura fœmoris, nominantur *inguina.*

Inter partes poſteriores Abdominis, ſuperior, *lumbos*, inferior, *nates* conſtituunt. Infima pars *Abdominis*, ubi collocantur *veſica*, *inteſtinum rectum*, atque in ſexu muliebri, *Uterus*, dicitur *Pelvis Abdominis.*

Int. In quas partes dividuntur *Artus* ſuperiores?

R. In duas, ſcilicet in *Brachium*, & *manum* ſtrictè dictam. *Brachium* rurſus ſecatur in *humerum*, ſeu *brachium* ſtrictè dictum, & *cubitum. Brachium* ſtrictè ſumptum eſt pars à ſummo *humero*, uſque ad *cubiti* flexuram.

Cubitus eſt pars brachii à præfata flexura, uſque ad

Carpum: *Carpus* eſt pars brachii, mediante quà extrema manus varié flectitur, in qua Medici ſolent explorare pulſum; reliquum uſque ad digitos vocatur *Metacarpus*: cujus pars interior dicitur *vola*, exterior *dorſum*.

In metacarpo terminantur digiti utrimque quinque, quorum primus, qui craſsiuſculus eſt, *Pollex* dicitur. Secundus *Index*. Tertius, *Impudicus*. Quartus, *Annularis*. Quintuſque, *Auricularis*.

Int. In quas partes dividuntur artus inferiores?

R. In *Crus*, & *extremum pedem*. *Cruris* pars ſuperior uſque ad *genu*, dicitur *fœmur*: inferior uſque ad *Tarſum*, dicitur *Tibia*, ejuſque pars poſterior, & craſſior, *ſura*. Eminentia in extremo *tibię* prope *tarſum*, vocatur *Malleolus*, eſtque duplex externus, & internus. *Tarſus* eſt pars, quæ proximè ſequitur *tibiam*, & qua mediante, *pes* extremus variè inflectitur.

Pars pedis poſterior, *Calcaneum* vocatur: reliquum uſque ad digitos *Metatarſus*, ſeu *Metapedium* dicitur. Pedis digiti etiam quinque ſunt, quorum craſiſsimus dicitur *podex pedis*: reliqui vero carent nominibus, quibus inſigniantur.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

DE PARTIBUS SIMILARIBUS VERIS, & de minus propriè talibus, atque primo de Fibra, & Membrana.

Int. QUid eſt *Fibra*?

R. *Eſt pars ſimplicifsima, tenuis inſtar fili ſubtilis, ad partes texendas, & firmandas, motumve exercendum deſtinata.*

Int. Quot ſunt differentiæ fibrarum?

R. Fibræ variant tam ratione *ſubſtantiæ*, quam ratione *ſitus*. Ratione *ſubſtantiæ*, aliæ ſunt *oſſeæ*, aliæ *carnoſę*, aliæ *tendinoſæ*, & aliæ *nervoſæ*. Ratione *ſitus* ſunt,

ſunt, vel *rectæ*, vel *obliquæ*, vel *tranſverſæ*, vel *annulares*, vel *ſpirales*, prout partium conformatio, & uſus hoc requirunt.

Int. Sunt ne omnes fibræ tubulatæ?

R. Omnes ſunt cavæ, exceptis illis, quæ merè ſunt confectæ ad firmandas partes, quales ſunt illæ, ex quibus conſtant propria oſsium ligamenta.

Int. Quid eſt *Membrana*?

R. Eſt pars albicans, valde flexilis, tenuis, & expanſa,

Int. Ex quibus partibus componitur membrana?

R. Verè ſimiliter omnes componuntur ex *fibris* miro artificio intertextis.

Int. Quotuplex eſt *uſus* membranæ?

R. Multiplex eſt, primo partes inveſtire, uti *dura*, & *pia mater* inveſtiunt *cerebrum*. Secundo, vaſa, cavitates, ac canales firmare, ut patet in *ventriculo*, & *inteſtinis*. Tertio, partes connectere, ut *Meſenterium* connectit inteſtina dorſo. Quarto, cavitates dividere, ut *Mediaſtinum*, quod dividit *Thoracis* cavitatem in dextram, & ſiniſtram partem. Quinto denique eſſe inſtrumentum ſenſus externi, qui ſine auxilio membranæ numquam peragitur.

CAPUT DECIMUMNONUM.

DE ARTERIIS.

Int. QUid eſt *Angiologia*?

R. Eſt doctrina de vaſis ſanguineis, *arteriis* ſcilicet, & *venis*.

Int. Quid eſt *Arteria*?

R. Eſt vas ſaliens, ſive pulſans, ſanguinem à corde ad omnes corporis partes deferens.

Int. Quot ſunt tunicæ componentes arteriam?

R. Quatuor, I. ſeu extima vocatur *vaſculoſa*, ſeu *retiformis*. II. *Glanduloſa*, quæ ſerum ſuperfluum ab arteriolis excipit. III. *Muſculoſa*, vi cujus ſyſtole fit, ex fibris *annularibus* contexta. IV. denique *Nervea*,

ſeu intima, quæ ſenſu exquiſito prædita eſt.

Int. Quot ſunt præcipuæ arteriæ?

R. Duæ, *Aorta*, & *Pulmonalis*, illa cordis, è ſiniſtro ventriculo, egreditur, prædita in egreſſu tribus valvulis *ſemilunaribus*, foras expectantibus: hinc emiſsis *coronariis* dividitur in truncum *aſcendentem*, & *deſcendentem*.

Aſcendens iterum in duos ramos *ſubclavios*, à quorum inferiori ſede *mammaria*, *mediaſtina*, *tymica*, *intercoſtalis ſuperior*: à ſuperiori *cervicalis*, *vertebralis*, *carotis interna*, & *externa* ad axillas, progreſſus ſubclavius, *axillaris* dicitur, qui venam *baſilicam* comitatus per brachium diverſimodè diſpergitur.

Truncus deſcendens in thorace, intercoſtales inferiores, in *abdomine*, *lumbares*, circa os ſacrum *ſacras* producit: ab illo etiam *bronchialis*, *phrenetica*, *cæliaca*, in ramum *hæpaticum*, & *ſplenicum* diviſa: ab illo oriuntur *cyſtica*, *gaſtroepliploica* dextra, *duodena*, *pylorica*, *pancreatica*: ab hoc *gaſtrica major*, *gaſtricæ minores*, & *breves*, *epiploicę*, & *gaſtroepiploica ſiniſtra*.

Poſt *cæliacam* emergunt *Meſenterica inferior*, *muſcula lumbalis*: hinc dividitur in duos ramos *iliacos*, à quibus prodeunt *hypogaſtricæ*, *pudendę*, *inguinales*, & ab hypogaſtricis, *umbilicales*.

Rami *iliaci* abdomen relinquentes, *crurales* dicuntur, ac producta *iſchia*, *poplitea*, muſcula, &c.

Per pedem variæ diſſeminantur.

Arteria pulmonalis, antiquis *Arteria venoſa* dicta, è dextro cordis ventriculo progrediens variè diſſeminatur per ſolum pulmonem.

CAPUT VIGESIMUM.

DE VENIS.

Int. Quid eſt *Vena*?

Reſp. Eſt vas ſanguinem à partibus ad cor revehens.

Int.

Int. Ex quibus tunicis conſtat *vena*?

R. Ex iiſdem, ac *arteria*, ſed tenuiores, & alio ordine locatæ ſunt.

Int. Movetur ne ſanguis tardiori motu per *venas*, ac per *arterias*?

R. Quod ſic, quia motus ſanguinis à corde ſuſceptus, in receſſu multum diminuitur: ſanguis autem in venis longiùs recedit à corde, quàm ille qui in arteriis eſt.

Int. Cur *vena* non habet motum *dilatationis*, & *compreſsionis*, ut *arteria*?

R. Quia ſanguis refluus ex minimis venis motum impulſivum non habet.

Int. Venæ latiores ſunt arteriis?

R. Quod ſic, quia ſanguis longè tardius movetur per venas, quàm per arterias: ubi enim ſanguis movetur tardiori motu, ibi, cæteris paribus, diutius hæret in via, atque in majori copia congregatus, neceſſario latiorem locum expoſtulat.

Int. Eſt ne vulnus arteriæ periculoſius venæ?

R. Quod ſic, quia *ſanguis arterialis* magis fluidus eſt; deinde tum per motum à corde receptum, tum per majorem fibrarum contractionem, ſanguis validius propellitur, adeòque majori impetu erumpit ex læſis arteriis, quàm ex venis.

Int. Quot ſunt venæ præcipuæ?

R. Tres, *vena cava*, *porta*, & *pulmonalis*.

Int. Quomodo *vena cava* diſtribuitur?

R. Hæc dextrum ventriculum cordis egrediens, tribus *valvulis tricuſpidalibus* intus ſpectantibus prædita, dividitur in truncum *aſcendentem*, & *deſcendentem*: ex illo ſtatim provenit *coronaria*, hinc in dextro latere vena *aſſygos*, à qua *intercoſtales inferiores*: circa jugulum dividitur in ramos *ſubclavios*, à quorum inferiori ſede provenit *intercoſtalis ſuperior*, *mammaria*, *mediaſtina*, & *thymica*: à ſuperiori, *cervicalis*, *jugularis interna*, ſeu *vertebralis*, à qua etiam venæ *ſublinguales*, *jugularis externa*, vena frontis, &c.

Subclavia thoracem egreſſa *axillaris* dicitur, utrimque per brachium diſſeminatur, conſtituens in eo *baſilicam*, *cæphalicam*, & *medianam*, ac in manu circa pollicem, *cæphalicam*, & circa minimum, & annularem digitum, *ſalvatellam.*

Truncus deſcendens exhibet ramulos *phreneticos*, hinc *hepaticos*, *adipoſam*, *muſculam ſuperiorem*, hinc utrimque *emulgentem*, à quarum ſiniſtra oritur *ſpermatica ſiniſtra*, dextra autem ex ipſo trunco, hinc tres, vel quatuor *lumbares*, & *muſculam inferiorem*: Circa *os ſacrum* dividitur in duos *ramos iliacos*, à quibus *ſacra*, *iliaca interna*, *glutea*, *hypogaſtrica*, *epigaſtrica*, *pudenda*, & *inguinalis.*

Abdomen egrediens ramus iliacus, *cruralis* dicitur, per pedem variè diſtribuendus, conſtituens ad internum malleolum *ſaphenam*, ad pollicem *cæphalicam pedis*, ſuper poplitem, *popliteam*, circa malleolum externum, *ſchiaticam.*

Vena *porta* hæpar egrediens, mox emittit *gaſtroepiploicam*, dextram, *duodenam*, *pyloricam*, ſeu *gaſtricam dextram*, *pancreaticam*, & *cyſticam*: hinc dividitur in ramum *ſplenicum*, & *meſſentericum*; ab hoc vena *hæmorrhoidalis interna*; ab illo, *gaſtrica major*, *gaſtricę minores*, *vas breve*, *epiploicę* variæ, & *gaſtroepiploica ſiniſtra.* Ex fiſſura hæpatis prodit vena *umbilicalis*, in fætu ad placentam uteri accedens, in adultis portione remanente, in ligamenti conditionem, & uſum tranſeunte.

Vena *pulmonalis*, antiquis *vena arterioſa* dicta, à pulmonibus ad ſiniſtrum ventriculum cordis tendit, ſanguinem eo deducens, prædita valvulis mytralibus intus ſpectantibus.

CAPUT

CAPUT VIGESIMUMPRIMUM.

DE NERVIS, ET VASIS lymphaticis.

Int. QUid eſt *Nervus*?

R. Eſt funiculus è pluribus tenuiſsimis fibris, ſeu tubulis medullaribus conſtatus, à cerebro, aut ſpinali medulla exortus, interiori parte, ſubſtantia cerebrali duriuſcula infarctus, exteriori membranaceus, & ſummę ſenſilitatis, pro ſpiritu animali ad ſenſum, & motum neceſſariò deferendo, deſtinatus.

Int. Hæ fibræ medullares ſunt ne tubulatæ?

R. Filamenta medullaria nervos componentia, licet ſolida appareant, & nulla in iis cavitas facilè conſpiciatur, & multo minus in iis liquidum permeans obſervetur; tamen eſſe cava, & liquidum, quod ſpiritum vulgo vocant Medici, in iis contineri, eaque, non fibras ſolidas, ſed *vera eſſe vaſcula*, ut abundè probatum manet in meo Scrutinio Phyſico-Medico, & evincunt ſequentes rationes.

I. Quia è cerebro, & ſpinali medulla, uti ductus excretorii alii, ex aliis viſceribus, & glandulis, ad extrema ſcilicet arteriolarum corticalis cerebri ſubſtantiæ, oriuntur.

II. Quia ingens copia ſanguinis ſubtiliſsimi, quæ per quatuor inſignes arterias ad cerebrum continuo defertur, comparatione facta cum hæpate, ab exigua arteria nutritio, pro ſola cerebri nutritione non requireretur, niſi *ſecretio*, & quidem larga, ex hoc ſanguine hic fieret.

III. Quia à primo ortu in utero, ad perfectam uſque corporis magnitudinem, creſcunt, elongantur, & ad extremum uſque vitæ nutriuntur: quod vix rectè explicari poſſe, niſi liquidum ſubtiliſsimum in nervis admittatur, quod eos extendat.

IV. Quia *nervo reſecto*, ſenſus, motus, imò, & nutritio illius partis, cui inſerebatur, ceſſant: & certo indicio, influxum alicujus liquidi, quod aliàs ad hæc præſtanda affluebat, jam ſublatum eſſe.

V. Ligatis nervis, idem contingit, & ſpeciatim ligatis *phrenicis*, motus *diaphragmatis* ceſſat: preſsis vero deinde his nervis infra ligaturam verſus diaphragma, motus aliquis in diaphragmate reddit; quod præcipue indicat, motum diaphragmatis à fluido, in his nervis contento, oriri, & inſtaurari.

VI. *Somni*, *&* *vigiliarum* natura ſine ſpiritibus, aut fluido nerveo intelligi rectè nequit, & nemo eam clarè adhuc ſine iis expoſuit.

VII. Cur à *nimia venere*, præſertim in debilioribus, aut minus robuſtis, tanta ſæpè ſequatur *debilitas*, ſine ſpiritibus explicari, aut concipi non poteſt.

VIII. Neque *debilitas à nimiis ſtudiis*, vel multis morbis, & præſertim ſubitanea illa *virium proſtratio in febribus malignis*, ab ullo ſine ſpiritibus hucuſque benè expoſita eſt.

IX. In incremento, & accretione fructuum, v. g. ceraſorum, in quorum pedunculis fibræ ſine cavitatibus conſpiciuntur, & tamen ſuccum, ſive fluidum longè craſsius, quam nerveum eſſe ponitur, quod non ſolum fructum, ſed duriſsimum nucleum efficit, per vaſa inconſpicua pedunculorum tranſire; incrementum, & perfectionem fructuum, tamquam manifeſtus, & non denegandus effectus, quàm evidentiſsimè docent: Quare igitur tenuiſsimum fluidum in nervis non concedant multi, rationem idoneam non vidi?

X. Spiritus qui negant, nullum, vel ſaltem nullum perſpicuum uſum nervis dare poſſunt. Si enim dicunt, *animam* contractione nervorum agere, motuſque producere; primò contractio neque excipitur in nervo, neque demonſtrari poteſt. Deinde phænomenon ligati nervi explicari nequit: quamvis enim nervus filo ſtringatur, ligatura hæc actionem ejus impedire non valeret, eodem prorſus modo, quovis trahendi funi

non

non admittitur, licet filo conſtrictus ſit. Qui plura circa hoc negotium deſiderat, legat meum Scrutinium, erga doctrinam de ſpiritibus Doct. Martini Martinez.

Int. Quis eſt uſus nervi?

R. Eſt advehere *ſpiritus animales* è *cerebro*, aut *cerebello*, ad organa ſenſus, & motus pro ſenſatione, motu, & nutritione.

Int. Nervi ex qua parte ortum ducunt?

R. Nervi omnes intra *cranium* ex *medulla oblongata*; extra illud autem ex *medulla ſpinali* proficiſcuntur.

Nervorum intra *cranium* egredientium à RR. numerantur decem paria.

Par primum ex nervis *olfactoriis* conſtat, qui ad os *criboſum* accedentes, craſsiores fiunt, & proceſſus papillaris nomen aſſumunt.

Secundum par conſtituunt *nervi optici*, ſeu *viſorii*.

Tertium par oculos movet. *Quartum* vocatur *patheticum*, & ad oculos fertur.

Quintum, *&* *ſextum par* appellatur *guſtatorium*.

Septimum auditorium eſt. *Octavum*, *vagum* nuncupatur. *Par nonum linguam* movet; & denique *decimum* ad ſubvertebralia tendit.

Int. Quomodo diſtribuitur *par* vagum?

R. Hoc par in muſculis *gulæ*, & *cervicis*, *plexum gangliformem* conſtituit. Deſcendens per *collum* efformat in principio *thoracis*, alium plexum, priori non diſsimilem, cujus propago maxima ad plexum *cardiacum* deſcendit.

Truncus paris vagi intercoſtalis è partibus capitis externis emerſus, in plexum *glandiformem* coercetur; ex quo truncus inſignis ad plexum vicinum majorem, in media *cervice* ſitum tranſmittitur.

Ab hoc nervorum pari oriuntur in abdomine ſeptem plexus nervoſi, uti ſunt: *Lienaris*, *hepaticus*, *duo renales*, *meſentericus magnus*, & *duo parvi in pelvi*.

Int. Qui nervi oriuntur ex *medulla ſpinali*?

R. *Triginta* numerantur *paria*, quæ in *cervicalia*, *dorſalia*, *lumbaria*, & *oſsis ſacri* dividuntur.

Cervicalium ſeptem paria numerantur abeuntia ad cervicem, diaphragma, & brachia.

Dorſalium duodecim paria obſervantur, quorum duo ſuperiora per *brachia*, reliqua per externa *pectoris*, & *abdominis* diſſeminantur.

Lumbarium quinque paria recenſentur, quæ *vertebris*, *lumborum muſculis*, *oſsi ſacro*, & *innominatis*, incumbentibus nervis *oſsis ſacri*, implantantur, & cum illis conjunguntur.

Ex *ſacro ſex paria* emergunt, cum lumbaribus inferioribus, in nervum cruralem inferiorem abeuntia.

Int. Quid ſunt vaſa *lymphatica*?

R. Sunt vaſa ſubtilia, tenera, pellucida, ordinariè liquidum limpidiſsimum vehentia, limpham dictum.

Int. Cur dicitur, quod ordinariè liquidum limpidiſsimum vehunt?

R. Quia in inteſtinis præſertim tenuibus, & meſenterio, digeſtionis tempore, chylum quoque vehunt, & tunc *vaſa lactea* vocantur.

Int. Qualis eſt origo vaſorum *lymphaticorum*?

R. Origo horum vaſorum ſunt *ſurculi capillares arteriarum*, in *artubus*, *viſceribus* diſperſi, & *glandulæ*.

Int. Conſtant vaſa *lymphatica* ex valvulis?

R. Quod ſic: quia ab anatomicis paſsim demonſtrantur.

Int. Quis eſt uſus vaſorum lymphaticorum?

R. Eſt lympham à nutritione redundantem, vel ad maſſam ſanguineam, vel ad chylifera vaſa, vel ad ductum thoracicum revehere, pro chyli, & ſanguinis nova dilutione.

CAPUT VIGESIMUMTERTIUM.

DE MUSCULIS.

Int. QUid eſt Muſculus?

Reſp. Eſt pars diſsimilaris ex nervis, carne, fibris, venis, arteriis, & tunica propria

pria contexta, motus localis immediatum organum.

Int. Quotuplex eſt muſculus?

R. Duplex, *formatus*, & *non formatus.*

Int. Quid eſt muſculus non formatus?

R. Eſt tunica muſculoſa, cujus fibræ, nec ſitu, nec numero variant.

Int. Muſculus formatus in quas partes dividitur?

R. In tres, ſcilicet in principium, medium, & finem: principium muſculi, *caput*, media pars ejus, *venter*, finis, *cauda*, ſeu *tendo* appellatur.

Int. Muſculus conſtat propria tunica?

R. Quod ſic; nam omnis muſculus propria membrana firma obvolvitur.

Int. A quà cauſa fit motus muſculi?

R. A ſpiritibus, & humoribus: influendo quidem ſpiritus animales in muſculo, ejus fibræ membranaceæ contrahuntur, motus humorum per eum præpeditur, venter diſtenditur in latitudinem, & abbreviatur in longitudine: unde partes annexæ ex uno ſpatio in aliud transferuntur.

Int. Quotuplex eſt motus muſculi?

R. Quadruplex, ſcilicet, vel dum contrahitur, vel extenditur, vel transfertur, vel tenſus manet.

Int. Ex his, qui motus eſt actio propria muſculi?

R. Contractio; *extenſio* enim paſsio potius, quam actio muſculi eſt, facta à muſculo *antagoniſta* ſe contrahente.

Int. Quid eſt motus animalis, ſeu voluntarius?

R. Eſt ille, quem pro placito excitare, intendere, vel remittere poſſumus.

Int. Quæ conditiones requiruntur ad motum voluntarium?

R. Ad hunc motum efficiendum quinque requiruntur. I. objectum ad motum excitans. II. phantaſia illud cognoſcens. III. appetitus imperans. IV. potentia loco motiva. V. organum motus.

CAPUT

CAPUT VIGESIMUMQUARTUM.

DE MUSCULIS CAPITIS, & Colli.

Int. QUibus muſculis *caput* movetur?

R. Caput movetur muſculis propriis, aut communibus cum *collo*. Muſculorum capiti propriorum octo paria numerantur totidem ſimplices in utroque latere.

Duo paria *caput flectunt*, quatuor *retrorſum ducunt*, & antrorſum agunt, duo circumagunt, ſeu obliquè torquent ad latus. Muſculi caput flectentes ſunt duo *maſtoidei*, & duo *recti interni*. Muſculi caput extendentes ſunt utrinque *ſplenius*, *complexus*, *rectus major*, & *rectus minor*. Qui caput circumagunt ſunt in utroque latere, *obliquus inferior*, & *ſuperior*.

Collum movetur quatuor muſculorum paribus, quorum duo illud *flectunt*, & totidem *extendunt*. Collum flectunt utrimque *ſcalenus*, & *longus*, qui in anteriori colli parte ſiti ſunt. Collum extendunt utrimque *tranſverſalis*, & *ſpinatus*, partem colli poſteriorem occupantes.

CAPUT VIGESIMUMQUINTUM.

DE MUSCULIS SENSORIORUM.

Int. QUot ſenſoria reperiuntur in *capite*?

R. Quatuor, ſcilicet, *oculus*, *naſus*, *lingua*, & *aures*. Oculus *palpebris* conſtat, & *bulbo*. Palpebræ utrimque quatuor muſculorum paribus moventur, duobus *attollentibus*, & totidem *deprimentibus*.

Int. Quibus muſculis bulbus oculi movetur?

R. Bulbus oculi utrimque ſex in homine muſculis movetur, quatuor *rectis*, & duobus *obliquis*. Muſculi recti ab officio, & uſu morali dicuntur, 1. *attollens*, ſeu *ſuperbus*: 2. *deprimens*, ſeu *humilis*: 3. *adducens*, ſeu *bibitorius*, & *lectorius*: 4. *abducens*, ſeu *indignatorius*.

Muſculi obliqui dicuntur alias *amatorii*, quorum unus *ſuperior*, & longus eſt; alter vero *inferior*, & brevis.

Int. Quibus muſculis movetur naſus?

R. Pars naſi mobilis quatuor muſculis movetur, duobus *dilatantibus*, & totidem *conſtringentibus*. Infra naſum *os* occurrit, labiis conſtans, buccis, & maxillis.

Int. Quibus muſculis moventur hæ partes?

R. Muſculi labiorum *communes* ſunt, aut proprii. Communes ſunt muſculus *ſubcutaneus*, ſecundi paris naſi, & buccinator.

Muſculi labiis proprii ad unum ſpectant, vel ad utrumque. Labrum ſuperius habet duos *attollentes*; inferius totidem *deprimentes*, & utrimque unum *conſtrictorium*. Ad utrumque labium pertinent tria paria, *attollens*, *deprimens*, *& gracile*.

Sola maxilla inferior mobilis eſt, & quatuor muſculorum paribus ſurſum, unico autem deorſum movetur. Paria muſculorum attollentium ſunt *temporale*, *maſetereum*, *alare externum*, & *internum*: muſculus autem *deprimens* eſt *biventer*, ſeu *digaſtricus*.

In oris cavitate *lingua* occurrit cum *oſſe hyoide*, *uvula*, & *laringe*. Lingua componitur ex ſex muſculorum paribus, uti ſunt, *genio-gloſſum*, *baſio-gloſſum*, *cerato-gloſſum*, *ſtylo-gloſſum*, *ceratio-gloſſum*, *& milo-gloſſum*. Ad finem linguæ uvula apparet, duobus muſculorum paribus, externo, & interno movenda.

Baſis linguæ eſt os *hyoideum*, per quinque muſculorum paria movetur: hi à ſitu dividi poſſunt in par muſculorum *rectum inferius*, *obliquum inferius*, *rectum ſuperius*, *obliquum ſuperius*, & *laterale*: Græci à termino à quo, & ad quem vocant primum par *ſterno-*

hyoi-

hyoideum , ſecundum *craco-hyoideum* , tertium *genio-hyoideum obliquum* , quartum *genio-hyoideum rectum*, & quintum *ſtylo-cerato-hyoideum.*

Int. Quibus muſculis moventur cartilagines laryngis?

R. Infra os hyoides, larinx occurrit, cujus cartilagines ſeptem muſculorum paribus, duobus externis, & quinque internis moventur. Primum par externum, cartilaginem *ſcutiformem deprimens* , *ſterno-thyroides* vocatur. Secundum illam attollit, & *hyothyroides* nuncupatur. Par primum internum cartilaginem *ſcutiformem* dilatat , & *cricothyroides* appellatur , ſecundum *crico-arythenoides* poſticam rimam aperit , tertium *arythenoides* rimam claudit , quartum *crico-arythenoides laterale* rimam aperit lateraliter , & quintum *thyro-arythenoides* laringem claudit.

Int. Quibus muſculis movetur auris?

R. Auris externa eſt , aut interna. Auris externa quatuor muſculis movetur : primus illam obliquè antrorſum ducit verſus inferiora , ſecundus antrorſum attollit , tertii , & quarti uſus valdè exiguus eſt.

In cavitate tympani tres muſculi reperiuntur : quorum duo movent *malleolum*, & tertius *ſtapedem*. Muſculi auris externæ ſæpè tam exigui ſunt , ut vix appareant ; aut reverà deſunt : hinc *Schelhammerus* præſertim , quia eorum actio raro percipitur , ipſos ex numero partium conſuetarum rejicit.

CAPUT VIGESIMUMSEXTUM.

DE MUSCULIS PECTORIS, *Abdominis* , *&* *Scapulæ.*

Int. QUomodo vocantur muſculi *reſpirationi* dicati?

Reſp. Reſpiratorii.

Int. Quibus motibus inſerviunt muſculi *reſpiratorii*?

R.

R. Deſerviunt *inſpirationi*, *thoracem* dilatando, & *expirationi* eum contrahendo.

Int. Qui muſculi dilatant *thoracem*?

R. Utrimque thoracem dilatant muſculus *ſubclavius*, *intercoſtales externi*, necnon *cerratus ſuperior*, & inferior. Thoracem conſtringunt *ſacro-lumbus*, *triangularis pectoris*, & *intercoſtales interni*.

Int. Quot ſunt *muſculi intercoſtales*?

R. Numerantur XXXXIV. nimirum utrimque XXII. XI. *interni*, & totidem *externi*. Externi deſcendunt obliquè verſus anteriora; interni verſus poſteriora, & illorum fibræ ſe mutuo interſecant.

Int. Quibus muſculis movetur *Scapula*?

R. *Scapula* movetur ſurſum, deorſum, retrorſum, & antrorſum: *Trapezius* ſcapulam attollit, deprimit, & retrorſum movet. *Romboydes* eam retrorſum, & ſurſum. *Serratus*, ſive *dentatus major*, & *minor* ſcapulam movent antrorſum, & deorſum.

Int. Qui muſculi reperiuntur in Abdomine?

R. Abdominis muſculi in anteriores, & poſteriores dividuntur. Priorum in quovis latere quinque enumerantur, *obliquus deſcendens*, *obliquus aſcendens*, *rectus*, *pyramidalis*, & *tranſverſus*. Hi omnes deſinunt in *linea alba*, quæ eſt concurſus tendinum horum muſculorum circa medium abdominis.

Int. Qui muſculi movent lumbos, & dorſum?

R. Lumbi, & dorſum à quatuor muſculis moventur. Lumbos, & dorſum flectunt *muſculi quadrati*, & extendunt *longiſsimus ſacer*, & *ſemi-ſpinatus*.

Int. A quibus muſculis movetur os innominatum?

R. Os innominatum antrorſum moveri videtur à *muſculis rectis abdominis*, retrorſum à *ſemi-ſpinato*, & *dorſi longiſsimo*: ad latus à *quadrato lumborum*, & *abdominis obliquis*.

CAPUT

CAPUT VIGESIMUMSEPTIMUM.

DE MUSCULIS ARTUUM ſuperiorum.

Int. IN quas partes dividuntur artus ſuperiores? *Reſp. In humerum, cubitum, & manum externam. Brachium* novem muſculorum ope, antrorſum, retrorſum, introrſum, & dextrorſum movetur. Brachium antrorſum movent *deltboydes*, & *cracoideus*, introrſum *pectoralis*, quem *coracoideus* adjuvat, retrorſum *latiſsimus dorſi*, *ſubſcapularis*, *rotundus major*, & *rotundus minor*; extrorſum *infraſpinatus*, *latiſſimus dorſi*, & *rotundus minor*.

Int. Quibus muſculis movetur cubitus?

R. Cubitus ex *ulna*, & *radio* componitur. Ulnam flectunt *biceps*, & *brachiæus externus*: extendunt *longus*, *brevis*, & brachiæus internus. Muſculi *radii* ſunt quatuor, duo *pronatores*, *rotundus*, & *quadratus*, & duo ſuperiores; *longus*, & *brevis*.

Int. In quas partes dividitur manus externa?

R. In *carpum*, *metacarpum*, & *digitos*. *Carpum* flectunt *cubitæus*, & *radiæus internus*, extendunt vero externi. *Volæ manus* tribuitur *palmaris longus*, & *brevis*. Internodium ſecundum 4. digitorum flectit *ſublimis*, ſeu *perforatus*: tertium *perforans*: primum *lumbricales*: pollicis internodium primum flectunt *antithenar*, & *hypothenar*: tertium ab alio: 4. digitos abducunt, & adducunt *interoſſei externi*, & *interni*: pollicem ſingulariter *duo muſculi longiores*, & 4. digitos extendit *extenſor magnus*: pollicis adductores ſunt flexores 1. & 2. internodii; adductor *thenar*.

CAPUT

CAPUT VIGESIMUMOCTAVUM.

DE MUSCULIS ARTUUM inferiorum.

Int. EX quibus partibus componuntur artus inferiores?

R. Conſtant ex *fœmore*, *tibia*, & *pede externo*. *Fœmur* flectunt *pſoas*, ſeu *lumbaris*, *iliacus internus*, *triceps*, & *pectinæus*: extendunt *glutæi tres*, conſtituentes *nates*: circumagunt *pyriformis*, *obturator externus*, *internus*, & *innominatus*.

Int. Qui muſculi movent tibiam?

R. Tibiam flectunt *ſartorius*, ſeu *facialis*, *gracilis*, *ſeminervoſus*, *ſemimembranoſus*, *biceps*, & *poplitæus*: extendunt membranoſus, ſeu *faſcialata*, *rectus*, *vaſtus externus*, *internus*, & *cruræus*.

Int. Qui muſculi movent tarſum?

R. Tarſum flectunt *tibialis*, ſeu *tibiæus*, *anticus*, *peroneus ſecundus*: extendunt *gaſtrocnemius*, *ſolæus*, & inter hos detentus *plantaris*: obliquè movet introrſum *tibiæus*, *poſticus*; extrorſum *peronæus primus*.

Int. Qui muſculi movent digitos pedis?

R. Quatuor pedis digitos extendunt *longus*, *brevis*, ſeu *pediæus*: flectunt internodium tertium *perodactylæus*, & *flexor longus perforans*: internodium ſecundum *pediæus internus*, & flexor brevis perforatus: internodium primum *lumbricalis*: ad latera movent interoſſei. Pollex ſpecialem habet *extendentem*, *flectentem*, *abducentem*, & *adducentem duplicem*. Minimus digitus itidem peculiari abducente gaudet.

CAPUT VIGESIMUMNONUM.

DE OSSE.

Int. Quid eſt *Os?*

R. Eſt pars corporis duriſsima, alba, & ſenſu expers, ad totius ſtabilitatem, rectitudinem, & figuram genita.

Int. Cur oſſa carent ſenſu?

R. Quia nervi oſſa non ſatis penetrant, & quia duriſsima ſunt: partes enim ſenſibiles præter naturam indureſcentes ſæpiſsime ſuam ſenſilitatem amittunt.

Int. Quà membrana cooperiuntur *oſſa?*

R. Cinguntur á *Perioſtio*, ratione cujus circa ipſa dolor acris frequentèr excitatur.

Int. Componuntur *oſſa* ex fibris ſimul collectis?

R. Quod ſic, licet ob illorum duritiem paſsim non obſervetur.

Int. Quæ materia reperitur in cavitatibus oſsium?

R. Obſervatur materia quædam unctuoſa, quæ dicitur oſsium *medulla*, illiſque data eſt, tum ut cavitatem repleat, tum ut oſſa ipſa illineat, ne propter ariditatem facilè diffringantur.

Int. Quæ conſideranda veniunt in quovis oſſe?

R. I. Os ipſum, II. cavitates, III. oſsium conjunctiones, & IV. uſus.

Int. Quæ conſiderantur in oſſe ipſo?

R. Tria, I. corpus oſsis, quod *diaphyſis* dicitur. II. *Apophyſis*, ſeu proceſſus, quæ eſt legitima pars oſsis extra ſuperficiem planam protuberans. III. *Epiphyſis*, ſeu *appendix*, quæ eſt os oſsi adnatum, interventu cartilaginis; cui in junioribus non eſt continua, ſed contigua.

Int. Quid notandum circa *Epiphyſes?*

R. Sequentia: I. in infantibus eas omnes eſſe cartilagineas, quæ quidem ſenſim indureſcunt; attamen ſemper ſpongioſæ manent. II. pleraſque in adultis de-

ge-

generare in *Apophiſes*. III. Non concreſcere per planam ſuperficiem, ſed per inæqualem, ſive mutuum ingreſſum cum corpore oſsis. IV. Earum conjunctionem melius patere in juniorum oſsibus, quam adultorum. V. Circa hunc coalitum corpus oſsis quoque eſſe ſpongioſum, & tenerrimum.

Int. Apophyſis inſignitur ab anatomicis, variis cognominibus?

R. Quod ſic, nam ob varium ſitum, uſum, & figuram, varia recipit cognomina, alia vocatur *coracboydes*, *mammillaris*, vel *maſtoydes*, *glenoydes*, *coronoydes*, *anchoroydes*, ſpinoſa, recta, obliqua, tranſverſa, &c. Quædam appellantur *caput*, *collum*, ſive *cervix*, condilus, ſpina, &c.

Int. Quis eſt uſus Apophyſium?

R. Generalis eſt, I. ad meliorem articulationem conferre. II. Muſculis originem, & inſertionem præbere. III. Defendere alias partes. Specialis vero uſus ſuo dicetur loco.

Int. Quis eſt uſus *Epiphyſium*?

R. In adultis, & infantibus varius eſt. In adultis I. oſsibus medulloſsis pro operculo eſſe videntur, ne medulla effluat. II. Prominentiis ſuis circa tendines, vim muſculorum augent. III. Muſculorum extremitatibus locum inſertionis ampliorem præbent. IV. Ligamentis articulationibus inſervientibus, firmiorem cohæſionem largiuntur, &c. In infantibus vero eorum uſus ſunt: 1. ut hi ob mollitiem *Epiphyſium* in utero melius complicari, & in anguſtiori ſpatio contineri queant. 2. Ut oſſa quamdiu homo creſcit commodius elongari, & ad debitam magnitudinem extendi poſſit. 3. Ut in pueris impediant frequentiores fracturas.

Int. Quæ differentię cavitatum in oſsibus reperiuntur?

R. Duæ, aliæ articulationibus oſsium inſerviunt, & aliæ vero non. Hæ in duplici ſunt differentia, ſcilicet, internæ, & externæ; ille, ſi majores, medullam; ſi minores, ſuccum rubrum medulloſum, ſive oleoſum continent, & cellulæ, ſeu cavernulæ oſsium vocantur.

Int. Quomodò vocantur cavitates externæ oſsium?

R. Variis inſigniuntur nominibus, pro diverſitate figuræ, ſcilicet, *fovea*, *foſſa*, *foramen*, *canalis*, ſive *ductus*, *ſinus*, *ſulcus*, *inciſſura*, *&c.* audiunt.

Int. Quotuplex eſt oſsium connexio?

R. Duplex, *articulatio*, & *concretio*.

Int. Quid eſt articulatio?

R. Eſt connexio oſsium cum motu. Concretio vero eſt connexio ſine motu.

Int. Quotuplex eſt articulatio, Græcis *Arthron*?

R. Duplex, alia eſt laxa, ſive cum motu manifeſto, & alia ſtricta, ſive cum motu obſcuro.

Int. Quotuplex eſt *articulatio laxa*?

R. Triplex eſt, *inarticulatio*, *levis articulatio*, & *articulatio mutua*.

Int. Quid eſt *inarticulatio*, ſeu *Enarthroſis*.

R. Eſt illa, in qua cavitas excipiens eſt profunda, & caput oſsis oblongum: ut articulatio oſsis fœmoris cum iſchio.

Int. Quid eſt *levis articulatio*, ſeu *arthrodia*?

R. Eſt illa in qua cavitas recipiens eſt ſuperficiaria, ut articulatio *radii* cum *cubito*.

Int. Quid eſt *mutua articulatio*, ſeu *gynglimus*?

R. Eſt illa, in qua idem os excipit, & excipitur, ut articulatio *vertebrarum* inter ſe.

Int. Quotuplex eſt *concretio*?

R. Triplex ſcilicet, *ſutura*, *coagmentatio*, ſeu *armonia*, & *conclavatio*, ſeu *gomphoſis*.

Int. Quid eſt ſutura?

R. Eſt connexio oſsium inſtar compoſitionis veſtium ex pluribus pannis laceratis, *qualis eſt connexio oſsium cranii inter ſe.*

Int. Quid eſt conclavatio?

R. Eſt connexio oſsium, qua unum os alteri tamquam clavus infingitur: ſic infinguntur dentes utrique maxillæ.

Int. Quid eſt coagmentatio?

R. Eſt connexio oſsium per modum ſimplicis lineæ: ut connexio oſsium maxillæ inter ſe.

Int.

Int. Quotuplex adhuc eſt *connexio* oſsium?

R. Duplex, alia ſine *medio*, ut ſuturæ, & coagmentatio in adultis, & alia cum *medio.*

Int. Quotuplex eſt *connexio* cum *medio*?

R. Triplex eſt, *carnoſa*, ſeu *ſyſarcoſis*, quæ fit mediante carne: ſic connectitur os *Hyoides* cum *Scapula.* 2. *Cartilaginoſa*, ſeu *Synchondroſis*, quæ fit mediante cartilagine: ut in articulatione maxillæ inferioris cum oſſe temporum. 3. *Ligamentoſa*, ſeu *ſyncuroſis*, quæ fit mediante ligamento: ſicut connectitur os *fœmoris* cum oſſe *iſchio.*

Int. Quotuplex eſt ſutura?

R. Duplex, *vera*, ſeu *propria*, & *mendoſa*, ſeu *ſpuria.*

Int. Quid eſt *ſutura* vera?

R. Eſt illa, qua oſſa ita coeunt, ac ſi duæ ſerræ dentatim conjungerentur.

Int. Quid eſt *ſutura falſa*?

R. Eſt illa, qua oſſa ita conjunguntur, ut limbus unius tegat limbum alterius.

Int. Quot ſunt *ſuturæ* veræ?

R. Sunt tres: *Coronalis*, *lamboydes*, & *ſagittalis.*

Int. Ubi reperiuntur hæ *ſuturæ*?

R. Sutura coronalis utrimque ab anteriori parte temporum, ad ſummum capitis aſcendit, & connectit *os frontis*, cum oſsibus *parietalibus.* Sutura *lambdoides*, à figura litteræ A. in poſterioris capitis parte utrimque à vaſi occipitis obliquè aſcendit, & in medio capitis in angulum coit, & connectit *os occipitis* oſsibus *parietalibus.* Sutura denique *ſagittalis* ab angulo ſuturæ *lambdoides*, ad medium ſuturæ coronalis per verticem excurrit, connectitque oſſa *parietalia.*

Int. Quot ſunt ſuturæ *falſæ*, ſeu *ſpuriæ*?

R. Statuuntur paſsim duæ, quæ dicuntur *ſquammoſæ corticales*, ſeu *temporales*: connectuntque oſſa *temporum parietalibus*, imò etiam *os frontis* cum *ſphenoydes* eo in angulo, ubi parietalia coeunt.

Int. Dantur aliæ ſpecies ſuturarum?

R. Quod ſic: recenſitæ ſunt propriæ capitis, quia ſo-

ſolummodò connectunt ejus oſſa : aliæ dantur quæ dicuntur communes, quia connectunt oſſa capitis cum oſsibus faciei, ut *tranſverſalis*, *ſphenoydalis*, *ethmoydalis*, & *zygomatica*.

Int. Quis eſt uſus ſuturarum?

R. Omnes ſuturæ ſunt factæ ad Meningis duræ ſuſpenſionem, tranſpirationem fuliginum, topicorum penetrationem, & oſsium ſecuritatem.

CAPUT TRIGESIMUM.

DE OSSIBUS IN PARTICULARI.

Int. Quid eſt *Sceleton*?

R. Eſt compages oſsium aptè cohærentium. Vel *eſt compages ordinatione artificiali quidem, ſed naturalis emula, cohærentium* (latè ſumpta alterius animalis) *ex quo eadem oſſa deſumpta.*

Int. Quomodò dividitur *ſceleton*?

R. Dividitur in *truncum*, & extremitates, ſeu *artus.*

Int. Ex quibus oſsibus componitur *truncus*?

R. Truncus conſtat ex *capite*, *ſpina dorſi*, *oſsibus pectoris*, & ex *innominatis*. Artus vero ſunt vel ſuperiores, vel inferiores : Superiores, *manus*, aut *brachia*; inferiores *pedes* audiunt.

Int. Quid eſt *caput*?

R. Eſt corpus illud, quod ſupremę colli vertebræ inſiſtit.

Int. Quid eſt *cranium*?

R. Cranium, quod etiam *calva*, & *calvaria* dicitur, *eſt oſsium compages efformans cavitatem pro continendo cerebro.*

Int. Ex quibus oſsibus componitur *cranium*?

R. Ex octo oſsibus, quorum ſex ipſi propria ſunt, reliqua duo eidem *maxillæ* ſuperiori communia.

Int. Quæ oſſa dicuntur propria *cranii*?

R. Oſſa propria *cranii* ſunt *os frontis*, *duo ſincipitis*,

ſeu *parietalia* dicta, unum *occipitis*, *occipitale* dictum, & duo *temporalia* cum proceſſu *jugali*, *ſyſtoide* dicto, & proceſſu interiori: in medio medulloſa ſunt, in utraque ſuperficie duriora: unde dicitur hæc oſſa conſtare duabus tabulis, cum interpoſita *Dyploe*, ſeu meditullio medulloſo.

Oſſa vero cranio, & maxillæ ſuperiori, communia duo ſunt, ſcilicet os *ſphenoydes*, ſeu *cuneiforme*, in baſi calvariæ cum proceſsibus *ſellam æquinam* referentibus ſitum: & os *ethmoydes*, ſeu criboſum cum proceſſu *criſtato*, & vomere. Concurſus *oſsis frontis*, & ſincipitis, in recenſnatis membranaceus, conſtituit *fontanellam*, ſeu *fontem pulſantem*.

Int. Quot oſſa reperiuntur in cavitate oſsis *petroſi*?

R. Quatuor oſsicula auditus inveniuntur, ſcilicet *malleus*, *incus*, *ſtapes*, & *oſsiculum orbiculare*. Ad octo oſſa capitis addunt nonnulli oſsiculum *triangulare* occipitis, & oſsicula *uvormiana* intra ſuturas detenta.

Int. Quot ſunt *maxillę*, ſeu *mandibulæ*?

R. Duæ, *ſuperior*, & *inferior*.

Int. Quæ oſſa componunt ſuperiorem mandibulam?

R. Quinque, quorum 1. *Zygomaticum* dicitur. 2. *Lachrymale*. 3. *Maxillare*, alveolos dentium continens. 4. *Naſale*. 5. denique *Palati poſticum*. *Inferior* vero in pueris, ex duobus oſsibus conſtat, quæ in adultis coaleſcunt, & fiunt os unum.

Int. Quot dentes, in alveolis maxillarum excipiuntur?

R. XXXII. ſcilicet XVI. in quavis maxilla, quorum IV. primi *inciſſores*, & II. ad horum latera, *canini* ex quibus ſuperiores, *oculares* dicuntur: reliqui X. *mollares*, ſeu *maxillares*, quorum extremus in quovis latere dens, *genuinus*, ſeu *ſapientiæ* dicitur.

Int. Cui uſui deſerviunt dentes?

R. Inſerviunt voci formandæ, maſticationi, defenſioni, & faciei ornatui.

Int. Quot ſunt foramina capitis?

R. Alia ſunt interna, & alia externa.

Int. Quæ vocantur interna?

R. Quæ intra cranii cavitatem in conſpectum veniunt. Externa, quæ externius, ſeu foris patent melius.

Int. Quot ſunt interna majora?

R. Undecim paria numerantur, venis, arteriis, nervis cerebri tranſitum præbentia, & unum impar, ſcilicet foramen magnum oſsis occipitis, *medullæ ſpinali* potiſsimum, nervis ſpinalibus acceſſoriis, & arteriis *vertebralibus* patens.

Int. Quot ſunt externa?

R. Multiplicia, & in unoquoque oſſe alia ſunt propria, & alia communia, tranſitum præbentia venis, arteriis, & nervis.

CAPUT TRIGESIMUMPRIMUM.

DE TRUNCI OSSIBUS.

Int. QUæ ſunt *trunci* oſſa?

Reſp. Sunt *Spina*, ***Sternum***; *Claviculæ*, *Scapulæ*, & *Oſſa coxæ.*

Int. Quomodò vocantur oſſa conſtituentia ſpinam?

R. Vertebræ, quæ ad mobilitatem, & ſecuritatem ejus conferunt.

Int. Quot ſunt *vertebræ*?

R. Vertebrę; veræ ſunt, aut ſpuriæ. Verarum numerantur XXIV. VII. colli. XII. dorſi, & V. lumborum. *Vertebræ* veræ, excepta prima, VII. *proceſsibus ornantur*, duobus ſuperioribus, duobus inferioribus, duobus tranſverſis, & uno poſteriori. *Vertebræ* ſuperiores minores ſunt, fiuntque, procedendo ad inferiora, majores. Prima colli *vertebra* dicitur *Athlas.* II. *Epiſtrophus*, aut *dens*, & tertia *axis*: reliquæ nomine carent.

Vertebræ ſex inferiores, quæ os ſacrum conſtituunt, appellantur *ſpuriæ.* Oſsi ſacro annectitur *oſsiculum* coc-

coccygis dictum, hoc in viris magis introrſum curvato, quam in fœminis.

Int. Ubi reperitur os *Sternum* dictum?

R. Thoracem claudit anteriùs cum *cartilagine mucronata* à figura, *enſiforme* appellatum.

Int. In quovis pectoris latere quot ſunt *coſtæ*?

R. Thoraci debentur in utroque latere XII. *coſtæ*, quarum ſuperiores VII. *veræ* cartilaginibus ſuis *Sternum* attingentes; inferiores V. *ſpuriæ* dicuntur. Supra coſtas à parte poſteriori, *ſcapulæ* occurrunt, & ab anteriori *claviculæ*, quæ brachiorum fundamentum ſunt, cum proceſſu *brevi ſpinato*, & *coracboydes.*

Int. Ubi ſitum eſt os *coxæ*, ſeu *innominatum*?

R. Infra coſtas ad latus ſpinæ in pueris tribus conſtans oſsibus, per cartilaginem conjunctis: in adultis autem nulla apparet diſtinctio. Pars oſsis *innominati* ſuperior, & latiſsima os *illium* conſtituit. Media pars innominati *Iſchium* dicitur, ſeu os *coxendicis.* Pars infima, & anterior os *pubis*, ſeu *pectinis* vocatur: Inter oſſa pubis, & innominata inſignis cavitas intercedit, *pelvis* dicta: in qua *veſica*, *inteſtinum rectum*, & *uterus* in mulieribus continentur.

CAPUT TRIGESIMUMSECUNDUM.

DE OSSIBUS ARTUUM ſuperiorum, & inferiorum.

Int. QUid artuum nomine intelligimus?

Reſp. *Manus*, & *pedes.*

Int. In quas partes dividitur *manus*?

R. *In bracchium*, *cubitum*, & *manum externam.*

Int. Ex quibus oſsibus conſtat *bracchium*?

R. Ex oſſe unico, os *humeri* dictum. Cubitus ex duobus oſsibus componitur: inferius, & majus, *cubitus*, *ulna*, aut *focile majus* dicitur: Superius, & minus *radius* appellatur, aut *focile minus.*

Int.

Int. In quæ oſſa dividuntur oſſa extremæ *manus*?

R. In oſſa *carpi*, *methacarpi*, & *digitorum*. In carpo VIII. oſſa reperiuntur *innominata* duplici ſerie diſpoſita.

Radio ſupernè quatuor oſſa connectuntur, & totidem infernè *methacarpo*.

Methacarpus quatuor oſſa habet, ſuperius *carpo*, inferius digitis conjuncta.

Digiti ex XV. oſsibus componuntur, cum XII. ferè oſsiculis *ſeſamoydæis*: ſeries oſsium digitorum *Phalanx* dicitur.

Int. In quas partes dividitur *pes*?

R. In tres partes, ſcilicet in *fœmur*, *tibiam*, & *extremum pedis*.

Int. Ex quibus oſsibus conſtat *fœmur*?

R. Ex unico oſſe, eoque maximo in toto corpore. *Crus* conſtat ex duobus oſsibus in extremo conjunctis: interius, & majus *tibia* vocatur, *canna major*, aut *focile majus*: exterius, & minus *fibula* dicitur, *perone*, *ſura*, *canna minor*, aut *focile minus*. Ubi os *fœmoris* cum *tibia* connectitur, *patella*, aut *rotulla* occurrit. Inferius in tibiæ extremo, *malleolus* internus, & externus apparet.

Int. In quæ oſſa dividuntur oſſa *pedis*?

R. In oſſa *tharſi*, *metatharſi*, ſeu *metapedii*, & digitorum cum XII. oſsiculis *ſeſamoydæis*.

Int. Quot ſunt oſſa tarſi?

R. VII. ſunt: *Talus*, *calx*, *os naviculare*, *cuboydes*, & tria innominata. Oſſa metapedii ſunt quinque: quorum interius pollicem ſuſtinens, valdè craſſum eſt. Oſſa digitorum ſunt XIV. cum pollex ex duobus tantum conſtet: reliqua antem ſe habent ut in manu. In internodiis manuum, ac pedum, ponuntur oſſa ſeſamoydæa, quorum numerus incertus eſt; nunquam tamen ultra XX. aſcendit.

Int. Qui numerus oſsium reperitur in corpore?

R. In determinando numero oſsium, tantopere variant Auctores, cæterum in ſenibus plerumque ultra

tra CCLX. non reperiuntur: In juvenibus, & pueris major quidem eſt numerus, verum incertior, quia multa in unum poſtea concreſcunt.

Int. Quot ſunt in capite?

R. LXIX. ex quibus.

Cranium una cum VI. oſsiculis auditus habet —— XIV.
Maxilla ſuperior —————— XIII.
Maxilla inferior —————— I.
Dentes in utraque maxilla —————— XXXII.
Os hyoides —————— V.
Larinx —————— IV.

In trunco adſunt oſſa LIII. nimirum.

Vertebræ —————— XXIV.
Coſtæ —————— XXIV.
Sternum —————— I.
Os ſacrum —————— I.
Os coccigis —————— I.
Oſſa innominata —————— II.

In extremitatibus adſunt CXXXVIII. ut

Scapulæ —————— II.
Claviculæ —————— II.
Oſſa humeri —————— II.
Ulnæ —————— II.
Radii —————— II.
Carpi in ſingula: manu — VIII. —————— XVI.
Metacarpi — IV. —————— VIII.
Digitorum — XV. —————— XXX.
Fœmoris —————— II.
Tibiæ —————— II.
Fibulæ —————— II.
Rotulæ —————— II.
Oſſa tarſi utriuſque pedis —————— XIV.
Metatarſi —————— X.
Digitorum —————— XXVI.
Saſamoydæa raro reperiuntur —————— oo.
Ultra —————— XVI.

Int. Quot ſunt Epiphyſes?

R. In omnibus circa annos pubertatis, facilè adhuc

huc CXXIV. diſtinctè demonſtrari poſſunt, qui ſi iis CCLX. addantur, numerari poſſunt in univerſum oſſa corporis humani CCCLXXXIV.

CAP. TRIGESIMUMTERTIUM.

DE PERIOSTIO, OSSIUM MEDULLA, Cartilagine, & Ligamento.

Int. QUid eſt *Perioſtium*?

R. Eſt membrana nervoſa, & vaſculoſa ſenſus acutiſsimi, omnia oſſa externè, & internè proximè inveſtiens, dentibus, quantum ſuper gingivas eminet, lociſque, ubi muſculi inſeruntur, exceptis.

Int. Quotuplex eſt *Perioſtium*?

R. Duplex, *externum*, & *internum*: quando perioſtium oſſa cranii inveſtit, vocatur *pericranium*.

Int. Quotuplex eſt uſus perioſtii?

R. Multiplex eſt, nam primò conſtituit rudimenta oſsium in *utero*. Secundò, organum eſt ſecretionis materiæ oſſeæ, ſicut membrana adipoſa pinguedinis, & oſſa ab hoc accretionem, & nutritionem capiunt: nam hujus vaſa ſanguifera oſſa innumeris in locis penetrant; ſicut in juniorum oſsibus obſervatur. Tertiò, ſenſum oſsibus largitur: nam hoc orbata, uri, & ſecari poſſunt ſine dolore.

Quartò, terminum, & figuram præſcribit oſsibus: nam ubi læſum eſt, *exoſtoſes*, *tophi*, *caries*, &c. oriuntur.

Int. Perioſtium æqualis craſsitiei eſt in omni parte?

R. Non, nam diverſam in variis partibus habet craſſitiem: internum tamen exteriori longè eſt tenuius, & oſſa intus nutrit, quatenus vaſa ſanguifera, & nervos recipit, per ſingulares canales, oſsibus hinc inde inſculptos.

Int. A quà parte perioſtium ſuſcipit originem?

R. Oriri vulgo dicitur à *dura matre*, quòd verè loquen-

quendo dici non poteſt; quia ſimul, & eodem tempore cum *dura matre* in fœtu generatur.

Int. Quid eſt *medulla* oſsium?

R. Eſt maſſa oleoſa, & pinguis, minutiſsimis veſiculis membranaceis conſtans, in quibus è ſanguine arterioſo hæc ſubſtantia ſecernitur.

Int. In quibus oſsibus *medulla* continetur?

R. In pleriſque oſsium *cylindricorum* cavitatibus: nam in cavernoſis oſsibus ſuccus tantum rubicundus, pinguis, & quaſi medulloſus deprehenditur. Vaſa *medullæ*, per canales, hinc inde in oſsibus occurrentes, ad cavitates oſsium penetrant: *arteriæ* materiam medulloſam afferunt, & ſecernunt per ſuos glanduloſos poros; *venæ* ſanguinem redundantem revehunt; *nervi* vero ſenſum ejus veſiculis largiuntur.

Int. Quid eſt *Cartilago*?

R. Eſt corpus oſsibus analogum, flexile, lubricum, & elaſticum, nihil plerumque, vel parum medulloſi continens.

Int. Quotuplex eſt uſus Cartilaginis?

R. Multiplex eſt, nam 1. deſervit ad oſſa conjungenda, ut in *vertebris*. 2. Ad cavitates articulorum formandas. 3. Ad extrema oſsium cooperienda, eaque polita, & lævia reddenda, ubicumque eorum motus requiritur. 4. *Ad aſperam arteriam, laringem, bronchia, nares, pulmones, aures, oras palpebraram*, aliaſque partes conſtituendas.

Int. Quid ſunt ligamenta?

R. Sunt vincula robuſta, ut plurimum membranacea, juncturas mobiles ſpecie annuli cingentia, & connectentia, oſsibus colli firmiſsimè innata, & colligendis oſsibus deſtinata.

Int. Quotuplicia ſunt ligamenta?

R. Alia ſunt cartilaginea, alia nervea, aut tendinea.

CAP. TRIGESIMUMQUARTUM.

DE GLANDULIS.

Int. QUid eſt *Glandula?*

R. Eſt pars peculiaris habitus (ſive ut veteres dixerunt, peculiaris carnis) *ex congerie minutiſsimarum arteriarum, venarum, nervorum, & plerumque etiam ductu excretorio conflata, propria membrana cincta, variæ figuræ, coloris, & conſiſtentiæ, uſibus diverſis, ut plurimum ſecretioni alicujus liquidi deſtinata.*

Int. Quotuplex eſt *glandula?*

R. Duplex, *conglobata*, & *conglomerata.*

Int. Quid eſt *glandula conglobata?*

R. Eſt illa, quæ ex una quaſi ſubſtantia continuata conflata eſt, & ſuperficiem habet æqualem, ut glandulæ ſubcutaneæ.

Int. Quid eſt glandula *conglomerata?*

R. Eſt illa, quæ ex variis minoribus glandulis conglutinatis conſtat, cum aliqua ſuperficiei ſuæ inæqualitate, ut thymus, pancreas, &c.

Int. Quot glandulæ reperiuntur in corpore?

R. Numerus glandularum incertus, imò humanæ menti infinitus videtur.

Int. Qua *magnitudine* gaudent glandulæ?

R. Magnitudo glandularum valdè diverſa eſt: conglobatæ à minimis, quæ obſervari poſſunt, uſque ad magnitudinem amigdalæ accedunt: Conglomeratæ vero in mollem multo ampliorem extenduntur, quippè à multis inter illas numerantur, *Hæpar* omnium totius corporis partium maxima, *pancreas, &c.*

Int. Quæ vaſa igitur reperiuntur in omni glandula?

R. Reperiuntur quatuor vaſa diverſa, ſcilicet *arteria, vena, nervus,* & *ductus excretorius*: his accedunt *vaſa lymphatica,* quæ in quibuſdam ipſum ductum excretorium conſtituere videtur.

Int.

Int. Quo gaudent uſu hæc vaſa?

R. Per arterias affertur ipſa *materia* ſequeſtranda, aliis intermixta; per venas, & vaſa lymphatica, ſi quædam adſint diſtincta à proprio ductu excretorio, reducitur illud, quod neque in glandulis remanere, neque in ductum excretorium migrare debet: Nervi ſpiritus ſuppeditant, qui ſua activitate, materiæ ſequeſtrationem promovent: ductus excretorius materiam ſeparatam recipit, & ad ſuum locum deducit.

Int. Glandulæ corticales gaudent nervis?

R. Quod non, quia materia ibidem ſequeſtranda, ejuſdem eſt rationis, ac illa, quæ per nervos adveheretur; adeòque ſufficientis activitatis, ut per glandularum poros pervolet.

Int. Quis eſt uſus glandularum?

R. Ex dictis patet, uſum glandularum eſſe, ſeparare aliquem liquorem à communi maſſa.

Int. Quænam eſt illa *communis maſſa*, à quà ſeparatur lympha?

R. Maſſa illa ferè ubique eſt *maſſa ſanguinea.*

Int. Qualis eſt uſus glandularum conglobatarum?

R. Opinio magis recepta aſſerit, quod eſt ſecernere humorem lymphaticum, & eum, qui naturaliter humectat cutim. Conglomeratarum autem eſt ſeparare aliquem humorem particularem, putà *pancreaticum*, *bilem*, *ſalivam*, *&c.*

Int. Secundum *Malpygium*, quæ glandularum differentiæ reperiuntur?

R. Juxta hunc Auctorem, glandulæ aliæ ſunt *mucoſę*, aliæ vero *vaſculoſæ.*

Int. Quid ſunt glandulæ mucoſæ?

R. Sunt diverticula lymphæ, in quibus ulterius illa præparatur, antequam ad maſſam ſanguinariam feratur. Glandulæ vero vaſculoſæ ex nervis, arteriis, venis, vaſis lymphaticis ſunt compoſitæ.

CAP.

CAP. TRIGESIMUMQUINTUM.

DE TEGUMENTIS COMMUNIBUS.

Int. QUid eſt *Tegumentum*?

R. Eſt illud, quod totum corpus cooperit.

Int. Quot ſunt *tegumenta communia*?

R. In *beſtiis* quidem plura: in *homine* vero non niſi tria reperiuntur: uti ſunt *cuticula*, ſive *epidermis*, *cutis*, ſeu *dermis*, & *pinguedo*, ſive *membrana adipoſa.*

Int. Quid eſt cuticula?

R. Eſt membrana tenuis, totam cutim, cujus quaſi pars eſt, arctè ambiens.

Int. Quæ notanda in illa?

R. I. *Adhæſio* firma cum cute, interveniente corpore reticulari, itaut non ſcalpello, ſed aqua fervente, igne, aut veſicatoriis à cute ſeparari poteſt. II. Color in *Europeis* albus: in *Ethiopibus*, niger. III. *Structura*, vel *ſubſtantia* ex minutiſsimis lamellis, & quaſi ſquammulis arctè cohærentibus conſtans. IV. *Foraminula*, pilis, tranſpirationi, & ſudori tranſitum præbentia. V. *Craſsities* diverſa, eaque maxima in *plantis pedum*, & *bolis manuum*; reliquis in partibus, valdè tenuis. VI. *Sulci*, ſive *lineæ*. VII. *Regeneratio* in viventibus facilis eſt. VIII. *Ortus* ejus, non à condenſatis ab aere exalationibus corporis; ſed potius ab expanſione *ductuum cutis excretoriorum.* IX. Vaſa in cuticula ullo modo detegi poſſunt; hinc læſa, ſanguinem non fundit, & ſenſu ferè deſtituitur. X. Quod à ſubtili liquido eam nutriri, & regenerari neceſſe eſt. Ultimò tandem, ejus *uſus*, qui eſt defendere cutim ab attritu, dolore, & ſiccitate, atque ſenſus tactus juvare, & moderare.

Int. Quid eſt *corpus reticulare*, ſive *reticulum cutaneum*?

R. Eſt tenuiſsima membranula innumeris minimis foraminibus, reticuli inſtar perforata.

Int. Ubi reperitur?

R. Præcipuè in illis partibus, ubi ſenſus cutis exquiſitiſsimus eſt.

Int. Cujus coloris eſt?

R. In *Europæis* albus: in *Ethiope* vero nigerrimus; hinc color hominum maximè ab eo dependet.

Int. Qualis eſt ejus uſus?

R. Eſt per foraminula ſua, *pilos*, *papillas cutaneas*, *ductuſque excretorios* cutis tranſmittere.

Int. Quid eſt *cutis*?

R. Eſt membrana robuſta, inſtar corii craſſa, totum corpus inveſtiens.

Int. Quibus partibus connectitur *cutis*?

R. Ejus ſuperficies ſuperior connectitur cum reticulo, & cuticula: inferior vero cum pinguedine.

Int. Quà prædita eſt craſsitie?

R. Craſsities ejus varia eſt in variis corporis partibus, & in variis quoque *animalibus*.

Int. Sunt in cute inciſſuræ, ſive lineæ?

R. Quod ſic, & quàm plurimæ cum cuticula communes.

Int. Reperiuntur foramina in cute?

R. Habet foramina majora, ut in *ore*, *naſo*, *auribus*, *&c.* & minora, quæ vulgo pori dicuntur: rurſus hi, vel ſunt majores, vel minores, hi pro pilorum, tranſpirationis, & ſudoris tranſitu: majores vero nudus oculus percipit, præſertim in *Naſo*.

Int. Qualis eſt ſtructura cutis?

R. Cutis conſtat ex *fibris tendineis* ſingùlaribus, tenaciſsimis, merè implexis, vaſis ſanguineis copioſiſſimis, nerviſque multis; papillas pyramidales per rete malpigianum in cuticulam protenſas continens, quæ *tactus organum* conſtituunt primarium.

Int. Conſtat etiam ex glandulis?

R. Copioſiſsimæ à pleriſque ſtatuuntur *cutaneæ*, ſeu *miliares* dictæ, quæ pro ſecretione materiæ tranſpirandæ deſerviunt.

Int. Quis eſt *uſus* cutis?

R. Cutis uſus eſt, primò, partes ſubjacentes *involvere*, & *deffendere*: Secundò, *organum tactus* eſſe: Tertiò denique, eſſe emunctorium univerſale ſanguinis, ope ſudoris, & tranſpirationis.

Int. Quid ſunt *pili*, ſeu *capilli*?

R. Sunt corpora tenuia, longa, frigida, ſicca, & flexibilia, è cute egredientia.

Int. Quæ partes conſiderantur in capillis?

R. Duæ, prima eſt, quæ extra cutim apparet, teres: microſcopio per luſtrata inæqualis eſt, perlucida, & ſæpè nodoſa, ſed nec cava, nec ramoſa. Secunda, radix, quæ intra cutim eſt: hæc ob figuram, *bulbus* nominatur, veriſimiliter cava, & vaſculoſa eſt.

Int. A quà parte oriuntur pili, ſeu capilli?

R. A cute, & pinguedine, ſed probabiliter ex nervis, ob dolorem, qui in evulſione eorum percipitur.

Int. Ex qua materia nutriuntur?

R. Materia eos nutriens eadem eſt, ac aliarum partium: non excrementitia, ut aliqui voluerunt.

Int. Quo colore gaudent?

R. Color varius eſt: in regionibus calidiſsimis, *nigerrimus*, in temperatis, *fuſcus*, in frigidis, *flavus*, rufus, ſeu ſub fuſcus eſt.

Int. Sunt omnes ejuſdem conſiſtentiæ?

R. Quod non: nam primò pro diverſitate ſubjectorum, & regionum variant, in *Ethiopibus*, & *ſiccioribus*, *duriores*; in *humidioribus*, & infantibus *molliores*. Secundò, pro diverſitate locorum corporis, in pudendis, & aliis, *duriſsimi*; in capite *molliores*, in reliquo corpore, *breviſsimi*, & *molliſsimi*.

Int. Datur inter illos aliqua differentia ratione temporis, & originis?

R. Quod ſic: nam quidam connaſcuntur, ut in *capite*, *ciliis*, & *ſuperciliis*; quidam vero certa demum ætate proveniunt, *ut barbæ*, *alarum*, & *pudendorum*. Sic quidam pili ſemper, quidam vero poſt nativitatem non creſcunt.

Int.

Int. Quis eſt eorum uſus?

R. Uſus capillorum capitis eſt caput calefacere, & ornare, reliquorum vero pilorum, ciliis, & ſuperciliis exceptis, non adeò manifeſtus eſt.

CAP. TRIGESIMUM SEXTUM.

DE MEMBRANA ADIPOSA, & Paniculo carnoſo, ſeu de membrana muſculoſa.

Int. QUid eſt Membrana adipoſa?

R. Eſt pars membranacea, tenuis, tranſparens, innumeras cellulas, ſeu loculos, inter ſe invicem communicantes habens.

Int. A quà materia replentur hæ *cellulę*, ſeu *loculi*?

R. A materia pingui, oleoſa, quaſi butyracea ſanguinis, ex arteriolis hujus membranæ, non à glandulis ſecreta. Unde veriſimilius eſt, materiam *pinguedinis*, lege circulationis, ad dictas cellulas delatam, in eaſdem in orificiis arteriarum ſecretam expui. Atque hinc eſt, quod pinguedine igne liqueſcente, ſemper copioſæ membranulæ innatent; quodque in cadaveribus macilentorum, pinguedinis loco, plurimarum pellicularum complicationes reperiantur. *Vaſa adipoſa*, tamquam peculiaria vaſa à quibuſdam adduntur, quę vero à vaſis lateralibus ſanguiferorum, & prædictis cellulis non diſtinguuntur. Quod ſi fortè aliquis putaverit, ſe vidiſſe tales ductus, certè deceptus fuit; atque pro vaſis adipoſis habuiſſe vaſa *lymphatica*, vel arteriolas continentes materiam adipoſam.

Int. Circulat hæc materia adipoſa cum reliquo ſanguine? hoc eſt, poteſt adeps contenta in ſacculis membranaceis regredi ad circulum?

R. Quod ſic, nam abundè conſtat ex conſumptione ejus in certis morbis, & motu fortiori animalium.

Int. Poteſt ne pinguedo tranſire in nutrimentum corporis?

R. Quod ſic, nam exiſtimandum eſt, pinguedinem in morbis, inedia, aut magnis corporis laboribus, pro magna parte reſumi in venas, ac circulationi reſtitui, & per jugem ſanguinis motum, aliam induere naturam, atque ita alterari, & tranſmutari, ut aliquæ ejus particulæ reddantur aptæ ad nutritionem corporis.

Int. In quibus partibus ſita eſt membrana adipoſa?

R. Ubique ferè per totum corpus ſub cute; prætereà inter *muſculorum interſtitia*, in *orbita oculi*, in *omento*, circa *renes*, & variis in locis.

Int. Quid eſt *pinguedo*?

R. Eſt materia albicans, unctuoſa, ſenſu expers, in tenuibus membranulis collecta, ad partes fovendas, ac lubricandas deſtinata.

Int. Differt ne *pinguedo* ab *adipe*?

R. Diſtinguunt Auctores pinguedinem ab adipe in eo, quod pinguedo laxa ſit, & rara, calore facilè liquefiat, ſed difficulter rurſus coaguletur: *adeps* vero durior ſit, & rigida, difficilè ſolvatur, ſed promptè coeat.

Int. Quis eſt uſus *pinguedinis*?

R. Uſus pinguedinis multiplex eſt: Primò, impedire tranſpirationem nimiam, ac partes ſubjectas calefacere, vel certè munire contra frigus. Secundò, eas ſua unctuoſitate lubricare, & facere aptiores ad motum. Tertiò, implere interſtitia, adeòque habitum reddere lævem, ac venuſtiorem. Quartò, eſſe inſtar pulvinaris, & propugnaculi contra ictus, & compreſſiones. Quintò, ſales, aliaſque acriores particulas, tamquam vinculum coercere. Sextò denique, fortè penuriæ tempore aliquomodò, dum venas rurſus ingreditur, corpori pro nutrimento inſervire.

Int. Quid eſt *Paniculus Carnoſus*?

R. Eſt pars membranacea pinguedine ſubcutaneæ proximè ſubjecta, quibuſdam in locis fibras carneas, ſeu muſculoſas aſſumens, in reliquis meram membranam præſeferens.

Int. Paniculus carnoſus in omni animali æquè muſculoſus eſt?

R. Non; in multis beſtiis, ut in *ſimiis*, *canibus*, *ovibus*, *bobus*, *&c.* multo magis, quam in homine muſculoſus eſt, ejuſque interventu dicta animalia cutim movent, & quandoque muſcas abigunt: In homine vero fibris muſculoſis orbatus eſt, niſi in fronte, cujus beneficio in hac parte adeſt motus voluntarius.

Int. Paniculus carnoſus differt ne à *membrana adipoſa*?

R. Paniculus carnoſus ab aliquibus quoque vocatur membrana adipoſa, quia quaſi commune fulcimentum, cui adnaſcuntur burſulæ pinguiferæ, eſt. Alij *membranam muſculorum communem* indigitant, ex eo quod muſculis immediatè ſuperpoſita, iiſdem inſervit pro involucro univerſali; ſicuti cuivis muſculo in particulari ſua membrana proxima.

Int. Quis eſt uſus paniculi carnoſi?

R. Eſt, 1. inveſtire partes ſubjectas: 2. globulos pinguiferos ſubſtinere: 3. ratione partium carnoſarum, contractionis munus ſubire, ac fungi muſculorum officio.

CAP. TRIGESIMUM SEPTIMUM.

DE CAVITATIBUS COMPONENTIBUS truncum, & de Peritonæo.

Int. QUot ventres, ſeu cavitates ſpeciatim conſiderantur in corporis trunco?

Reſp. Tres.

Int. Quomodò vocantur?

R. Hæ cavitates ſecundum ſitum, & ordinem vocantur, *ſuprema*, ſeu *caput*, *media*, ſeu *thorax*; & *infima*, ſeu *abdomen*.

Int. Quid eſt *abdomen*?

R. Eſt illa cavitas, quæ incipit à diaphragmate, & ſe extendit uſque ad oſſa pubis, & inguina.

Int. Quæ partes reperiuntur in *Abdomine*?

R. Partes componentes abdomen, aliæ ſunt *continentes*, & aliæ *contentæ*. Continentes, aliæ ſunt *communes*, aliæ vero *propriæ*.

Int. Quæ ſunt partes continentes?

R. Sunt illę, quæ alias cooperiunt, tegunt, & *continent.*

Int. Quæ ſunt partes contentæ?

R. Sunt quę ab aliis cooperiuntur, & *continentur.*

Int. Quæ ſunt partes continentes communes?

R. Sunt illę, quæ non ſolùm componunt unam cavitatem, ſed etiam ad aliarum compoſitionem ſe extendunt.

Int. Quæ ſunt partes continentes propriæ?

R. Sunt illę, quæ cum ſuis compartibus, determinatam cavitatem, ſeu ventrem componunt.

Int. Quot ſunt partes continentes communes abdominis?

R. Quinque, ſcilicet, *cuticula, cutis, corpus reticulare, membrana adipoſa, & paniculus carnoſus*, ſeu *membrana muſculoſa.*

Int. Quot ſunt partes continentes abdominis propriæ?

R. Sex ſcilicet, *oſſa innominata, os ſacrum, cum appendice ſua*, quinque *vertebræ lumborum, diaphragma, muſculi abdominis, & peritonæum.*

Int. Quid eſt *Peritonæum*?

R. Eſt membrana tenuis, ac mollis, facilè laxabilis, omnes partes contentas infimi ventris inveſtiens, & quaſi in ſacco continens.

Int. Qua gaudet *figura*?

R. Ejus figura eſt ovalis: nam ventri inferiori ſua longitudine, & latitudine, reſpondet.

Int. Eſt ne ſimplex membrana?

R. Non, nam conſtat duplici *lamella*, ſicque eſt ubique duplex, ſed magis manifeſté *ab umbilico*, uſque ad *os pubis*, maximè in mulieribus, in quibus etiam craſsior eſt, ut pro geſtatione fœtus commodè diſtendatur.

Int.

Int. Ubi, & à quibus perforatur peritonæum?

R. Supra perforatur per *æſophagum*, *venam cavam*, & *nervos paris vagi*: Inferius autem per *inteſtinum rectum*, & *vaginam uterinam*.

Int. Quæ ligamenta fiunt ex peritonæo?

R. Tria, primum, *ſuſpenſorium hæpatis*, & *duo lata uteri*.

Int. Quibus partibus connectitur?

R. Anterius, *muſculis abdominis*: *ſuperius diaphragmati*: Inferius, *oſsi pubis*, & *iſchio*: lateraliter, *oſsi ileo*: à retro, *oſsi ſacro*, & vertebris lumborum, præcipuè primæ, & tertiæ, ubi putatur habere originem.

Int. Quos format *proceſſus*?

R. Lamella exterior duos habet proceſſus, in viris deſcendentes in *ſcrotum*, & *vaſa ſpermatica* continentes: in mulieribus, includentes *ligamenta rotunda uteri*.

Int. Unde Peritonæum ſuſcipit ſua vaſa?

R. Arteriæ, & venæ ab *epigaſtricis*, *mammariis*, *lumbaribus*, & *diaphragmaticis*, *dorſalibus*, & *lumbaribus oſsis ſacri*: Nervi à *medulla lumborum*, & *oſsis ſacri*, aliqui etiam ab *intercoſtalibus*, & *diaphragmaticis* ſunt.

Int. Quis eſt uſus Peritonæi?

R. I. Eſt continere viſcera abdominis: nam eo nimium dilatato, ſecto, vel rupto, è ſua ſede dilabuntur, vel herniæ oriuntur. II. Tunicam extimam præbere partibus in abdomine contentis ferè omnibus; quæ propterea membranam ſuam extimam vulgo dicitur habere à Peritonæo. III. Formare proceſſus peritonæi, & tunicam vaginalem teſtium. IV. Subſtinere muſculos abdominis, atque ita concurrere ad expulſionem *fæcum*.

CAP. TRIGESIMUM OCTAVUM.

DE PARTIBUS IN ABDOMINE contentis, & primo de Omento, & Ventriculo.

Int. QUot ſunt partes abdominis contentæ?

R. Multiplices; ſcilicet, *Vaſa umbilicalia, Omentum, Ventriculus, inteſtina, Hæpar, Lien, &c.*

Int. Quid ſunt *vaſa umbilicalia?*

R. Sunt duæ arteriæ ab iliacis provenientes, una vena ad hæpar, per rimam ejus tendens, & Urachus intra duplicem peritonæi lamellam contenta, quæ in fœtu funiculum umbilicalem efformant. Hæc vaſa in brutis annoſioribus ferè diſparent, aut minus in conſpectum veniunt, quam in homine: horum tria priora poſt nativitatem, citò conſolidantur, & in *ligamentum* abeunt juxta communem doctrinam; attamen arteriæ umbilicales, ex obſervatione *Duvernæi*, ſemper cavitatem retinent, uſque ad fundum *veſicæ urinariæ*, unde veſica perpetuo ramos accipit. *Urachus* vero in homine, ſecundùm ſaniorem doctrinam, numquam eſt pervius.

Int. Quid eſt *Omentum?*

R. Omentum, græcis, Epiploon, eſt pars membranacea, pinguedine multa inſtructa, ſub peritonæo inteſtinis proximè incumbens.

Int. Cur ab aliquibus dicitur *Retis?*

R. Vel quia aſsimilatur *reti artificiali*, quoniam vaſa ſanguinea illius *membranulis* intertexta, ſpeciem retis habent: vel quia foraminula plerumque in eo adſunt.

Int. Omentum eſt membrana ſimplex?

R. Minimè, quia ex duabus membranis conſtat: Anterior *pyloro*, fundo *ventriculi*, inteſtino *duodeno*, partique *lienis* cavæ cohæret: poſterior autem inteſtino

Co-

Colon. Unde duplicatum per modum ſacculi, paſsim quoad figuram comparatur *marſupio aucupatorio.*

Int. Quem ſitum occupat?

R. Plerumque ſuperiorem abdominis partem ſolùm; non rarò deſcendit ad *umbilicùm*, & in aliquibus ad *os pubis* extendi teſtantur Authores.

Int. Ex quibus conſtat vaſis?

R. Arterias habet à *Cæliaca*, & *Meſenterica*: venas à *vena portę*, maximè à ramo ejus *ſplenico.* Vocantur autem dictæ arteriæ, & venæ *Epiploicę*; & quoniam nonnullæ omento, & ventriculo ſunt quaſi communes dicuntur illæ *gaſtro-epiploicę.* Nervos accipit ab *intercoſtali*, & pari vago. Vaſa lymphatica habet, & *ductibus adipoſis* quamplurimis ornatus eſt, qui nihil aliud ſunt, niſi vaſa lateralia ſanguiferorum, qui in cellulas pinguedinem deponunt.

Int. Quis eſt uſus omenti?

R. Eſt lubricitate ſua, inteſtinorum motui inſervire: inteſtina fovere: bilis generationi ſuccurrere, præbendo partem pinguem: & acrimoniam humorum temperare.

Int. Quid eſt *ventriculus*?

R. Eſt pars membranacea, cava inſtar ſacculi, in ſiniſtro hypochondrio, mox ſub diaphragmate, inter hæpar, & lienem obliquè ſita, ad cibum, & potum recipiendum, & continendum, ut in chylum convertatur, deſtinata.

Int. In quas partes dividitur ventriculus?

R. In tres, ſcilicet, in *orificia duo*, ambo ſita in ſuprema ejus regione, & *fundum.* Siniſtrum *orificium*, vulgo *ſuperius*, ſive *cardia*, aut *ſtomachus*, æſophago continuatur, ex quo cibum, & potum recipit, ad ventriculi cavitatem tranſmittendum, multiſque nervis inſtructum eſt. Dextrum orificium, quod *pylorus*, item *orificium inferius* dicitur, *chylum*, ſeu *alimenta digeſta* ad inteſtina tranſmittit: eſt altero anguſtius, quia non niſi liquidiora admittere debet.

Int. Qua donatur magnitudine?

R. Ventriculi *magnitudo* multùm variatur; in helluo-

luonibus, ut plurimum maxima, ut & in viris plerumque major, quam in fœminis; quod à *natura* videtur comparatum, ut *uterus*, in prægnationis tempore, extendatur commodius.

Int. Unde accipit ſua vaſa?

R. Vaſa poſsidet ventriculus copioſiſsima. Arterias à *cæliacæ* ramis, *gaſtricas* dictas. Venas à *vena portæ*, quarum aliæ ex ipſo trunco, aliæ ex ramo *ſplenico* proximè emergunt. Illæ vocantur *gaſtricæ dextræ*; hæ *ſiniſtræ*: nonnullæ, quæ ventriculo, & omento quaſi communes ſunt, *gaſtro-epiploicæ* appellantur. Ex hiſce oritur aliqua vena major, ventriculum ambiens, quæ *coronaria* dicitur. Etiam habet *vaſa lymphatica*, quæ ad *receptaculum chyli* abeunt. Vena *ſplenica*, ubi lieni immerſa eſt, ſurculos aliquos ad ventriculum tranſmittit, *vaſa brevia* dictos. Nervos, in primis circa ſiniſtrum orificium intrantes, à *pari vago* admodum inſignes ſuſcipit, hinc adeò ſenſile.

Int. Qua conſtat *figura*?

R. Figura ventriculi cum *utriculo* luſorio convenit.

Int. Quot ſunt tunicæ componentes ventriculum?

R. Quatuor, I. dicitur *membranacea*, cujus fibræ tranſverſæ incedunt. II. *Muſculoſa*, in qua fibrarum ordo varius eſt, & quaſi inextricabilis, quædam quaſi circulares à parte ſuperiori ad inferiorem deſcendunt, aliæ à ſuperiori ventriculi parte, inter utrumque orificium, aliæ à ſiniſtro latere ad dextrum obliquè excurrunt; & quædam orificia ambiunt. III. *Nervea* rugas efficiens, multis vaſis ſanguiferis, & parvis *glandulis*, liquidum gaſtricum ſecernentibus, inſtructa, quæ in *porcis* facilius, quam in homine obſervantur. IV. Villoſa, tenuis, poroſa, præcedenti arctè adhærens.

Int. Quis eſt uſus ventriculi?

R. Eſt alimenta recipere, continere, ſolvere, mutare per *pylorum* ad inteſtina expellere, & ſubtiliorem eorum partem per ſua vaſa lymphatica nervea abſorbere. Denique per ſuam ſenſilitatem, hominem tempeſtivæ refectionis reddere memorem.

Int. A quo fit *chylificatio*?

R. Chylificatio in ſtomacho non perficitur à ſolo calore, ut voluerunt AA. ſed ſimul à *fermento acido, ſpirituoſo*, ſeu volatili, quod non tantum, menſtrui inſtar, cibum maſticatum, & ſalivali menſtruo probè ſubactum, potuque plus minus dilutum incidit, penetrat, diſſolvit, & ſalia abſcondita in apertum producit, ſed etiam volatili aciditate cum particulis alimentorum, præſertim ſalinis, fermentationem inchoat, abſolvit, eaque volatiliſat.

Int. Unde *fermentum eſurinum* trahit originem?

R. Fermentum hoc digeſtivum aliis videtur ſtomacho innatum, alii ex liene; alii ex reliquiis alimentorum acidis, in rugis ſtomachi reſtitantibus; alii probabiliter ex certa lympha transſudante ex tunica intima glanduloſa ventriculi deducunt, concurrente etiam ſpiritu animali. Fermentatione igitur (ut abundè probatum manet in meo Scrutinio Phyſico-Medico) alimenta convertuntur in liquorem pultaceum, pthiſanæ cremori ſimilem, qui vocatur *chylus*.

CAP. TRIGESIMUM NONUM.

DE INTESTINIS.

Int. Quid ſunt *inteſtina*?

R. Sunt longi anfractuoſi canales, à pyloro ad anum protenſi, ducendo chylo, fœcibuſque continendis deſtinati.

Int. Inteſtina qua gaudent *longitudine*?

R. Sextuplo longiora ſunt homine, cujus, dum vivebat, erant propria. Licet enim inteſtina omnia unicum canalem efforment à ventriculo uſque ad anum; attamen in ſuo itinere, iſte ductus multopere variatur, quoad *figuram, ſitum*, & *uſum*, ideòque plura inteſtina eſſe dicuntur.

Int. Quot ergo ſunt inteſtina?

R. Sex: dividuntur ergo primo in *tenuia*, & *craſſa*; illa anguſtiora ſunt, tunicisque tenuioribus donata: hæc ampliora, tunicis craſsioribus conſtantia.

Int. Quot ſunt inteſtina tenuia?

R. Tria, ſcilicet, *duodenum*, *jejunum*, & *ileum*. Craſſa vero ſtatuuntur tria etiam, videlicet, *cæcum*, *colon*, & *rectum*.

Int. Cur primum inteſtinum dicitur duodenum?

R. Quia ejus longitudo non excedit longitudinem duodecim digitorum tranſverſorum.

Int. A quà parte ſumit originem?

R. Inteſtinum *duodenum ab orificio ventriculi dextro* initium habens, primò parum aſcendit, deinde deſcendit, & poſtea iterum aſcendendo, tranſversè verſus renem ſiniſtrum excurrit, atque, ubi anfractus inteſtinorum incipiunt, terminatur.

Ad trium, vel quatuor digitorum diſtantiam à *pyloro* uno hiatu prominente, excipit *oſcula* ductus *cholidocchi*, & *pancreatici*, ex quibus humores in hoc inteſtino primùm chylo affunduntur. *Valvulas*, ſive rugas in principio habet plurimas. Plurimis donatur *glandulis*, *à Brunero* detectis, pro liquidi tenuis ſecretione.

Int. Cur ſecundum inteſtinum appellatur *jejunum*?

R. Quia ut plurimum magis quàm reliqua reperitur vacuum: cujus cauſa putatur I. *Chili* fluiditas, II. *Bilis* acrimonia, III. *Vaſorum lacteorum* multitudo chylum citiſsimè recipientium.

Situm eſt in regione *umbilicali*. Principium habet, ubi *duodenum* deſinit; finem, ubi ductus inteſtinalis fit gracilior, aut ubi valvulæ obliterantur. *Valvulas* quoque conniventes habet plurimas.

Int. Cur tertium inteſtinum tenue dicitur *ileum*?

R. Quia ejus ſitus potiſsimum eſt juxta *oſſa ilei*, infra umbilicum, uſque ad infimum regionis *hypogaſtricæ*.

Int. Quà conſtat *longitudine*?

R. Longitudo hujus inteſtini quandoque vix quindecim, quandoque vero viginti palmos excedit. Prin-

ci-

cipium Ilei exactè deſignari non poteſt; attamen ubi *valvulæ* vix amplius conſpiciuntur, habetur pro principio hujus inteſtini. Finis vero ubi craſſa incipiunt. *Valvulas* nullas habet, niſi magnam illam in fine, quam *Valvulam, Coli, Bauhini* appellant.

Int. Quid eſt inteſtinum *cæcum*?

R. Eſt illa pars globoſa inteſtini craſsi, quę ab inſertione inteſtini Ilei deorſum pendet, ſita in dextra ilei regione, renique ejuſdem lateris annexa.

Int. Quà donatur *longitudine*?

R. Longitudo hujus inteſtini non excedit 3. vel 4. digitos tranſverſos.

Int. Cur dicitur *cæcum*?

R. Quia parte inferiori clauſum eſt, ſuperiori vero inteſtino *colon* continuatum, & apertum.

Int. Quid eſt illa appendix, quæ vocatur *vermiformis*?

R. Eſt productio quædam longitudine quinque digitorum tranſverſorum circiter, craſsitie digito minori, quæ ſuper inteſtinum craſſum, ſe ad inſtar vermis contorti ſternit, egrediens ex inteſtino craſſo, ferè ubi Ileum ipſi connaſcitur. Hæc appendix in gallinis reperitur duplex; in piſcibus plurimis, multiplex eſt; in homine vero quandoque deeſt.

Int. Secundum inteſtinum ex craſsis quomodò vocatur?

R. Colon, quod ſitum eſt in circumferentia *tenuium*, in variis ſubjectis variè, & mirè flexum. Principium aſſumit à *cæco*. Connectitur cum *oſſe ilei*, *rene dextro veſicula fellis*, & *hæpate*: hinc tranſverſim ſub fundo ventriculi procedit ad latus ſiniſtrum, ubi membranis tenuiſsimis, *lieni*, & paulo inferius *reni* ſiniſtro annectitur., ibidemque ſæpè valdè coarctatum deſcendit ad finem oſsis *ilei*: Inde rurſus aſcendit uſque ad ſummum oſsis *ſacri*, & in inteſtinum rectum deſinit.

Int. Quà gaudet *longitudine*?

R. Longitudo ejus quandoque vix 5. ſæpius tamen 7. *ſpithamas* excedit. *Amplitudo* omnium maxima, demp-

dempto inteſtino *cæco*. Cellulas habet copioſiſsimas, tranſitum fœcum remorantes: Cellulę autem iſtæ efformantur á tribus ligamentis, ſecundùm longitudinem excurrentibus, & in proceſſu *vermiformi* deſinentibus. In cavitate inteſtini *cæci*, ad *coli* initium, & *ilei* finem locatur *valvula* excrementorum regreſſum impediens.

Int. Cur tertium inteſtinum ex craſsis dicitur *rectum*?

R. Quia ejus ſitus rectus eſt ſuper os ſacrum, nullis gyris, anfractibuſque, aut cellulis inæquale, ne excrementorum egeſtiones nobis multum ſint moleſtæ.

Int. Quà conſtat *longitudine*?

R. Palmas circiter duas habet: latitudo trium digitorum; at corpulentia, & ſubſtantiæ craſsities valdè inſignis eſt. *Principium recti* eſt, ubi deſinit inteſtinum *colon*, hoc eſt, ad imam lumborum vertebram. *Finis* vero dicitur *podex*, ſeu *anus*, eſtque inſtructus tribus muſculis: primus *Sphinter* dicitur, pro ano claudendo, & *elevatores* duo, pro eodem retrahendo.

Int. Quibus partibus nectitur inteſtinum *rectum*?

R. Nectitur *oſsi ſacro*, *coccygis*, in viris quoque *collo veſicę urinariæ*: In mulieribus, *vaginę uteri*, mediante muſculoſa quadam ſubſtantia. Valvulæ hic plerumque non adſunt, ſed tantum quædam rugæ, ne fœcum exitus retardetur.

Int. Quot ſunt tunicæ componentes inteſtina?

R. Ex quinque tunicis componuntur: I. dicitur *Membranacea*, ſive communis à *perytonæo*. II. *Celluloſa*, *Ruiſchii*, *meſenterio* continua, & flatu detegenda. III. *Muſculoſa*, ex duplici fibrarum ordine compoſita, ſcilicet *longitudinalium*, & *anularum*; motui inteſtinorum inſervientium. IV. *Nervea*, glandulis, vaſculis, & cellulis copioſis inſtructa, cæteriſque amplior: unde *rugę*, & *valvulæ*. V. *Villoſa*, fines excretoriorum, & principia *vaſorum lacteorum* ſubſtinens; unde accurato examine, cribri inſtar apparet; ergo percolationis chyli organum appellari poteſt.

Int.

Int. Unde inteſtina ſuſcipiunt ſua vaſa?

R. Inteſtina tenuia ſuſcipiunt arterias à *meſeraica ſuperiori*; craſſa vero ab *inferiori.* Inteſtinorum autem venæ ad venam *portæ*, & hæpar abeunt. Nervos à *pari vago*, & *intercoſtali* recipiunt.

Int. Quid enim amplius venit conſiderandum in inteſtinis?

R. Quamplurimæ *glandulæ* in eorum ſuperficie interna, quæ tenuibus ſæpè acervatim, per modum racimi inhærent; in craſsis vero ſparſæ jacent.

Int. Hæ glandulæ aliquid ex inteſtinis recipiunt? An potius humorem iis infundendum à maſſa ſanguinea ſegregant?

R. Probabilius videtur poſterius: etenim quod ad inteſtina craſſa ſpectat, non apparet quid boni ex materia fœculenta illis incluſa, dictæ glandulæ reportarent; ſed contra valdè credibile eſt, eamdem materiam, depoſita in venas lacteas humiditate, nimis aridam fieret, eaque ratione, inhabilem ad excretionem, niſi rurſus in craſsis humectetur, ab humore gratia glandularum ſecreto, & in cavitatem craſſorum depoſito. In inteſtino *duodeno*, & *jejuno*, quibus tamen humores magna inexiſtunt abundantia, paucæ glandulæ ſunt, quia materia chyloſa debitè diluta eſt, ut ingredi poſsit orificia vaſorum lacteorum.

Int. Quis eſt uſus inteſtinorum?

R. Uſus tenuium eſt non tantum diſtributioni chyli, ſed etiam ulteriori perfectioni inſervire: Craſſorum vero eſt fœces colligere, & ſuo tempore expellere.

Int. A quo dependet perfectio chyli in tenuibus inteſtinis?

R. Chyli perfectio juxta RR. I. potiſsimum dependet à balſamo bilis, craſsitiem atenuantis, cumque fluidiorem reddentis. II. Chylo pro ſanguificatione primam diſpoſitionem tribuentis, beneficio ſulphuris ſui tingentis. III. Vi ſua balſamica, à corruptione, putredine, & verminatione præſervantis: quidquid igi-

igitur in ventriculo concoctum, per *pylorum* ſemper conniventem à ventriculo, ſeſe magis conſtringente, ad inteſtina protruditur, ibidemque perficitur.

Pars chyli utilior in venas lacteas per poros rugoſæ tunicæ, veluti per colatorium exprimitur: Impurior ad craſsiora inteſtina deturbatur, quæ tum excrementorum pondere, tum bilis acrimonia irritata, contractis fibris, eadem deorſum protruduntur, donec laxato, pro hominis arbitrio ſphintere, ac muſculis abdominis ſeſe contrahentibus, illudque comprimentibus, in totum excernantur. Separatio fœcum fit à *ſucco pancreatico* acidulo fermentanti cum ſale lixivioſo in bile prædominante, quæ impurum ſulphur alimentorum præcipitant.

CAP. QUADRAGESIMUM.

DE MESENTERIO.

Int. QUid eſt *Meſenterium*?

R. Eſt pars membranacea valdè lata, & craſſa, colligans inteſtina, in medio eorum, præcipue tenuium ſita, conſtanſque membranis, nervis, arteriis, & venis, tam lacteis, quam ſanguineis intertexta, adipeque multa, & glandulis ſtipata.

Int. In quas partes dividitur *Meſenterium*?

R. In duas, ſcilicet, in *Meſæreum*, & *Meſocolon*. Meſæreum colligat inteſtina tenuia: *Meſocolon* inteſtina craſſa.

Int. Quibus partibus connectitur *Meſenterium*?

R. In parte ſuperiori, cum tribus ſuperioribus *vertebris lumborum*; in inferiori cum inteſtinis, præſertim *jejuno*, & *ileo*; quibus extimam quoque largitur tunicam.

Int. Ex quibus conſtat *tunicis*, ſeu *membranis*?

R. Ex duabus, una, quæ dicitur *ſuperior*, & alia *inferior*; intra quas *celluloſa ſubſtantia* pinguedinem conti-

ti-

tinens, glandulæ, & vaſa meſaraica locantur. Hanc ſubſtantiam quidem non inepte pro tertia membrana numerant, & *celluloſam* appellant.

Int. Meſenterium qua conſtat *figura*?

R. Figura Meſenterii ferè circularis eſt, habens in circumferentià plurimas rugas, ſeu plicas, quæ procedendo verſus ejus centrum, paulatim obliterantur: unde licet meſenterii diameter vix ſit duarum ſpithamarum in homine mediocris ſtructuræ; circumferentia ad plures ulnas extenditur, ut plurimum circiter ad tres.

Int. Quot ſunt vaſa meſenterii?

R. Hæc alia ſunt ſanguinea, quæ copioſiſsima ſunt inter meſenterii membranas, ad inteſtina properantes, mirabiles anaſthomoſes, arcus, & inſulas conſtituentes. *Nervi* quoque à pari vago, & intercoſtali, & *vaſa lactea*, de quibus mox ſeorſim.

Int. Determinari poteſt numerus, & magnitudo glandularum meſenterii?

R. Glandulæ meſenterii valdè variant circa magnitudinem, numerum, & ſitum. Ex his paucæ ſunt, quæ vulgarem magnitudinem fabæ vincant. In canibus, circa meſenterii centrum, una, magnitudine emicat ab *Aſſello*, *Pancreas* appellata, vulgò *glandula magna meſenterii*. In homine vero nulla reperitur, quæ ſic vocari liceat.

Int. Quis eſt uſus harum glandularum?

R. Uſus glandularum meſenterii eſt liquorem aliquem ad chyli ſpiſsioris dilutionem, tranſcolare. Enim vero maximè veriſimile eſt, partes chyli fluidiores, motuique aptiores, fræquenter præcurrere craſsioribus, haſque tandem in viis anguſtioribus facilè hæſuras, niſi alia fluidiori materia, tanquam vehiculo perfundantur.

Int. Quis eſt uſus meſenterii?

R. I. Eſt ſuſpendere, colligare, & in ſitu retinere Inteſtina. II. Subſtentare vaſa ſanguifera inteſtinorum, ac lactea. III. Viam vaſis lacteis ad receptaculum breviorem facere.

CAP. QUADRAGESIMUM PRIMUM.

DE VASIS CHYLIFERIS, CYSTERNA, Chyli, & Ductu Thoracico.

Int. QUid ſunt viæ lacteæ?

R. Sunt vaſa tenuia, lymphaticis quoad ſubſtantiam, non multùm diſsimilia, ad chylum ex ductu inteſtinali recipiendum, atque ad cyſternam transferendum deſtinata.

Int. Quis fuit inventor vaſorum lacteorum?

R. Aſſellius, anno 1622. olim quidem jam ab *Eraſiſtrato*, & *Galeno* notata, ſed pro arteriis, lacte plenis habita.

Int. Quod tempus eſt opportunum ad ea demonſtranda?

R. Duabus, vel tribus horis poſt paſtum, in beſtiis anteà benè paſtis, & recens ſtrangulatis, quia tunc chylo turgent: nam extra tempus digeſtionis, tantùm lympham vehunt.

Int. Quot ſunt vaſa lactea?

R. Alia ſunt *primi*, & alia *ſecundi* generis: vaſa lactea primi generis oriuntur ex inteſtinis, potiſsimum tenuibus omnibus, radicibus innumeris. *Secundi generis* ortum ducunt á meſenterii glandulis, & ad *cyſternam chyli* protenduntur. Hæc prioribus ampliora, ſed pauciora ſunt.

Int. Cur vaſa lactea poſt mortem citò evaneſcunt?

R. Quia chylus, qui modo intravit venas lacteas, impetu ante impreſſo, partiumque vicinarum collapſu, facilius per eaſdem ulterius promovetur; adeòque paucò ut plurimum tempore poſt obitum inaniuntur, & planè diſparent: hinc per tot ſæcula oculis humanis manſerunt abſcondita.

Int. Vaſa lactea habent valvulas?

R. Eas habent, refluxum chyli impedientes.

Int. Quis eſt uſus vaſorum lacteorum?

R. Eſt *chylum*, & *lympham* ex inteſtinis per meſenterium ad *cyſternam*, ſive receptaculum chyli deducere.

Int. Quid eſt *cyſterna chyli*?

R. *Eſt receptaculum commune chyli, & lymphæ ex partibus inferioribus, atque vicinis advectæ, in ſiniſtro latere ſuperiorum vertebrarum lumborum, ſub aorta, & vaſis renis ſiniſtri ſitum.*

Int. Ex quibus conſtat membranis?

R. Ex unica tantum tenui, cujus ruptio à ſuperjacente *Peritonæo* præcavetur.

Int. Qua conſtat cavitate?

R. Hæc varia eſt pro varia animalium magnitudine, ac voracitate. Ejus *longitudo* ferè reſpondet quartę parti *ductus thoracici. Latitudo* tanta eſt, ut in canibus, utcumque magnis, digiti minoris apicem continendi ſit capax; tunica enim cyſternam chyli efformans, valdè dilatabilis eſt pro continenda copia chyli.

In cyſternam terminantur omnes venarum lactearum trunculi, inſuper lymphaticorum quam plurimi, tam ab artubus inferioribus, quam ab *hæpate, ventriculo*, aliiſque partibus infimi ventris advenientes: ex quibus illa humores correſpondentes recipit, & ductui thoracico tradit.

Int. Quid eſt *ductus thoracicus*?

R. *Eſt canalis tenerrimus chylum, & lympham è cyſterna chyli recipiens, eaque per thoracem ad venam, ut plurimum ſubclaviam devehens.*

Int. Quis fuit inventor hujus ductus?

R. *Pecquetus*, atque ideò à quibuſdam etiam appellatur: *Receptaculum Pecqueti*. Verum longè prius ductum illum obſervavit, & evulgavit *Bartholomæus Euſtachius* anno 1564. ſed obſcurè nimis eum deſcripſit.

Int. A quà parte oritur?

R. A cyſterna chyli, terminaturque in *vena ſubclavia*, ut plurimum ſiniſtra, vel in *jugulari*, quod rarò evenit.

Int. Qua conſtat *latitudine*?

R. Triplo anguſtior eſt *cyſterna*, æquatque latitudinem *calami ſtraminei* craſsioris, ubi indiviſus eſt. Ejuſdem eſt ſubſtantiæ, ac *cyſterna*, & pro tutamine habet alteram *lamellam membranæ pleurę* ſibi ſuperjacentem.

Int. Quem ſitum tenet ductus thoracicus?

R. In canibus ſub *aorta*; in homine vero aſcendit in dextro latere vertebrarum dorſi, inter *aortam*, & venam *Azygos*, nunc ſimplici, nunc diviſo trunco.

Int. Conſtat ne ex valvulis?

R. Eas habet in tota ſua longitudine, ita ut liquor in ductum illum ſemel immiſſus, regredi nequeat, impedientibus id ipſum valvulis, per intervala eidem ductui inhærentibus, in eoque multum diſtento, etiam extrinſecus inſtar nodulorum conſpicuis. Ubi ductus thoracicus venæ ſubclaviæ inſeritur, invenitur una valvula, illius orificio ſuperpoſita, *ſemilunaris* dicta, quæ permittit ingreſſum chyli in venam ſubclaviam, & impedit, quod ſanguis permeet ad ductum thoracicum.

Int. Quis eſt uſus ductus thoracici?

R. Eſt recipere chylum, & lympham ex cyſterna; item lympham à partibus thoracis, per vaſa lymphatica ſibi à latere implantata, illoſque humores tranſmittere ad venam *ſubclaviam*, ibique communi ſanguinis maſſæ intermiſcendos.

CAP. QUADRAGESIMUM SECUNDUM.

DE PANCREATE.

Int. QUid eſt *Pancreas*?

R. Eſt glandula conglomerata, ſita prope primam lumborum vertebram, ſub fundo, & poſtica ventriculi parte, craſsiori ſuo extremo, adjacens inteſtino duodeno, indeque verſus lienem extenſa, ad ſuccum quemdam, qui pancreaticus dicitur, filtrandum, atque inteſtinis inferendum deſtinata.

Int.

Int. Pancreas quo donatur *colore?*

R. Color pancreatis ex albo paululum ad rubedinem accedit.

Int. Qua conſtat *figura?*

R. Figura ejus eſt inſtar linguæ caninæ, latior propè *duodenum*, anguſtior ſenſim verſus lienem: in homine mediocris ſtaturæ ad octo, novem, aut decem digitos ſe extendit. Illius *latitudo* ferè duos cum dimidio; craſsities digitum unum aſſequitur.

Int. Quibus partibus connectitur?

R. Connectitur cum *duodeno*, *meſenterio*, *vaſis ſpleneticis*, & *liene*. In *homine* eſt ſimplex, *in felibus*, *canibus*, quaſi bipartitum reperitur; ita ut altera pars ſub *ventriculo* tranſverſim excurrat; altera ſecundùm ductum inteſtinalem per meſenterium deſcendat. *Membrana* cingitur quæ cum peritonæo continua eſt.

Int. Unde recipit ſua *vaſa?*

R. Arterias à *Cæliaca*, & *ramo ſplenico*; venas quoque à *ſplenica*: nervos à *pari vago*, & *intercoſtali*; vaſa vero *lymphatica* habet propria, quæ lympham immediatè ex Pancreate recipiunt, & *vaſis lacteis* infundunt.

Int. Pancreas qua conſtat *ſubſtantia?*

R. Glanduloſa, ex multis glandulis minoribus conglomerata. Poſsidet inſuper *ductum excretorium*, ex multis minoribus conflatum, & per totam ejus longitudinem extenſum. Inventor primus *Mauricius Hoffmanus* fuit, *Patavii* anno 1641. in gallo indico; & deinde poſt hujus demonſtrationem, demum anno 1642. *Georgius Uvirſungius* in homine eum demonſtravit; adeòque *Ductus Uvirſungianus* vulgariter appellatur.

Int. Quà præditus eſt *craſsitie?*

R. Circa inteſtinum duodenum pennam gallinaceam ſuperat; ſed ab eo recedendo paulatim attenuatur, & ramos laterales ad omnes glandulas pancreatis tranſmittit.

Int. Ductus pancreaticus eſt ne ſimplex?

R. Ut plurimum unicus in homine, quandoque du-

plex, quod ordinarium eſt in *Phaſianis*, *Gallis africanis*, *anſeribus*, *anatibus*, *&c.* triplex vero in gallis, columbis, &c.

Int. Cui inteſtino inſeritur?

R. Duodeno, quatuor, aut quinque digitos à *pyloro*, & fræquenter eodem oſculo, cum *ductu biliario*: In *canibus* autem *porcis*, *vitulis*, *&c.* proprio oſculo hiat in inteſtinum duodenum, ſpatio notabili, infra inſertionem ductus biliarii.

Int. Quis eſt uſus *pancreatis*?

R. Officium pancreatis eſt mediantibus ſuis glandulis ſecernere à maſſa ſanguinaria liquorem, *ſuccum pancreaticum* dictum, eumque dimittere ad inteſtina, per præfatum ductum.

CAP. QUADRAGESIMUM TERTIUM.

DE LIENE.

Int. QUid eſt *Lien*?

R. Eſt pars atrorubeſcens, mollis, facilè dilatabilis, in ſiniſtro hypochondrio, inter coſtas ſpurias, & ventriculum collocata.

Int. Lien eſt ne ſimplex?

R. Ordinariè unicus, quandoque plures inventi.

Int. Qua conſtat *figura*?

R. Figura varia eſſe ſolet; non rarò *linguæ* quodammodò æmula: Concava verſus ventriculum, convexa, verſus *diaphragma*, & *coſtas*: ſæpè tamen irregularis eſt, & hinc inde varias fiſſuras obtinet.

Int. Qua donatus eſt *magnitudine*?

R. Magnitudo lienis, etiam in hominibus ejuſdem ſtaturæ, mirum in modum variatur: creditur interim communiorem ejus longitudinem eſſe ferè ſex digitorum tranſverſorum: Latitudinem, trium: craſsitiem, unius: ponduſque, duodecim unciarum.

Int. Quibus partibus connectitur?

R. Connectitur cum *ventriculo*, per *vaſa brevia*, &

medio *omento*: cum *pancreate*, *omento*, *diaphragmate*, & *rene* ſiniſtro; per membranas.

Int. Quibus conſtat tunicis?

R. Binis lien veſtitur tunicis, quarum exterior ambit tantum aliquam ejus partem, eidemque non niſi laxè conjungitur. Adhæret tamen tunicæ interiori, mediantibus vaſorum ramulis. Tunica externa ex fibris ſibi invicem mirè intrincatis componitur, ab eaque innumera filamenta ex altero latere, in oppoſitum deducuntur.

Int. Lien quà gaudet *ſubſtantia*?

R. *Clariſsimus Ruyſchius* negat, lienem humanum eſſe glanduloſum (quod alii affirmant) imò dicit, ſeſe deprehendiſſe integram lienis humani conſtitutionem, nil eſſe niſi congeriem quamdam arteriarum, venarum, lymphæ ductuum, & nervorum, quæ membranis ambientibus coercentur.

Int. Unde ſuſcipit ſua vaſa?

R. Arterias accipit à ramo *Cæliacæ* ſiniſtro, cujus præcipuè ſurculi per illius ſubſtantiam diſtribuuntur. Venas à ramo ſiniſtro venæ *portæ*. Nervos, *à plexu ſplenico*. Habet etiam ſua vaſa lymphatica, ad receptaculum chyli abeuntia: ductus vero excretorius, nullus.

Int. Quis eſt uſus lienis?

R. Juxta AA. eſt, eſſe *humoris melancholici* receptaculum: probabilius autem juxta RR. eſt ut vel ſanguis in eo diſponatur, ut facilius in *hæpate* alterari, & bilis ex eodem confici, ac tranſcolari queat: vel juxta alios, ut ſanguinis partem acidam, limoſam, & terream ſeparet, eamque in fermenti naturam exaltet, quod ſanguinem deinde attenuet, illique veluti auſteritatem quamdam conciliet, ac robur addat.

CAP. QUADRAGESIMUM QUARTUM.

DE HÆPATE, ET VESICULA fellis.

Int. QUid eſt *Hæpar*?

R. Eſt viſcus maximum, rubicundum, in dextro hypochondrio, ſub diaphragmate ſitum, bilis ſecretioni deſtinatum.

Int. Cur hæpar tam inſignis magnitudinis eſt à *natura* fabricatum?

R. Ut bilis in magna copia ſecerni poſsit.

Int. Qua donatur *figura*?

R. Figura hæpatis irregularis eſt, eam tamen accipit partibus adjacentibus accommodatam: nimirum ſuperius, & anterius convexam, ſeu gibam; poſterius concavam inæqualem, veſiculam felleam continentem, & inferius deſinit in marginem tenuem, ac ſalebroſam.

Int. Quos *ſinus* habet?

R. In hæpate tres ſinus reperiuntur, quorum major in latere ſiniſtro, dextram *ventriculi* partem, cum *pyloro*, & principio inteſtini duodeni excipit. Secundus in latere dextro, prope marginem inferiorem, ſubſtinet *veſiculam fellis.* Tertius in ſuperiori parte tranſitum concedit *venæ cavæ.*

Int. Hæpar eſt diviſum in *Lobos*?

R. In *canibus* talis diviſio reperitur, minimè vero in *homine.*

Int. Qua gaudet *membrana*?

R. Cingitur hæpar membrana tenui, quæ putatur habere originem à peritonæo: ſeparatur quidem parvo labore à ſubjecta ſubſtantia; ſed non ſine ejuſdem ſubſtantiæ laceratione.

Int. Quibus partibus connectitur?

R. Connectitur potiſsimum *diaphragmati*, & quidem per plura ligamenta, numero non ſemper æqualia.

Superius per ligamentum membranaceum latum, *ſuſpenſorium dictum*, è regione magnæ fiſſuræ egreſſum. A dextris, ſub coſtis ſpuriis eidem ſepto alligatur, per ligamentum aliud latum, & tenuè, ab externa hæpatis membrana, vel *à peritonæo productum*. Tertium huic ſimile, connectit hæpar *cartilagini enſiformi*. Inſuper medio vaſorum, in primis *venæ cavæ*, & *portæ*, etiam alligatur. Inferiùs tandem connectitur umbilico, *per ligamentum rotundum*, quod vena fuit umbilicalis in fœtu.

Int. Quid eſt *Capſula Glyſſonii*?

R. Eſt tunica peritonæo continua, venæ portæ ramos, & ductus biliarios, propè, & intra hæpar includens.

Int. Hæpar quibus conſtat *vaſis*?

R. Vaſa jecur poſsidet copioſiſsima, quæ ſunt *venæ, arteriæ, nervi, vaſa lymphatica*, & proprii *ductus*. Venas habet, tum à *cava*, tum maximè à vena *portæ*: illa diaphragma egrediens, ſtatim ſimæ hæpatis parti immergitur, eique ab ipſo introitu ſæpè impertitur tres inſignes ramos, ac deinde per totum tranſitum, minores quàm plurimos, qui ulterius in varios ſurculos diviſi, totam jecoris ſubſtantiam, denſiſsimo agmine percurrunt. Vena *portæ* utraque extremitate abit in ſurculos quodammodò infinitos, quorum ſuperiores per hæpar excurrunt: Inferiores, qui inſtar radicum ſunt, ferè per omnes partes *abdominis* contentas diſtribuuntur, ſanguinemque ex earum arteriis receptum, trunco infundunt, ulteriùs per ramulos ſuperiores ad venam *cavam* tranſmittendum. Arterias ſuſcipit à *cæliaca*, à *cyſticis*, à *diaphragmaticis*, & interdum etiam à *meſenterica ſuperiori*. *Nervos* habet jecur à plexu illo ſuperiori abdominis, quem ſurculi *trunci intercoſtalis* in latere dextro conſtituunt, *Uvilliſsiuſque hæpaticum* appellat.

Vaſa lymphatica copioſè obſervantur, ligata *vena portæ* in vivis, vel flatu in arteriam, aut ductum hæpaticum immiſſo.

Vaſa propria, quæ *biliaria* dicuntur, ſunt tria, *hæpa-*

paticus, *cyſticus*, & *communis*. Primus innumeris ramulis, aut radicibus ex hæpatis ſubſtantia exoritur, illudque deinde egreſſus, alteri ductui continuatur, cumeoque efficit communem ductum, qui ulteriùs deorſum tendens, obliquè implantatur *inteſtino duodeno* circiter quatuor, aut quinque tranſverſis digitis ſub *pyloro*, & ut plurimum eodem oſculo, cum *ductu pancreatico*. Porrò ductus hæpaticus, & communis protenduntur in linea recta, ab hæpate ad inteſtinum uſque: Eiſque à latere occurrit *ductus cyſticus*, cum communi angulum acutum, cum hæpatico vero obtuſum conſtituens.

Int. Hæpar quà conſtat *ſubſtantia*?

R. Circa naturam ſubſtantiæ hæpatis variant Authores: AA. cenſerunt, eſſe ſanguinem concretum circa vaſa ſanguifera. Ex RR. plerique ſentiunt, eſſe glanduloſam conſtans ex quam plurimis glandulis, ramis vaſorum hæpatis, & potiſsimùm venæ *portæ* adnaſcentibus, quæ ſingulæ, obſervante *Malpygio*, habent ad minus ſex facies, ſeu ſuperficies inæquales. *Ruyſchius* vero eam ſtatuit vaſculoſam, ex congerie vaſculorum minimorum compoſitam.

Int. Quis eſt uſus hæpatis?

R. Secundùm AA. officium hæpatis eſt ſanguificare: juxta RR. vero, eſt defœcare ſanguinem, tum à lympha, tum potiſsimum à bile, quæ neceſſariò materialiter generatur in ſanguine, quatenus calor vitalis, perpetua ejus coctura in ipſo, amarulentum, ſive felleum humorem producit, ſpiritus ejus dulces deprædando, ac craſſum ſulphur adurendo. Defœcatio bilis fit potiſsimum per tranſcolationem; alii ſimul, vel præcipitationem, vel fermentationem neceſſariam putarunt.

Int. Quis eſt uſus *ductus hæpatici*?

R. Eſt recipere humorem bilioſum ex glandulis jecoris, eumdemque inde receptum tranſmittere ad ductum communem, & ex hoc ad inteſtinum rectum. Bilis ſic ad inteſtina delata *chylùm* perficit, mucum

in-

inteſtinorum vi ſaponaria abſtergit, inteſtinorum expultricem, vim clyſteris inſtar, irritat, fœceſque diluit.

Int. Quid eſt *veſicula*, ſeu *cyſtis fellea*?

R. Eſt vaſculum membranaceum pyriforme, hæpati ſub ima ejus parte immerſum, bili recipiendæ, conſervandæ, ac tempore opportuno ad inteſtina tranſmittendæ deſtinatum.

Int. Ubi ſuum *ſitum* habet?

R. Sita eſt à dextris ſub majori lobo hæpatis, in imo ejus margine, infra quem ut plurimum non nihil protuberat.

Int. Qua conſtat *magnitudine*?

R. Magnitudo ejus parvo *ovo gallinaceo* ferè ſimilis eſt.

Int. In quas partes dividitur?

R. In duas, ſcilicet *in fundum*, & *cervicem*, ſeu *collum*: hoc anguſtius eſt, & ſuperiora ſpectat: ille latior, & inferiora verſus propendit.

Int. Quibus partibus connectitur *veſicula fellis*?

R. Annectitur hæpati, tum mediantibus vaſis, tum maximè duabus membranis; videlicet exterius, tunica communi *peritonæi* ſobole: interius ubi hæpar reſpicit, proceſſu ipſius *capſulę*, quæ ramos venæ *portæ*, & *felleos* includit.

Int. Quot ſunt *membranæ veſiculæ fellis*?

R. Quinque: nam præter has duas numeratas, quæ communes ſunt, tres habet proprias. *Prima* vocatur *vaſculoſa*, quia nervis, & copioſis vaſis ſanguiferis contexta eſt. *Secunda* dicitur *muſculoſa*, quia fibris conſtat, quadatenus muſculoſis, eiſque duplicis ordinis, externi ſcilicet, & interni. Fibræ prioris ordinis ſecundùm veſicæ longitudinem deducuntur; tractu tamen aliquatenus irregulari. Alterius ordinis fibræ annullares ſunt, ſed pari, ac præcedentes irregularitati obnoxiæ.

Tunica tertia ad ſubſtantiam nervoſam accedit; intus rugoſa eſt, multiſque foſſulis, inſtar *favi apum* in-

inæqualis. Hæc tunica intus obducitur *cruſtra mucoſa*, contra bilis acrimoniam: in quà quidèm glandulas quàm plurimas notat *Malpygius*, fortè ad lymphæ ſeparationem ibidem collocatas.

Int. Unde veſicula fellis recipit ſua *vaſa*?

R. Venę, *arterię*, & *nervi* ab hæpaticis vaſis ſunt; venæ quidem à vena *portæ*, quæ cum binæ ſint, *cyſticæ gemellæ* vocantur. Habet vaſa lymphatica, plurimis quoque ſurculis, á veſiculæ fundo accedentibus, & collum ejus accedentia, in unum truncum coëunt.

Int. Quot ſunt vaſa fellea veſiculæ propria?

R. Duplicis generis ſunt: alia ſcilicet quæ bilem veſiculæ infundunt, & alia, quæ auferunt: prioris generis vaſa ex hæpate originem habent; & veriſimiliter partim immediatè, partim mediante *ductu hępatico*: ductus vero *cyſticus*, qui ex collo veſicæ oritur, aufert bilem ab ea.

Int. Quis eſt *uſus* veſiculæ felleæ?

R. Eſt colligere bilem, ulterius eam perficere, ad certum tempus aſſervare, & tandem expellere.

Int. Quis eſt uſus *membranæ vaſculoſę* veſiculę felleæ?

R. Eſt vaſa ſanguifera tutò deducere ad interiorem ſubſtantiam veſiculæ: Uſus *membranæ muſculoſę* eſt veſiculæ conſtrictioni, adeòque bilis expulſioni potiſsimum inſervire: *Nerveæ* vero uſus eſt, ut per ejus irritationem ſpiritus majori copia confluant ad fibras muſculares, ſeu conſtrictorias, ſicque contrahatur veſicula, & bilis ex ejus cavitate expellatur ad *ductum cyſticum.*

Int. Quis eſt uſus *ductus cyſtici*?

R. Eſt bilem ex veſicula inferre *communi ductui*; cujus alterius officium eſt eamdem bilem cum illa, quæ per ductum hæpaticum confluit, infundere *inteſtino duodeno.*

CAP.

CAP. QUADRAGESIMUM QUINTUM.

DE RENIBUS, URETERIBUS, & renibus ſuccenturiatis, ſeu capſulis atrabiliariis.

Int. QUid ſunt *Renes*?

R. Sunt duo viſcera rubicunda, phaſeoli figuram repræſentantia, utrimque in lumbis ſita, in quovis latere unus: quorum concava pars introrſum, convexa extrorſum reſpicit.

Int. Quem *ſitum* tenent renes?

R. Siti ſunt inter duas *peritonæi* tunicas, ad infimas duas *coſtas ſpurias*; ſic tamen, ut nunc æquali, nunc diverſa paulò altitudine, modò enim ſiniſter altior dextro, modò dexter ſiniſtro.

Int. Quibus partibus connectuntur?

R. Connectuntur per membranam externam *lumbis*; per ramos *cavæ*, & *aortæ* horum truncis; per *ureteres*, *veſicæ* urinariæ: adhæret quoque, reni dextro, inteſtinum *cæcum*, & ſiniſtro *colum*, tandemque *renibus ſuccenturiatis*.

Int. Qua conſtant *magnitudine*?

R. Communior renum *longitudo* eſt digitorum tranſverſorum circiter quinque, vel ſex: *Latitudo* trium, & *craſſities* unius cum dimidio.

Int. Quibus conſtat tunicis?

R. Ex duabus membranis inveſtiuntur renes: prima, ſeu exterior, à *peritoneo adipoſa* dicta, robuſta, renes laxè ambiens, propriis vaſis inſtructa eſt. Altera *propria*, ſeu interior tenuis eſt, arctèque undique renes cingit.

Int. Qua donantur ſuperficie?

R. In adultis æqualis, & levis eſt: In *fœtu* vero ſæpè in varias inæqualitates, & lobos diviſa reperitur.

Int. Quibus renes conſtant vaſis?

R.

R. Arterias, & venas habent, quæ *emulgentes* dicuntur: atque reſpectivè ab *aorta* deſcendente, & à *vena cava* abſcedunt: hæc vaſa per partem cavam, renes ſubeunt: arteriæ vero propriæ, adipoſæ dictæ, aliquando immediatè à truncis, aliquandò ab emulgentibus, originem habent. Nervos accipiunt renes reſpectivè ab altero *plexu renali*: tamdemque quàm plurimis exornantur vaſis lymphaticis.

Int. Qualis eſt renum *ſubſtantia*?

R. Exterior horum ſubſtantia ex minutiſsimis vaſculis, & glandulis conflata eſt: cujus craſsities hinc inde tertiam partem, aut dimidium digiti attingit. Ex hac ſubſtantia emergunt *ductus excretorii urinoſi*, valdè exigui, qui verſus *pelvim* tendentes, atque in progreſſu collecti in faſciculos, conſtituunt corpora, papillæ figuram referentia. Numerari ſæpius in uno *rene*, *carunculas* duodecim: à quo numero, aut ſuperabundantia, aut defectu, rarò multum recedunt. Singulæ iſtæ carunculæ excipiuntur à ſingulis fiſtulis membranaceis productis à *pelvi*; cui lotium ex ante dictis vaſculis urinariis receptum, immediatè infundunt.

Int. Quis eſt *functio* renum?

R. Eſt ſegregare à maſſa ſanguinea humorem urinoſum, id eſt ſuperfluum ſanguinis ſerum, cum aliis quibuſdam excrementis admixtis. Adfertur autem humor ille una cum ſanguine per arterias emulgentes, ſeparaturque beneficio *ſubſtantiæ glanduloſæ* per cujus meatus, cæteris incluſis, atque per venas emulgentes refluis, idem ille humor tranſmiſſus excipitur à tubulis urinariis minimis, deinde à majoribus, ſeu pelvis ramis fertur ad *pelvim*, idemque ulterius utrimque per ureterem ad veſicam transfluit.

Int. Quid ſunt *ureteres*?

R. Sunt canales membranacei, à quovis rene unus, ad veſicam protenſi, ut urinam ex illo profluentem excipiant, & veſicæ inferant.

Int. Quot ſunt *ureteres*?

R. Ut plurimum bini ſunt, utrimque unus: aliquando

do tamen in uno latere, duos, vel tres repertos fuiſſe.

Int. Ubi ureteres habent ſuum *ortum*?

R. In renibus, ubi infundibuli forma ampliati, pelvim formant. Finem vero in veſicæ parte inferiori, & poſteriori; ubi obliquè intra membranas ejus progrediuntur, nonnihil inflexi, inſtar litteræ S. & veſicæ inſeruntur non longè ab ejus collo.

Int. Quà conſtant *magnitudine*?

R. Horum longitudo colligitur ex renum, & veſicæ locatione. Craſsities autem magis ordinaria eſt, inſtar calami ſcriptorii minoris.

Int. Unde accipiunt ſua vaſa?

R. Venas, & arterias à vaſis ſanguineis partium vicinarum. Nervos à *trunco intercoſtali*, & *è medulla lumborum.*

Int. Quà conſtant *ſubſtantia*?

R. Subſtantia ureterum eſt *membranacea*, ex tribus tunicis compoſita: I. dicitur *Communis*, à peritonæo derivata. II. *Muſculoſa.* III. *Nervea*, humore lubrico obducta, in qua ſubinde glandulæ obſervantur.

Int. Quis eſt *uſus* ureterum?

R. Eſt urinam, in renibus ſecretam, ex pelvi ſuſcipere, & ad veſicam urinariam deferre.

Int. Ureteres ſe habent merè paſsivè in urinæ per eos commeatu?

R. Minimè, ſed potiùs habere motum quemdam *peryſtalticum*, quo humores tranſeuntes ulteriùs protruduntur.

Int. Quid ſunt renes *ſuccenturiati*?

R. Sunt duæ glandulæ flaveſcentes, compreſſæ, utrimque ſuperiori renum parti incumbentes, in quibus anguſtiſsima cavitas adeſt, liquore fuſco ſub dulci imbuta.

Int. Quà conſtant *figura*?

R. Figura horum irregularis eſt, quadrata, triangularis, ovata, &c.

Int. Qua donantur *magnitudine*?

R. Magnitudo varia eſt: in adultis ſæpè inſtar vomi-

mi-

micæ majoris : in fœtu vero, major, & æqualis renibus, imò ſubinde major.

Int. Quibus conſtant *membranis*?

R. Ex unica tantùm, quæ tenuis eſt, arctè cingens ſubſtantiam glanduloſam, eamque cum rene conjungens.

Int. A quibus vaſis ſuſcipiunt ſua vaſa?

R. Arterias, & venas quandoque accipiunt ab *aorta*, & *cava*; ſæpiùs ab *emulgentibus*. Nervi à plexu renali, & vaſa lymphatica multa habent, quæ excurrunt ad receptaculum chyli. Ductus excretorius, nullus cognitus; adeòque uſus capſularum incertus eſt.

CAP. QUADRAGESIMUM SEXTUM.

DE VESICA URINARIA, & Uretra.

Int. Quid eſt *Veſica Urinaria*?

R. Eſt pars membranacea, cava, pyriformis, in pelvi ſita, ad urinam colligendam, & expellendam deſtinata.

Int. Ubi habet ſuum *ſitum*?

R. In viris locata eſt immediaté ſupra *inteſtinum rectum*; in fœminis inter hoc, & veſicam, *uterus* intercedit.

Int. In quas partes dividitur *veſica*?

R. In *fundum*, & *collum*; ille latior eſt, & in homine erecto, ſurſum ſpectat; hoc, anguſtius, & inferiora reſpicit.

Int. Quibus partibus *connectitur*?

R. Variis partibus veſica urinaria alligatur : I. cum *oſſe pubis* per peritonæum. II. Cum partibus genitalibus per *urethram*. III. Cum umbilico, per *urachum*, & arterias umbilicales. IV. In maribus, cum *inteſtino recto*. V. In fœminis, cum *uteri vagina*.

Int. Unde recipit ſua *vaſa*?

R. Vaſa ſanguifera ſuſcipit ab *hypogaſtricis*, *umbilicalibus*, & *hæmorrhoidalibus*; at in mulieribus quoque à *ſpermaticis*. Nervos ab intercoſtali, & in primis ab *oſſe ſacro*.

Int. Quas *perforationes* habet veſica urinaria?

R. Tres, duæ priores efficiuntur ab ureteribus, in parte poſteriori veſicæ, diſtantque ab invicem circiter duos digitos tranſverſos, & ferè pollicem à *cervice*.

Ingrediuntur quidem ureteres veſicæ ſubſtantiam altiùs; ſed admodum obliquè feruntur inter ejus tunicas: hac autem obliqua inſertione præcavetur, ne urina regurgitet, imò quidem flatus è veſica, per ureterum orificia erumpat. Tertiò in cervice perforatur ab *urethra*.

Int. Quà conſtat *magnitudine*?

R. Veſicæ cavitas eſt capax continendi circiter libræ dimid. liquidi in adultis.

Int. Quà conſtat *ſubſtantia*?

R. Membranacea, ex tribus membranis compoſita. I. *Communis* dicitur, peritonæo continua, fundum ſolùm ambiens. II. *Muſculoſa* vocari poteſt, quia conſtat ex fibris craſsis, ac carnoſis, quarum pleriſque ſecundùm veſicæ longitudinem excurrentibus, aliæ quadam irregularitate intertextæ ſunt. III. *Nervea*, appellatur, humore mucoſo obducta, in glandulis hujus tunicæ, juxta collum ſubinde conſpicuis ſecreto. Hæc tunica præ cæteris valdè ſenſibilis eſt; unde videtur, ea irritata, ſpiritus confluere ad fibras tunicæ *muſculoſæ*, ut veſica conſtringatur.

Int. A quo præpeditur continua effuſio urinæ ex veſica?

R. A muſculo *Sphintere*, qui nihil aliud eſt, quam ſeries fibrarum tranſverſarum, ſub rectis extremum colli veſicæ ambiens arcus ſpecies, & claudens, donec urinæ quantitate, partium abdominis compreſsione, aut tunicæ muſculoſæ conſtrictione, ſuperetur actio ejuſdem muſculi.

Int. Quid eſt *urethra*?

R. *Eſt canalis membranaceus, veſicæ collo continuus, urinæ, & in viris etiam ſemini, exitum concedens.*

Int. Quà donatur *longitudine*?

R. In mulieribus vix duos digitos ſuperat; ſed multó longior eſt in viris, nam facilè ad octo, novem, aut plures digitos tranſverſos extenditur: terminaturque circa extremum membri virilis.

Int. Unde veſica, & urethra ſuſcipiunt ſua vaſa?

R. Arterias, & venas habent ab *hypogaſtricis*, & hæmorrhoidalibus internis: In mulieribus etiam à ſpermaticis. Nervos à duobus *plexibus* in *pelvi* abdominis, qui partim à nervis *paris vagi*, partim è medulla oſsis ſacri egrediuntur, conſtituuntur. Unde illarum actio, partim involuntaria eſt, partim voluntatis imperio ſubjecta.

Int. Quis eſt uſus veſicæ, & urethræ?

R. Harum partium uſus ex earum definitione conſtat.

CAP. QUADRAGESIMUM SEPTIMUM.

DE PARTIBUS GENITALIBUS.

Int. QUæ partes vocantur genitales?

R. Illæ, quæ generationi, adeòque ſpeciei propagationi ſpecialiter deſtinantur.

Int. Quæ partes dicuntur genitales in viris?

R. *Teſtes, paraſtatæ, vaſa deferentia, veſiculæ ſeminales, proſtatæ, & penis.*

Int. Quid ſunt *teſtes*?

R. *Teſtes*, ſeu *teſticuli*, ſive *didymi*, *ſunt in viris illæ partes, quæ extra abdomen in ſcroto propendent.*

Int. Qua donantur figura, & magnitudine?

R. Horum figura, & magnitudo omnibus nota eſt: Numero, ut plurimum bini ſunt: teſtantur interim Authores aliquando plures fuiſſe repertos: aliquando etiam alterum à natura defuiſſe.

Int.

Int. Quot ſunt *tunicæ* teſticulorum?

R. Hæ in duplici ſunt differentia, nam aliæ ſunt *communes*, & aliæ *propriæ*.

Int. Quot ſunt tunicæ communes?

R. Duæ, quarum externa vocatur *Scrotum*, aut *Burſa virilis*: interna verò *Darton*.

Int. Quę notanda veniunt in *ſcroto*?

R. *Subſtantia* ex cuticula, & cute, quæ tunicam externam conſtituunt, & *membrana muſculoſa*, dartus dicta, quæ internam, cujus ope ſcrotum contrahitur, ac corrugatur. *Septum* ex duplicatione *darti* factum, quò *ſcrotum* in duos *loculos* dividitur.

Int. Quot ſunt tunicæ *propriæ*?

R. Tres: I. vocatur *Vaginalis*. II. *Erythroydes*. III. *Albuginea*.

Int. Cur I. dicitur *vaginalis*?

R. Quia tamquam vagina teſtes continet.

Int. A quà parte ducit *originem*?

R. A *peritonæo*, cujus proceſſus vaſis ſpermaticis infarcti circa inguina ad ſcrotum deſcendunt, ibidemque dilatati, tunicam vaginalem utrimque conſtituunt.

Int. Quid eſt tunica *Erythroydes*?

R. Eſt expanſio muſculi *cremaſteris* ſuper teſticulum, illum quadamtenus inveſtiens. Hic muſculus ortum habet à ligamento *oſsis ilei*. Tertia, ideſt, *albuginea* teſticuli figuræ adamuſsim reſpondet, dura, craſſa, & valida eſt, teſtis ſubſtantiam involvit, coercetque.

Int. Quà teſtes donantur *ſubſtantia*?

R. Teſtium ſubſtantia nihil aliud eſt, quàm quædam congeries minutiſsimorum vaſculorum, ſemen conficientium more inteſtinorum intortorum, quæ ſi abſque diſruptione diſſoluta, ſibi invicem annecterentur, facilè viginti ulnarum longitudinem excederent.

Int. Unde ſcrotum ſua recipit *vaſa*?

R. Arterias, & venas ſuſcipit à *pudendis*, & *hypogaſtricis*. Nervos ex oſſe ſacro.

Int. Teſtes unde accipiunt ſua vaſa?

R. Arteriæ, & venæ teſtium in duplici ſunt differentia, nam aliæ ſolummodò deſerviunt pro ferendo teſtium alimento, quas accipiunt ab *hypogaſtricis*, & à *pudendis*. Aliæ vero *ſpermaticæ*, vulgo *præparantes* dictæ, unicè pro elaboratione *ſeminis*, ſanguinem præſtant: unde ligatis iis, teſtis non moritur, imò nec quidem notabiliter emaciatur, benè vero ſterilitas cauſatur.

Int. Ubi vaſa ſpermatica ſuum habent *ortum*?

R. Arteriæ circiter duos digitos infra *emulgentes*, immediatè à parte antica *aortæ* originem ducunt. Vena ſpermatica dextra etiam fræquenter ab anteriori parte *cavę* proximè egreditur, paulò ſupra exortum arteriæ; at ſiniſtra ex emulgente ejuſdem lateris emergit. Nervos habent teſtes á plexibus *pelvis*, & à ſecundo lumborum pari. Gaudent quoque vaſis lymphaticis ſeſe in *cyſternam* chyli exonerantibus.

Int. Quis eſt uſus *ſcroti*?

R. Eſt includere teſticulos, eoſque fovere, & tueri ab injuriis.

Int. Quis eſt uſus *ſepti ſcroti*?

R. Eſt teſtes ſubſtentare, & impedire, ne aut in ſe invicem impingant, & collidantur. Impedit inſuper, quominùs vitium unius teſtis facilè communicetur alteri. Concurrit denique ad faciliorem ſcroti corrugationem.

Int. Quis eſt uſus *teſtium*?

R. Eſt ſemen prolificum generare.

CAP. QUADRAGESIMUM OCTAVUM.

DE PARASTATIS, SEU EPIDIDYmidibus, & Vaſis deferentibus.

Int. QUid ſunt *Paraſtatæ*, ſeu *Epididymides*?

R. Sunt corpora oblonga, dura, albicantia, teſtibus exterius incumbentia, materiam ſeminalem ex eiſdem recipientia, & perficientia.

Int.

Int. Ubi habent ſuum principium?

R. In *teſtibus* à vaſculis ſeminalibus, ſex, aut ſeptem, in unum cohærentibus; & in mediocri animali, quinque ulnarum longitudinem excedit.

Int. Quibus inveſtiuntur membranis?

R. Ex unica tantum, robuſta, cum *albuginea* continua.

Int. Quibus partibus connectuntur?

R. Cum teſtibus, ope membranæ albugineæ, & cum *vaſe deferente.*

Int. Ubi deſinunt Paraſtatæ?

R. Ubi vaſa *deferentia* incipiunt.

Int. Unde Paraſtatæ ſuſcipiunt ſua *vaſa*?

R. Ab arteriis, & venis *hypogaſtricis*, & *pudendis* nervi ab iiſdem ramis, ac teſtes.

Int. Quà conſtant *ſubſtantia*?

R. Subſtantia Paraſtatum quoque *vaſculoſa*, ut teſtium eſt: vaſculis tamen non ſolum magis conſpicuis; ſed eorum cavitates, per injectiones, viſui manifeſtè ſe ſiſtunt: omnia verò hæc vaſcula tandem in unum ductum, *vas deferens* dictum, abeunt.

Int. Quis eſt uſus *Paraſtatum*?

R. Eſt genituram ex teſtibus recipere, ulteriùs digerere, ac perficere, & ad vaſa deferentia tranſmittere.

Int. Quid eſt *vas deferens*, ſeu *ejaculatorium* dictum?

R. Eſt canalis robuſtus, albicans, nervum referens, calami ſtraminei mediocris craſsitie, unus ab Epididyme qualibet, ad veſiculam ſeminalem, & urethram extenſus.

Int. Quem progreſſum habet?

R. Ab *Epididyme* ſurſum fertur, per proceſſum *peritonæi*, junctis venis, & arteriis ſpermaticis; quibus circa abdominis introitum relictis, ad poſteriora veſicæ urinariæ reflectitur, & in anteriori parte *veſicularum ſeminalium*, partim rectè in urethram, partim obliquè in veſiculam ſeminalem deſinit; ſic ut in utramque, pro neceſsitatis exigentia, ſemen deponere poſsit.

Int. Qua donatur *ſubſtantia*?

R. Subſtantia vaſis deferentis valdè robuſta, & tenax eſt, ferè ut nervus fortis.

Int. Qua conſtat *cavitate*?

R. Hujus vaſis cavitas, in principio, & progreſſu, vix *ſetam* admittit; propè veſicam multum ampliatur; in fine rurſus anguſtior, nihil ſponte in *urethram* tranſmittens, ſed ſolum in œſtro venereo.

Int. Quis eſt uſus *vaſis deferentis*?

R. Eſt liquidum genitale ex *Epididymidibus* continuò ad veſiculas ſeminales, ac in coitu ad ipſam *urethram* quoque deferre.

CAP. QUADRAGESIMUM NONUM.

DE VESICULIS SEMINALIBUS, & Proſtatis.

Int. QUid ſunt veſiculæ ſeminales, ſeu fallopianæ?

R. Sunt capſulæ duæ membranaceæ, celluloſę, parti poſteriori colli veſicę junctæ, ad ſemen ex vaſis deferentibus recipiendum, ulterius perficiendum, & ſuo tempore, per urethram expellendum.

Int. Qua donantur *magnitudine*?

R. Longitudinem habent trium, quatuorve digitorum: *Latitudinem* pollicis: craſsitiem tertiæ partis digiti ferè æqualem.

Int. Qua conſtant *ſubſtantia*?

R. Membranacea, ex *membrana* valida, *vaſculoſa*, & quaſi *muſculoſa*, varias cellulas inter ſe communicantes, efformante, & *peritonæo* robuſto adhuc cincta.

Int. Quos *ductus excretorios* habent?

R. Deſinunt veſiculæ ſeminales utrimque in parvum ductum, duplici orificio, in *urethram* terminans. Inter utriuſque ductus orificia parvum *ſeptum eminet*, ne ſemen ex uno latere erumpens, in oſculum alterius lateris impingat.

Int.

Int. Quomodò vocatur hoc *ſeptum*?

R. Ab aliquibus dicitur, *caput galli gallinacei*, per cujus duos oculos, ſcilicet præfata orificia, ſemen inſilit in urethram. Utrique oſculo veſicularum ſeminalium præponitur exigua *caruncula*, inſtar *valvulę*, impediens, ne ſemen in urethram jugiter emanet.

Int. A quà cauſa fit propulſio ſeminis ex veſiculis *ſeminalibus*?

R. Ab harum conſtrictione, orta à ſpiritibus animalibus in earum fibras influentibus, illucque determinatis, quandoque per ſeminis quantitatem, aut acrimoniam, ſed maximè per *animi pathemata*, & *affectus venereos*.

Int. Unde *veſiculæ fallopianę* ſuſcipiunt ſua *vaſa*?

R. Vaſa ſanguifera à vaſis veſicę, & inteſtini recti: Nervos à *pelvis plexibus*.

Int. Quid ſunt *Proſtatæ*?

R. Sunt duo corpora globoſa, ſuperiùs lata, inferiùs, figuram ovalem referentia, mox ante collum veſicæ ſita, & totum urethræ principium cingentia.

Int. Quà donantur *magnitudine*?

R. Magnitudo utriuſque ſimul ſumptæ, eſt inſtar *nucis circiter juglandis.*

Int. Quà conſtant *ſubſtantia*?

R. Glanduloſa, *cavernoſa*, robuſta membrana cincta.

Int. Hæc corpora habent ne *ductus excretorios*?

R. Eos habent ſeſe in urethram, tam ſupra, quàm infra *caput galli gallinacei* exonerantes: In *hominibus* decem, vel duodecim: in *canibus* vero quam plurimi reperiuntur, quibus ſingulis oſculis, ſingulæ adjacent carunculæ. Vaſa habent proſtatæ cum veſiculis ſeminalibus communia.

Int. Quis eſt uſus *veſicularum ſeminalium*?

R. Eſt ſemen ex vaſis deferentibus recipere, atque ad uſum conſervare, perficere, & quibuſdam temporibus dimittere in urethram.

Int. Quis eſt uſus *proſtatarum*?

R. Eſt *liquorem albicantem* ex maſſa ſanguinis ſecerne-

nere; qui vero cum eum etiam *Eunuchi* habeant, fœcundum ſemen non conſtituit, licet in coitu quoque effundatur; iſte ſolummodò pro lubricanda urethra, ne ſemen in expulſione adhæreat ejus parietibus inſervit.

CAP. QUINQUAGESIMUM.

DE PENE.

Int. Quid eſt *Penis*, *membrum virile*, *virga*, *mentula*, *veretrum colis* nominatus?

R. Eſt pars illa oblonga, anterius ſupra ſcrotum poſita, per quam lotium redditur, & opus venereum ex parte viri abſolvitur.

Int. Qua donatur *figura*?

R. Figura extrinſeca, *numerus*, & *ſitus* cuilibet nota ſunt. *Magnitudo* vix determinabilis, propter magnam in diverſis, & in iiſdem, diverſo tempore variationem.

Int. Ex quibus partibus *componitur*?

R. Partes componentes *penem*, in duplici ſunt differentia, nam aliæ ſunt *communes*, aliæ vero *propriæ*: communes ſunt, *cuticula*, *cutis*, & *membrana carnoſa*. Partes vero propriæ ſunt duo corpora, vulgò *nervoſa*, ſeu potiùs *nerveo-ſpongioſa*, aut *celluloſa*, maximam *penis* mollem conſtituentia, & *urethra*.

Int. Quid ſunt illa corpora *nerveo-ſpongioſa*?

R. Sunt duæ partes teretes, quæ oriuntur utrimque ab oſſibus pubis, è peculiaribus quaſi thalamis, deinde juncta, ad glandem uſque extenduntur, membrana craſſa, nervoſa, ac firmiſsima conſtantes.

Int. Quo medio hæc *corpora uniuntur*?

R. Licet in principio notabiliter disjuncta ſint, in progreſſu ad invicem accedunt, & mutuò conjunguntur, interventu cujuſdam *ſepti membranacei*, quo verſus *glandem* ſenſim attenuato, ac tandem evaneſcen-

cente, duo illa corpora in unum coaleſcunt, & quaſi litteram Y efformantes.

Int. Quà conſtant *ſubſtantia*?

R. Subſtantia interna corporum nerveo-ſpongioſorum ad modum ſpongioſa, vel cellulosa, ex innumeris membranulis, fibris, arteriolis, venulis, & nervulis inter ſe ad retis modum intertextis, conflata eſt: ſanguine vero arteriali, ſpirituoſo, œſtro veneris incaleſcente, & ab influxu ſpirituum animalium ſanguinis refluxum per venas impediente, ſicque in corporibus nerveo-ſpongioſis collecto, penis inflatur, tenditurque; unde etiam à flatu, vel humore injecto promptè expanduntur hæc corpora, quæ in cadaveribus reperiuntur colore atro tincta.

Int. In quas partes dividitur *Penis*?

R. In tres, nempè, in *glandem*, *urethram*, & corpus penis, de quo dicta ſufficiunt.

Int. Quid eſt *glans*?

R. Glans, ſeu caput penis eſt pars extrema penis, exquiſiti ſenſus, in principio craſsior, verſus extremum nonnihil acutior.

Int. Ex quibus partibus componitur *glans*?

R. Conſtat ex corporibus ſpongioſis (ſepto deficiente) in unum coaleſcentibus: ex urethra, & ex tenuiſſima membrana, anterius oblongo foramine pervià, quæ ab urethra interna producitur, eique ſenſum acutiſsimum confert, eum in finem, ut maxima in coitu voluptas ſentiatur.

Int. Glans in veneris æſtu intumeſcit unà cum reliquo *Penis*?

R. Quod ſic, ſed non æquè facilè, ac corpora nervoſa, ubi ſepto diſtinguntur, quia glandis ſubſtantia interior minus laxa eſt.

Int. Quo donatur *colore*?

R. Dum glans flacida eſt, ſublividum obtinet colorem; dum tumida, rubicundior eſt reliquo penis corpore exterius, quia vel vaſcula ſanguinea ibidem magis abundant; vel quod veriſimilius eſt,

ob

ob membranæ teneritudinem, magis tranſparent.

Int. A quo tegitur *glans*?

R. A *præpucio*, quod conflatur ex *cuticula*, & *cute*; accedente *pellicula nervoſa*, ac tenui à membrana carnoſa, quod inferiori parte, infra foramen, frenulo glandi alligatur. Ubi glans peni apponitur, *collum penis* appellatur, & glans, caput. In hoc penis collo plurima ſpectantur *corpora parva globoſa*, quorum ope, aliquod fluidum ſeparatur, quod irrigando glandem, data opportunitate, modò extendatur, modò in præpucium retrahatur, facilitat. Eſt inſuper glans ferè tota obſita exiguis *papillis*, quæ pariter atque in cute, augent ejus ſenſibilitatem.

Int. Unde Penis ſuſcipit ſua *vaſa*?

R. Arterias, & venas habet *ab hypogaſtricis*, quarum utrimque una valdè inſignis ſuper corpus nervoſum, per dorſum penis incedit: at venæ paulò infra concurſum corporum nervoſorum coeuntes, trunco ſingulari verſus glandem excurrunt. Reperiuntur aliæ venæ, & arteriæ ab iiſdem hypogaſtricis in poſteriori *colli* parte conſpicuæ, quæ numeroſis ſurculis, per fungoſam *urethræ*, ac *corporum nervoſorum* ſubſtantiam excurrunt. Hiſce accedunt rami à vaſis *pudendis*, potiſsimum per penis involucra diſſeminatis. Nervi à *plexibus pelvis*, & maximè ab ultimo vertebrarum pari, originem habent.

Int. Penis ex quibus conſtat *muſculis*?

R. Ex duobus paribus inſtructus eſt: primum utrimque originem ducit ab *oſſe coxendicis*, infra principium corporum nervoſorum, in quorum membranam exteriorem terminantur: Qui quidem dum ſimul agunt, premunt venas dorſi penis contra oſſa pubis, & refluxum ſanguinis ex penè impediunt, atque ſic quando ſanguis fervidus, & quaſi ebulliens, in affectu venereo per arterias copioſè influit, erectionem penis efficiunt.

Secundum par *acceleratores urinæ* dicuntur, qui oriuntur partim à *muſculo ſphintere inteſtini recti*; partim,

tim, & præcipuè utrimque à *corporibus penis nervoſis*: obliquè pergentes ambiunt totum bulbum, & inferiorem ſpongioſam partem *urethræ*, ac circa medium penis ad latera *urethræ* inſeruntur; quam ad promptiorem urinæ, & ſeminis emiſsionem, dilatant, ac ſimul etiam *veſiculas ſeminales* nonnihil comprimunt, ſicque *ſperma* propellunt.

Int. Sunt ne aliæ partes pertinentes ad penis hiſtoriam?

R. Ad penis conſiderationem adhuc pertinent glandulæ *Covvperi*, *mucoſæ* dictæ: quarum tres deſcribit: Duæ in utroque urethræ latere unà inter muſculos *acceleratores*, & bulbum *urethræ* ſitæ, figuræ ovatæ, aliquomodò compreſſæ, quaſi magnitudine parvæ fabæ, liquidum diaphanum mucoſum in *urethram* tranſmittentes: quod pro lubricanda, & defendenda *urethra* ab urinæ acrimonia, inſervire videtur.

Tertia in angulo curvaturæ *urethræ*, ſub *oſsibus pubis* intra *corpus ſpongioſum* urethræ, ſita eſſe dicitur, quæ figuræ lenticularis eſt. Etiam pertinet ad hanc hiſtoriam *glandula Litrii*, quæ inter utramque *urethræ* membranam ſita eſt, proximè infra *proſtatas*. Coloris eſt obſcurè rubentis, pollicem lata, duas lineas craſſa, urethræ interiorem membranam, inſtar Zonæ ambiens, eamque aliquot oſculis minimis perforans; per quæ liquidum mucoſum ad *urethram* iliniendam infundit.

Tamdem ſupereſt *ligamentum penis* exponere, quod impedit, ne ab actione muſculorum trahatur penis verſus poſteriora. Hoc ligamentum oritur à commiſſura *oſsium pubis*, & ab inferiori parte *lineę albę*, atque in dorſum penis protenſum, ibidemque in exteriori penis involucro terminatur.

Int. Quis eſt uſus *Penis*?

R. Uſus primarius penis eſt pro coitu, & ſobolis procreatione inſervire: ſecundarius vero urinæ excretionem adjuvare.

CAP.

CAP. QUINQUAGESIMUM PRIMUM.

DE PARTIBUS GENITALIBUS Mulierum.

Int. QUotuplices ſunt partes genitales *mulierum*?

R. In duplici ſunt differentia, ſcilicet, aliæ *externæ*, & aliæ *internæ*, ut *uterus*, *teſtes*, *&c.*

Int. Quid eſt *uterus*?

R. Eſt pars cava, mulieribus propria, ſita in hypogaſtrio, inter inteſtinum rectum, & veſicam urinariam; naturale fœtus domicilium.

Int. Quem *ſitum* tenet?

R. Situs eſt in cavitate illa, quæ *pelvis* dicitur, adeóque oſsibus toto ambitu circunſcriptus, videlicet à parte antica, oſſe *pubis*, à poſtica, *ſacro*, à lateribus, oſsibus *ileo*, & *iſchio.*

Int. Quà conſtat *figura*?

R. Uteri figura in non gravidis eſt ferè triangularis, ſuperiùs lata; inferiùs, anguſtior. Pars ejus ſuperior, & latior vocatur *fundus*: inferior, *cervix*, ſeu *collum*; & in hoc vagina aperta ſe offert: nonnulli uteri collum confundunt cum vagina. Alij hanc, *collum longum*, illud, *breve* vocitant.

Int. Quà gaudet *magnitudine*?

R. In non gravidis ejus corporis *latitudo* eſt trium pollicum; in parte ſuperiori, duorum; in inferiori, unius: *Craſsities* vero ſexqui pollicis. In virginibus adhuc minor, in gravidis vero pro diverſo tempore gravidationis varia eſt.

Int. Quibus uterus conſtat *cavitatibus*?

R. Ex unica tantum, eamque in non gravidis, neque nuper enixis, exiguam, & ſæpè vix fabæ majuſculæ capacem; in gravidis, totum conceptum uſque ad partum continet, & augetur: cavitas vero *cervicis*, ſi-

ve orificii interni uteri, oblonga eſt, & admodum coarctata.

Int. Quà donatur figura *os uteri internum*?

R. Figura ejus ſimilis eſt glandi penis, in vaginam hians, exiguum valdè in virginibus eſt; in iis vero, quæ pepererunt, & in gravidis, paulò majus, atque in his humore valdè glutinoſo clauſum. Habet autem ſubſtantiam ad modum compactam, vixque dilatabilem: In partu tamen, miraculo naturæ, fœtum magnum tranſmittit.

Int. Uterus quà conſtat *ſubſtantia*?

R. Subſtantia uteri eſt *membranaceo-muſculoſa*, ex vario fibrarum carnearum plexu compoſita, copioſiſsimis vaſis ſanguineis interjectis: In non gravidis compacta, & firma; in gravidis, *ſpongioſa*, *ſinuoſa*, quæ mirabiliter dilatari poteſt, ſine craſsitiei ejus corporis decremento.

Int. Ex quibus conſtat *membranis*?

R. Ex tribus. Prima, ſeu tunica exterior originem habet à *peritonæo*, ideòque communis appellatur. Conſtat duabus lamellis, ideòque valida eſt, & craſſa; exteriùs glabra, interiùs, aſperior. Hæc tunica totam uteri ſubſtantiam inveſtit.

Media uteri tunica valdè craſſa eſt, fibris variis, validis, craſsis, ac carnoſis contexta: hæc *muſculoſa* dicitur, atque ad *fœtus*, aliorumque uteri contentorum excluſionem plurimum conducere.

Intimam uteri membranam *nervoſam* appellare licet. Hæc tenuis eſt, & in uteri fundo lævis, in collo autem rugoſa, multiſque obſita foraminulis, ex quibus, preſſa colli ſubſtantia, exilit humor viſcidus. Videtur autem hanc membranam potiſsimum inſervire ſenſationi, & ad ſtabiliendas fibras muſculoſas tunicæ mediæ, ſeu muſculoſæ.

Int. Quibus partibus connectitur *uterus*?

R. Uteri cervix annectitur inferius *vaginæ*; poſterius, *inteſtino recto*; anterius, *veſicæ urinariæ*; latera inſuper aliis partibus alligantur per quatuor ligamenta,

ta. Ex iſtis, duo à figura, dicuntur *lata*, duo vero *rotunda.*

Lata, membranacea ſunt, cum *peritonęo* continua, utrimque *uterum*, & *vaginam pelvis* parietibus jungentia, uteri deſcenſum impedientiaque: Inſuper *teſticulos*, ſeu *ovaria*, *tubas fallopianas*, & quædam alia vaſa ſubſtentant. Comparantur paſsim alis *veſpertilionum*, dicunturque *ligamenta aliformia.*

Rotunda oriuntur ab uteri lateribus, in parte ſuperiori, tranſeunt per annulos *muſculorum abdominis*, & ſicuti in viris *vaſa ſpermatica*, ita in mulieribus hæc ligamenta, intra duplicaturam *peritonæi*, infra abdomen deſcendunt, illudque egreſſa, obliquè ſupra *os pubis* excurruunt, ac tandem propè *clytoridem*, in pinguedine terminantur.

Int. Quot ſunt vaſa *uteri*?

R. Multiplicia, ſcilicet, arteriæ, venæ, nervi, & vaſa lymphatica. Arteriæ, & venæ aliæ ſunt ſuperiores; aliæ inferiores. Superiores *ſpermaticæ*, ſeu *præparantes* dicuntur, iiſdemque reſpectivè locis, quibus viriles ab *aorta* deſcendente, & *vena cava*, abſcedunt: at quoniam partes mulierum, non uti virorum, infra abdomen collocatæ ſunt, hinc ad eaſdem tractu pertingunt breviori. Horum enim vaſorum plures, ac majores propagines per uterum; pauciores vero, ac minores ad ovaria, & tubas fallopianas excurrunt.

Uteri venæ, & arteriæ inferiores oriuntur ab *hypogaſtricis*, & *hęmorrhoidalibus*: hæ paucæ ſunt, & ſolam vaginæ partem inferiorem perambulant: illæ vero inſignes, quæ per uterum, & vaginam ducuntur, ductu ad modum flectuoſo, prout etiam ſpermaticæ. Hæc vaſa anaſtomoſes innumeras conficiunt, & in gravidis, quaſi in *ſinus* dilatata ſunt: oſculis in uterum, & vaginam hiantibus menſtruorum fontes ſunt: Omnes hæ arteriæ, & venæ mirè inter ſe communicantur; ita ut, ſi *aer*, *cera*, vel *mercurius* in qualibet earum injiciantur, reliquæ omnes, etiam alterius lateris repleantur. Nervos ſuſcipit uterus *ab intercoſtalibus*,

bus, tum *è medulla oſsis ſacri*. Vaſa lymphatica, olim in beſtiis tantum, nunc quoque à *Morgagnio* in gravida, obſervata fuere.

Int. Quid notabile obſervatur ab anatomicis in *cervice uteri*?

R. Oſtiola, interjectis *rugis*, ſeu *valbulis*, quæ ductus videntur, liquidum mucoſum ferentes. Deinde obſervarunt, *veſiculas*, ſive *corpuſcula globoſa* humorem mucoſum continentia, à multis pro *hydatibus habita*; à quibuſdam pro *glandulis*, liquidum illud glutinoſum ſecernentibus; quod in gravidis, os uteri claudit. Ab aliis pro novo, & vero ovario habentur, in quo fœtus effingitur. Nonnullis *veſiculæ ſeminales* audiunt, ex quibus in coitu, ſemen prolificum effundi ſuſpicantur.

Int. Quid eſt uſus uteri?

R. Eſt genituram virilem admittere, aut ſaltem partem ejus ſpirituoſiorem: Ovulum fœcundatum ex ovario, & tuba fallopiana recipere: fœtum per novem menſes continere, fovere, & nutrire, ac tandem perfectum, vi ſua muſculoſa, per os ſuum, & vaginam expellere.

CAP. QUINQUAGESIMUM SECUNDUM.

DE TESTICULIS, SEU OVARIIS Mulierum.

Int. QUid ſunt Teſtes muliebres, ſeu Ovaria?

R. Sunt duo corpora quodammodò globoſa, lævia, albicantia (utrimque unum) *fundo uteri annexa.*

Int. Quibus partibus *connectuntur*?

R. Annectuntur I. cum *fundo uteri*, ope ligamenti validi, ab AA. *vas deferens mulierum* dicti, quod impervium eſt. II. Cum *tuba fallopiana*, & lateribus *pelvis* per ligamenta uteri lata. III. Ope vaſorum ſperma-

maticorum, cùm aliis variis partibus; atque ita quaſi ſuſpenſi teſtes eamdem ferè, ac uteri fundus, in non gravidis, obtinent altitudinem: in gravidis vero locum inferiorem obtinent.

Int. Quà donantur *figura*?

R. Figura teſticulorum muliebrium, non ita, ac maſculorum rotunda eſt, ſed utrimque depreſſa, variis tamen tuberculis inæqualis.

Int. Quà conſtant *magnitudine*?

R. Horum magnitudo pro ætatis, & temperamenti ratione diverſa eſt: In vigore ætatis, & libidinoſis, maxima, vix *dragmas duas ſuperat*, veſiculiſque prominentibus ornata; in *vetullis* vero exſucca, parva, corrugata, vix *dragmam* ſemiſem pendit, cicatricibus fœda.

Int. Quibus conſtant *membranis*?

R. Ab unica tantum exterius cinguntur membrana, alba, valida, à *peritonæo* producta.

Int. Quà conſtant *ſubſtantia*?

R. *Membranacea*, *fibroſa*, *reticuloſa*, plurimis vaſis intertexta; inter quæ apparent *veſiculæ rotundæ limpido* humore plenæ, quæ per coctionem, inſtar ovorum cujuſdam *volucris pennatæ* indureſcentia, eumdem, atque illorum *albumen*, *colorem*, *ſaporem*, & *conſiſtentiam* adquirentia: Unde tum ob hanc ſimilitudinem, tum quod æquè, ac avium ova putantur principium materiale generationis, appellantur paſſim *ova*, eorumque gratia, teſticuli muliebres *ovaria*. Quandoque XXV. XX. imò plura in uno ovario viſa ſunt ova: quandoque vix unum, vel alterum obſervari poteſt.

Int. Ova muliebria quà conſtant *magnitudine*?

R. Ova illa inter ſe plurimum differunt magnitudine, etiam in eodem teſte, ſeu ovario. Majores ad *piſi* mollem vix accedunt: maximam vero in iis mutationem facit *ætas*, & coitus; in junioribus namque *animalibus* minima ſunt, & in provectioribus majora evadunt. Notandum enim eſt, ſingula inſidere cuidam

ſi-

ſinui, ſicuti *glans* inſidet ſuæ *capſulæ*: ad quem ſinum plurimæ, ac tenuiſsimæ terminantur venæ, & arteriæ, quarum ſine dubio, hæ materiam pro nutritione, & accretione ovi afferunt, illæque ſuperfluam revehunt. Nonnumquam in mulierum teſtibus reperitur aliud veſicularum genus, quæ *Hydatides* dicuntur, ſæpè ipſis ovis majores; hæ morboſæ, & ut plurimum hydropis in Mulieribus cauſa ſunt.

Int. Quis eſt uſus *teſtium muliebrium*?

R. Juxta AA. placita; eſt *ſemen* fœcundum generare. Juxta RR. vero, eſt ova continere, *ſpiritum*, ſeu *auram ſeminalem* ea fœcundantem recipere, ac fœcundata dimittere *ad uteri* cavitatem.

CAP. QUINQUAGESIMUM TERTIUM.

DE TUBIS FALLOPIANIS.

Int. QUid ſunt *Tubæ Fallopianæ*?

R. Sunt duo canales ferè conici, tortuoſi, utrimque unus, fundo uteri juncti, à ſimilitudine cum tuba, à Fallopio ita dicti.

Int. Quibus partibus *connectuntur*?

R. Annectuntur continuò, & arctè *utero*, cum *ovariis*; cum his, laxè per alas veſpertilionum; cum *oſsibus ilei*, per *ligamenta lata*.

Int. Qua donantur *longitudine*?

R. Longitudo tubarum quandoque eſt VI. VII. VIII. IX. digitorum tranſverſorum. *Amplitudo*, circa medium ferè minimum digitum æquat: extrema verò anguſtiora ſunt, & quidem extremitas utero juncta minima eſt, in ejus cavum hians. Altera in *abdomine* fluctuans, amplior eſt, & tubulum mediocrem admittit, *fibriſque* multis, ſive *laciniis*, quaſi *muſcularibus*, ornata eſt, ovario, quando opus eſt, ſe applicantibus.

Int. Tubæ quem *ſitum tenent*?

R. Situm habent in non gravidis tranſverſum, & ferè æqualem cum ſupremo margine *uteri*: In gravidis vero, utero multum diſtento, tendunt obliquè deorſum.

Int. Quibus conſtant vaſis?

R. Copioſiſsimas arterias, & venas habent, *corpus cavernoſum*, intra membranas earum efficientes, ut erigi, ſive rigidæ reddi queant, quando *ovario* applicandæ.

Int. Ex quibus membranis componuntur *tubæ*?

R. Ex duabus, quarum exterior productio eſt communis membranę uteri; interior videtur proceſſus membranæ infimæ. Interna tubæ facies valdè rugoſa eſt: tota autem ſubſtantia propè uterum craſsior eſt; in progreſſu, & præcipuè circa latus extremum, valdè extenuantur.

Int. Quis eſt *uſus tubarum*?

R. Eſt tempore fervidi coitus, influxu copioſo ſanguinis, & ſpirituum, ſe erigere, & motu naturali, orificia libera, ope fibrarum, ſive *laciniarium muſcularium*, ovariis applicari, *genituram prolificam maſculinam* tranſmittere, *ovulum fœcundatum* ex *ovario* recipere, & ad *uterum* deferre.

Int. Quomodò ergo fit *conceptio*?

R. Communis fuit AA. opinio, quod mulieres in ſuis teſtibus, verum generant ſemen, illudque *efficientis*, ſeu formantis, & materiæ nutrientis rationem ſimul habere, ac ſemini virili admiſceri, ex iiſque ſeminibus, in cavitate *uteri* commixtis, unam maſſam fieri, & ex ea fermentata, educi ſpirituoſum germen, per quod, & è quo membra *fœtus* delineantur, ac efformantur.

RR. melior, & magis recepta opinio aſſerit, quòd ex ſemine maſculino, ſive in *uretrum*, ſive in ſolam *vaginam* immiſſo, rapitur *ſpiritus genitalis*, ſeu aura ſeminalis ſurſum, partim à mare injiciente, partim peryſtaltico, ſeu blanda *vaginæ uteri* conſtrictione, pervenit ad uteri fundum, quia alium non invenit

tran-

tranſitum, intrat tubam fallopianam, unam, vel utramque, cujus ſuperficiem internam, dum blandè titillat, ſtatim occurrunt ſpiritus fœminei, & tubæ fibras tendendo, eam verſus teſticulum incurvant, expanſiſque ejus fibris, illam ita teſticulo applicant, ut foramen ejus medio correſpondeat alicui ovo, quandoque in utroque latere, & nonnumquàm pluribus: hinc aura ſeminalis tranſit per foramen in parte anteriori membranæ teſticulum obvolventis, & ulteriùs per propriam ovi membranam, in ſubſtantiam interiorem, ſeu liquorem albugineum, quem ſua activitate exagitat, atque expandit: in qua agitatione, & expanſione, ſeu fermentatione conſiſtit formalis conceptio.

Hic motus, ſeu alteratio communicatur ipſi membranæ, capſulam ovi formanti, & vaſculis ſanguiferis, per eam diſperſis: hinc ſanguis abundantius confluit verſus ovum, cujus membranam cum penetrare nequeat, copioſius hæret in capſula, efficitque papillam, inſtar ſubſtantiæ glanduloſæ: unde ovum vehementer premitur à tergo, verſus partem anteriorem, atque ita foramen capſulæ fit magis patens, ſic ut tranſitum facilitet ovo. Ovum autem è teſticulo erumpens, excipitur à tuba fallopiana, hujuſque motu peryſtaltico, ſpiritibus, ob ſtimulum ab ovo fœcundato excitatum, validius, ac copioſius affluentibus, fertur ad cavitatem uteri, ubi prima embryi ſtamina ſpanduntur, manifeſtantur, nutriuntur, augentur, & partes embryi perfectionem adquirunt.

CAP. QUINQUAGESIMUM QUARTUM.

DE FOETU, ET EJUS MEMBRANIS.

Int. QUid notandum circa *Fœtum*, ſeu *Embryonem*?

R. Notandum venit: I. *Fœtus* ipſe. II. *Membranæ* fœtus. III. *Placenta uterina*. IV. *Funiculus umbilicalis*. V. *Vaſa umbilicalia*. VI. denique, *Li-*

quor perlucidus, *glutinoſus*, cui fœtus innatat.

Int. Quid conſiderandum *circa fœtum ipſum*?

R. Primò, membranæ fœtum in utero, quaſi in ovulo includentes.

Int. Quot ſunt membranæ fœtum cooperientes?

R. In rationalibus, duæ tantum: *prima*, ſeu externa, vocatur *chorion*, quæ *craſſa*, *ſpongioſa*, *villoſa*, & vaſis ſanguiferis copioſiſsimis repleta eſt, *utero* contigua, atque in lamellas, ſive membranas duas dividitur.

Secunda, ſeu interior *Amnios* vocatur, quæ *tenuis*, & *perlucida* eſt, priori contigua, in qua vero vaſa, vel nulla, vel paucifsima reperiuntur. In cavitate hujus membranæ continetur liquor ille glutinoſus, cui fœtus innatat in utero matris.

Altera, quæ in nonnullis beſtiis reperitur, non vero in mulieribus, *Allanthoys*, ſeu *farciminalis* vocatur: hæc *uracho* pervio continua eſt, & pro urinæ collectione in eis inſervit. Subſtinent quidem nonnulli, eam æquè eſſe neceſſariam in *homine*, quam *beſtiis*. Alii inter *Chorion*, & *Amnion*, alii ſub *Amnio* ſtatuunt; verum quia eam præſtantiſsimi Anatomici non inveniunt, & *Urachus* in fœtu humano, imperviús ſit, ideò deeſſe aiunt in homine.

Int. Unde *Chorion*, & *Amnion* trahunt originem?

R. Nihil aliud ſunt, quam membranæ, quæ materiam ovi continebant in teſtibus; hæ vero per nutritionem creſcunt, expanduntur, craſſeſcunt, & fœtui pro involucro inſerviunt.

Int. Cur hæ membranæ vocantur etiam *ſecundinæ*?

R. Quia nempè poſt fœtum, quaſi partu ſecundo excluduntur hę, à fœtu perfringuntur in partu, & effluit liquor, quem continebant, tuncque vocatur *aqua parturientis*.

Int. Quid eſt *Placenta*, veteribus *hæpar uterinum*, dicta?

R. Eſt maſſa quaſi carnea, rubra, & mollis, inſtar ſcutellæ planioris, leniter excavata, innumeris venis, &

ar-

arteriis referta, parte convexa utero, parte vero concavâ chorio conjuncta.

Int. Quà conſtat *figura*?

R. Figura placentæ eſt orbiculata, diametrum habens octo circiter, novemvè pollicum, & craſsitiem pollicis unius.

Int. Quibus partibus *connectitur*?

R. Pars convexa multis *foſſulis*, *monticulis*, & *extantiis*, *ſalebroſa*, & *ſpongioſa* utero adhæret, interventu *membranæ* tenuiſsimæ, reticulatæ villoſæ, chorio continua: Concava vero, fœtum reſpiciens, vaſa multa, & ampla oſtendens, atque *funiculo umbilicali* juncta, cingitur levi membrana Chorii, & Amnii.

Int. Cui uteri parti adhæret *placenta*?

R. Ubi deſinit foramen à *meatu ſeminario*, ſeu à *tuba fallopiana* veniens, ita ut foramen hoc ſit quaſi centrum totius ſpatii, quod à placenta occupatur.

Int. Quo numero reperitur *Placenta*?

R. In mulieribus reſpondet numero fœtuum, ita tamen ut in gemellis propter loci anguſtiam, aliquando coaleſcunt, ut unica maſſa appareat, attamen eorum vaſa non communicantur: In multis vero beſtiis, præſertim vaccis, plures, & quandoque centum pro unico fœtu reperiuntur, utero quidem variis locis annexas, dicunturque ibi *Cotyledones*.

Int. Placenta quà conſtat *ſubſtantia*?

R. Secundum RR. plurimos, eſt *glanduloſa*, ex innumeris parvis glandulis compoſita, quæ videri non poſſunt: Secundum *Ruyſchium*, varioſque alios hunc ſequentes, *vaſculoſa* ſtatuitur, ex meris vaſculis, arteriis ſcilicet, & venis umbilicalibus, ſubtiliſsimè diviſis, & intertextis conſtans.

Int. Unde Placenta ſuſcipit ſua *vaſa*?

R. Ex arteriis, & venà umbilicali, de quibus ſuperiùs jam diximus.

Int. Dantur ne nervi *umbilicales*?

R. De his omnes ſilent anatomici. Præter venam, & arterias umbilicales, depingit *Bidloo*, in funiculo

 um-

umbilicali plures parvos ductus, ope microſcopii detectos, in quibus aſſerit, contineri ſuccum nutritium; quorum uſus eſt, advehere materiam nutritivam, à gravida ad fœtum, aut ſaltem ad amnii capacitatem.

Int. Quis eſt uſus placentæ?

R. Eſt unà cum *chorio*, ſuccum nutritium ex *utero* materno abſorbere (ut inteſtina chylum) eumque deinde ad fœtum, per venam umbilicalem tranſmittere.

Int. Quis eſt uſus vaſorum *umbilicalium*?

R. Quantum ad uſum horum vaſorum, ac placentæ attinet, communis veterum opinio erat, beneficio placentæ, ſanguinem maternum ulterius coqui, & præparari, in uſum fœtus, propter membrorum teneritudinem purius alimentum exigentis: eumdem ſanguinem, jam meliùs præparatum, deferri per venam umbilicalem ad *hæpar* fœtus, indeque ſicut in adultis, diſtribui per totum corpus: per arterias autem ferri dicebant ſpiritus vitales à matre ad fœtum.

RR. vero detecta ſanguinis circulatione, aſſerunt, ſanguinem per arterias umbilicales ferri à fœtu ad placentam: per venam autem umbilicalem, eumdem ſanguinem, ſeparatis ſeparandis, referri à placenta ad eumdem fœtum. Valdè ambigunt Anatomici, an arteriæ umbilicales anaſtomicentur cum venis uteri, & vena umbilicalis cum arteriis ejuſdem uteri; ita ut ſanguis veniens à fœtu per arterias umbilicales, ſuſcipiatur à venis uteri, & ſanguis profluens per arterias uteri recipiatur à vena umbilicali, ita ut fiat mutuus ſanguinis circulus à matre in fœtum, & à fœtu in matrem: alii affirmant, alii vero negant hunc mutuum circulum, & omnes allegant rationes, & experientias, ut quiſque videre poteſt in *Martino Schurigio*, tract. de *Embryonologia.*

Int. Quis eſt *funiculus umbilicalis*?

R. Eſt pars funiculi inſtar contorta, craſsitiei digiti unius ex una vena, & duabus arteriis, umbilicalibus dictis, communi membrana craſſa, ſed molli quaſi ſpongio-

ſa,

ſa, ex cellulis plurimis, liquore glutinoſo limpido repletis, amnio continua, cunctis compoſita.

Int. Unde funiculus umbilicalis habet *ortum*?

R. Ex Placenta, ex multis venæ, & arteriarum radicibus: terminatur vero in umbilico fœtus.

Int. Quà conſtat *longitudine*?

R. Longitudo funiculi, nunc eſt duarum, nunc trium, nunc quatuor ſpithamarum, ut fœtus liberè, ſine avulſione placentæ ab utero, ſe movere poſsit.

Int. Quis eſt uſus funiculi *umbilicalis*?

R. Eſt duplex generalis, & ſpecialis; generalis, ex his quæ dicta de vaſis umbilicalibus conſtat: ſpecialis vero eſt, ne vaſa hæc ſeorſim ſingula pergentia, à fœtu facilè lædantur, & ut hujus ope, placenta poſt partum, ex utero commodiùs educi queat.

CAP. QUINQUAGESIMUM QUINTUM.

DE PARTIBUS OBCENIS, ſeu generationis externis mulierum.

Int. QUid ſunt partes *genitales externæ* in *muliere*?

R. Sunt illæ, quæ ſine ſectione, ſed tantum diductione videri poſſunt: ut vulva, ſive fiſſura magna, labra, clitor, orificium vaginæ, & pubes.

Int. Cur hæ partes vocantur *pudendæ*?

R. Quia illas, niſi urgente neceſsitate, denudare vetat pudor.

Int. Quid eſt vulva, ſeu *fiſſura major*?

R. Hæc fiſſura non eſt propriè pars, ſed potiùs partium intercapedo: Inter partes tamen computari ſolet. *Labra*, ſeu *labia* fiſſuram cooperiunt, hæc in parte ſuperiori craſsiora, & latiora ſunt, ibidemque coeuntia, & magis protuberantia, conſtituunt *Monticulum veneris.* In parte vero inferiori magis attenuantur; ita ut propè *pærinæum*, in ligamentoſam cutem

deſinant, quæ *frænum labiorum* vocatur : quod in *virginibus* primò pubeſcentibus maximè tenſum, *in puerperis*, laxiſsimum eſſe conſuevit, atque in aliis pro diverſitate ætatis, fræquente veneris uſu, fluxu menſium, ac partu, magis ad hanc, vel illam conſtitutionem accedere ſolet.

Int. Quà conſtant *ſubſtantia*?

R. Subſtantiam peculiarem carnoſam, & quodammodò ſpongioſam obtinent, quæ in libidine turgeſcit.

Int. Quid eſt *Pubes*?

R. Pubes dicitur locus ille, quo prima adoleſcentia, pili erumpunt, ejuſque pars ſuperior, & eminentior, *mons veneris* dicitur.

Int. Diductis labiis, quæ partes in conſpectum veniunt?

R. Clytoris, *Nimphę*, & *vaginæ orificium.*

Int. Quid eſt *Clytoris*?

R. Clytoris, *ſeu Albatarra*, *id eſt*, *virga*, *ſeu tentigo*; *eſt corpuſculum teres*, *glandiforme*, *figura*, *& ſubſtantia*, *parvum penem referens.*

Int. Quem *ſitum tenet*?

R. Clytoris in ſuperiori pudendi parte eminet.

Int. Quà conſtat *magnitudine*?

R. Magnitudo ejus ordinaria eſt ferè *uvulæ non relaxatæ*: in laſcivientibus vero, ubi calor, & ſpiritus in genitalibus magis vigent,multum tenſa eſt,& tumefacta:nonnullis tamen fœminis in majorem longitudinem, ad formam penis virilis excreviſſe,obſervatum eſt;ita ut hujuſmodi mulieres, parte illa nonnumquam abuſæ fuerint, cum aliis ſui ſexus coeuntes, ideòque per errorem, pro hærmaphroditis habitæ, atque hinc *confricatrices*, antiquitus vero *tribades* appellatæ ſunt.

Int. Ex quibus partibus *componitur*?

R. Clytoris componitur,uti *penis*, ex duobus *corporibus nervoſis*, aut *ſpongioſis*: quæ utrimque originem ducunt ab anteriori parte *oſsis pubis*, & paulatim in unum coeuntia, efficiunt tertium, quod in ſuperiori parte pu-

pudendi eminet : manent tamen duo illa corpora hic, prout in membro virili, aliquatenus diſtincta, interventu cujuſdam membranæ, *ſeptum clytoridis* appellata.

Corpora illa nervoſa quouſquè à ſe invicem *diſtant*, *crura clytoridis* vocantur, ſuntque duplo longiora, quàm eſt corpus clytoridis, ſeu ipſa crura unita; ſecus ac in pene, ubi corpus ipſum ſæpè quadrupla longitudine ſuperat crura.

Iſtis corporibus unitis apponitur quoque, uti in pene, in parte anteriori, *glans*, ſed non perforata eſt (licet quadam foſſula, ſeu cæco foramine, quaſi glandem virilem mentiatur) ac proindè clytoris neque *urethram* obtinet, neque alium canalem urethræ analogum.

Tegitur glans clytoridis eadem membrana, qua intrinſecus inveſtiuntur pudendi labia. Hæc enim in ſuperiori fiſſuræ parte, productionem membranoſam, aliquatenus corrugatam conſtituit, quæ ob ſimilitudinem ſubſtantiæ cum *præpucio* penis, *clytoridis præpucium* nominatur.

Gaudet duobus *muſculis* erectoribus dictis, qui ab oſsibus *iſchii* oriuntur, & in *corpora cavernoſa*, ſeu nervoſa inſeruntur. Munus horum eſt aliqua vaſa ſanguifera comprimere, & ſanguinem in corporibus ſpongioſis retinere, ut ea ratione clytor tendatur, & erigatur, ut evenit peni.

Int. Unde ſuſcipit ſua *vaſa*?

R. Arterias, & venas ab *hypogaſtricis*, *&* *pudendis*: *Nervos* vero à *medulla oſsis ſacri*, quorum inſignes rami per dorſum clytoridis excurrunt, unde adeò ſenſilis.

Int. Quis eſt uſus *clytoridis*?

R. Eſt gratum titillationis ſenſum excitare, atque voluptatem veneream mulieribus augere.

Int. Quid ſunt *Nimphę*?

R. *Sunt partes duæ membranaceę, utrimque ut plurimum unà, rubellæ, cavernoſæ, criſtis gallorum ſub gutture pendentibus ſimiles modò majores, modò minores;*

præ-

præputio continuę, atque interiori labiorum lateri junctæ.

Int. Quæ notanda in *Nimphis*?

R. Papillæ nerveæ copioſæ, unde valdè ſenſiles, & glandulæ parvæ *ſubſtantiam ſebaceam* ſecernentes.

Int. Nimphæ quâ donantur *magnitudine*?

R. Magnitudo harum multum variat pro ætatis diverſitate: quippè communiter longitudinem internodi digiti habent, tenueſque, nec multum latæ ſunt in *virginibus*, uſque ad vigeſsimum quintum annum; in *adultioribus* verò, præſertim iis, quæ viro utuntur, vel pepererunt, craſsiores, ac latiores evadunt.

Int. Quâ conſtant *figura*?

R. Ferè triangularis eſt.

Int. Quâ conſtant *ſubſtantia*?

R. Subſtantia Nimpharum interna *mollis eſt*, & *ſpongioſa*, ex membranulis, & vaſculis laxè cohærentibus conſtructa; adeòque expanſioni valdè idonea.

Int. Nimphæ unde ſuſcipiunt ſua *vaſa*?

R. Arterias recipiunt ab *iliacæ* interioris ramo, *pudendo* dicto, copioſum ſanguinem in libidine, quo turgeſcunt, conferentes: *venas* verò ad venam *pudendam* emittunt, in quam, ceſſante libidine, ſanguinem collectum rurſus deponunt. *Nervos* tandem à *medulla oſsis ſacri* accipiunt.

Int. Quis eſt uſus *Nimpharum*?

R. Eſt titillationem, atque voluptatem augere, & impedire, ne urina, dum emittitur, nimis lateraliter reſiliat.

Inter Nimphas, circa medium fiſſuræ magnæ, conſpicitur *vaginę orificium*, ſive *os uteri externum*, cavernoſâ ſubſtantiâ cinctum, quæ in venere intumeſcit. In virginibus junioribus valdè arctum; non ita in illis, quibus ſæpè fluxerunt menſes: latum in venere utentibus, & latiùs, ſi partus acceſſerit.

Int. Quem ſitum tenet *urethra*, in *mulieribus*?

R. Infra clytoridem, paulò ſupra vaginæ orificium cernitur urethra, parva eminentia ſe prodiens.

Int. Urethra qua conſtat *longitudine*?

R.

R. Duorum quaſi digitorum tranſverſorum; ejus vero *latitudo* major eſt, quam in viris.

Int. A quà ſubſtantia exterius tegitur *urethra*?

R. Obducitur à *ſubſtantia albicante*, partim *glanduloſa*, partim *membranoſa*; ex qua procedunt quidam meatus, qui inferiùs, in anticam vaginę partem deſinunt, atque loca vicina humore ſeroſo-pituitoſo irrigant.

Int. Quid ſunt *lacunę* Grafii, ſeu *vaginales*?

R. Sunt ductus, humorem pro vagina lubricanda, excernentes.

Int. Quid eſt *Hymen virginale*?

R. Eſt membrana, modò circularis, modò ſemilunaris, modò alia ratione conſtituta, in virginibus vaginam coarctans, atque in puellis parvis ſemper præſens, in quibus parvam habet aperturam ad vaginam, in adultis vero plerumque majorem. In coitu primo, niſi forte jam antea læſu, laceratur, ſanguinemque ſæpè fundit.

Int. Unde ortum ducunt carunculæ myrtiformes in *defloratis*?

R. Oriuntur ex hymenis laceratione, & nunc *duæ, tres*, num *quatuor*, eo ipſo loco obſervantur, ubi olim hymen erat, deſuntque in virginibus.

CAP. QUINQUAGESIMUM SEXTUM.

DE PARTIBUS THORACIS.

Int. QUid eſt *Thorax*, ſeu *medius venter*?

R. Eſt illa cavitas, quæ reperitur inter abdomen, & collum, continens cor cum pericardio, pulmones, mediaſtinum, partemque œſophagi, & aſperam arteriam cum ſuis vaſis.

Int. Quot ſunt partes *thoracis*?

R. Aliæ ſunt *continentes*, aliæ vero *contentæ*. Partes continentes, aliæ ſunt *communes*, aliæ *propriæ*: communes eædem ſunt, quæ in aliis corporis partibus, nempè,

pè, *cuticula*, *cutis*, &c. quę jam deſcripta ſunt. Partes continentes propriæ ſunt *mammæ*, *muſculi*, & *oſſa*; quibuſque interiùs *pleura* adnata eſt: contentæ vero jam ſupra nominatæ ſunt.

Int. Quid ſunt *Mammæ*?

R. Sunt partes in pectore fœmineo, inſtar monticulorum eminentes, ad humorem lacteum ſeparandum, eumque ad prolis nutritionem elaborandum, & conſervandum deſtinatæ.

Int. Ubi ſitum *habent*?

R. In quadrupedibus, abdomini; in mulieribus *thoraci* adhærent. In *homine* duæ ſunt, in *beſtiis* variis, varius eſt numerus.

Int. Quà conſtant *magnitudine*?

R. Mammarum magnitudo varia eſt: In *virginibus*, mediocris; in *gravidis*, *puerperis*, & *lactantibus*, maxima; in *puellis*, ante pubertatem, & in *vetullis*, minima eſt; varians quoque variis in regionibus.

Int. Quo tempore ſuſcipiunt incrementum, ac *turgeſcunt*?

R. Anno decimo quarto turgeſcere, & forari incipiunt: tempus vero earum decrementi varium eſt: plerumque anno quinquageſimo, nunc citiùs, nunc tardiùs decreſcunt.

Int. Quomodò vocatur pars illa, quæ circa medium mammæ eminet?

R. Papilla dicitur, quæ nihil aliud eſt, quam eminentia parva, ferè cylindrica, rubella, in medio mammæ areola cincta.

Int. Quo donatur *colore*?

R. In virginibus benè ſe habentibus coloris rubicundi; in lactantibus, lividior; & in effætis, nigricans eſt. Hæc mammæ diſtentione, erigitur, ejuſque depletione, flaceſcit.

Int. Papilla quà conſtat *ſubſtantia*?

R. Hæc cavernoſa eſt, ferè ut *penis*; hinc erigi, ſive intumeſcere ſolet in contrectatione, & lactatione infantum: conſtat *fibris nerveis*, reticulatis, ſenſum

acu-

acutum præbentibus, *vaſis ſanguiferis copioſis* à *mammariis*, *tubulorum lacteorum* extremis, & *epidermide*, reliquam ſubſtantiam cingente.

Int. Quomodò vocatur circulus ille, qui circumjacet *papillæ*?

R. Areola: hæc in *virginibus* gratè rubella eſt, in *prægnantibus*, & *lactantibus* fuſca, & *in vetulis*, nigra. In areola paſsim apparent plura tubercula, ex quibus preſsis quandoque educitur humor, vulgari *ſero lactis* haud abſimilis.

Int. Mammæ quà conſtant *ſubſtantia*?

R. Hæ præter tegumenta corporis communia, conſtant ex *ſingulari albicante*, *glanduloſa fabrica*, ſubſtantiæ uberum in beſtiis non abſimili, medium potiſsimum mammæ, cui centrum papillæ fermè reſpondet, occupante: quam copioſa pinguedo, magnam mammarum ſubſtantiam conſtituens, undique ambit.

Int. Unde mammæ ſuſcipiunt ſua *vaſa*?

R. Arterias, & venas à ſubclaviis, *mammarias* dictas, hiſce accedunt aliæ ab *intercoſtalibus thoracicis*, & *epigaſtricis*. Hæc vaſa circa lactationis tempora plurimum diſtenduntur. *Nervos* accipiunt à *dorſalibus* ſpinalis medullæ. Vaſa lymphatica habent, ſeſe in *ductum thoracicum* exonerantia, in homine, aliiſque animalibus, quæ ubera in pectore gerunt.

Præter vaſa mammaria, præcipuæ conſiderationis ſunt interjecti *ductus*, ſive *tubuli lactiferi*, per anaſtomoſes juncti, in lactantibus ampli, in *ſinus* quaſi, & *cellulas* dilatati, lac ſecretum colligentes, & aſſervantes, cum arteriis, & venis communicantes; ſicut illud lactis generatio; hoc ejus diſsipatio evincere videtur.

Int. Ubi habent ſuum ortum *tubuli lactiferi*?

R. Oriuntur à mammarum ſubſtantia glanduloſa, ſurculis tenuiſsimis, qui ſenſim coeuntes, conſtituunt diverſos truncos, in papillam oſculis utcunquè patentibus, deſinentes. Præfati ductus verſus finem trunci, nunc magis expanduntur, nunc rurſus coarctantur,

tan-

tandemque in papilla anguſti fiunt, ne lac cum magno prolis detrimento, abſque ſuctione effluat.

Int. Quam connexionem tubuli lactiferi ſervant inter ſe?

R. Ductus hoſce, antequam papillam attingant, anaſtomoſibus inter ſe junctos eſſe, ut lac in mammis ſecretum, & in tubulis hærens (obſtructo fortè poro papillari uno, aut altero) per vias laterales, in alios papillæ ductus, & adhuc patentes, tranſire, & excerni poſſet.

Int. Quis eſt uſus *mammarum*?

R. Eſt lac ex arteriis in glanduloſa ſubſtantia ſecernere, in tubulis, & ſinibus lactiferis colligere, aſſervare, & ſuo tempore, infanti per papillam præbere; venuſtatem fœminæ conciliare; & ſtimulum veneris utrique ſexui excitare.

CAP. QUINQUAGESIMUM SEPTIMUM.

DE PLEURA, ET MEDIASTINO.

Int. QUid eſt Pleura?

R. Eſt membrana lævis, robuſta, tenſa, coſtis, muſculiſque intercoſtalibus adhærens, & totum thoracis cavum cingens.

Int. Pleura eſt *membrana ſimplex*?

R. Eſt ubique duplex, duabus ſcilicet conſtans lamellis, quarum interna, thoracis cavitatem reſpicit, læviſque eſt: externa vero coſtis, & muſculis intercoſtalibus annectitur, cujus ſuperficies aſpera, & inæqualis eſt.

Int. Quæ manifeſta *foramina habet*?

R. Foramina alia habet in parte ſuperiori, & alia in inferiori: Superiora ſunt illa, quæ tranſitum præbent *œſophago, aſperę arteriæ, aortæ, & venę cavæ ſuperiori*: Inferiora vero, *gulæ, venæ cavę*, & *nervis paris vagi.*

Int. Pleura ex quibus conſtat *vaſis*?

R. Arterias habet ab *intercoſtalibus*, *mammariis*, & *diaphragmaticis*: Venas à venis ejuſdem nominis, ac arterias; quæ vero in venæ *azygos*, ut & cavæ truncum ſuperiorem omnes exonerantur: *nervos* pariter ab intercoſtalibus, & diaphragmaticis; & denique vaſa lymphatica ad ductum thoracicum abeuntia.

Int. Quis eſt uſus pleuræ?

R. Eſt inveſtire, lubricare, & firmare totum thoracem.

Int. Quid eſt *Mediaſtinum*?

R. Eſt membrana duplex, pleuræ continua, ſita ſub ſterno, eique firmiter cohærens, thoracem, ſecundùm longitudinem, in duas partes dividens.

Int. Quibus partibus connectitur?

R. Cum *ſterno*, *pleura*, *pericardio*, aliiſque vicinis partibus.

Int. Quem ſitum tenet?

R. Mediaſtinum non accuraté ſub medio ſterni, ſed ſenſim ad latus ſiniſtrum deſcendit, quo dextra thoracis pars amplior ſit ſiniſtra.

Int. Unde ſuſcipit ſua vaſa?

R. Arterias, & venas à mammariis, & diaphragmaticis, ſubinde propriè, ab aorta, & cava, *mediaſtinas* dictas; nervos à diaphragmaticis, & pari vago; & vaſa lymphatica ad ductum thoracicum abeuntia.

Int. Quis eſt uſus mediaſtini?

R. Eſt bipartiri thoracem, ſecundùm longitudinem, ob varia commoda: I. Ne uno lobo pulmonis ulcerato, alter inficiatur. II. Ne pus, aqua, &c. in una thoracis cavitate contenta, ſimul utrique pulmonum lobi afficiantur. III. Ut uno thoracis latere vulnerato, in altero adhuc reſpiratio conſervetur, ne vulneratus mox ſuffocetur. IV. Subſtentare *cor*, cum annexo *pericardio*, pro liberiori ejus motu. Denique ſtabilire vaſa ad ventriculum, & diaphragma tendentia.

CAP. QUINQUAGESIMUM OCTAVUM.

DE GLANDULA THYMO DICTA, & Pericardio.

Int. QUid eſt *Thymus*?

R. Eſt glandula conglomerata, ſita in ſuperiori Thoracis parte, proximè ſub ſterno, pericardio, trunco aortæ, & venæ cavæ ſuperioris incumbens?

Int. Quam *extenſionem habet*?

R. Extenditur à pericardio, ſecundùm ſitum trunci *aortę*, ad carothidum uſque initium; imò quandoque ad *thyroidem* uſque glandulam ferè aſcendit.

Int. Thymus quo donatur *colore*?

R. In infantibus pallidè carneus eſt; in adultis obſcurior.

Int. Quà conſtat *figura*?

R. Thymi figura incerta, varia, ſive irregularis eſt.

Int. Quà donatur *magnitudine*?

R. Thymi *magnitudo* in recens natis, maxima eſt; *latitudo*, trium circiter digitorum tranſverſorum; *longitudo*, duorum; & craſsities, dimidii digiti. In pueris ſenſim decreſcit; tandem in adultis, & ſenibus penitùs ferè evaneſcit.

Int. Unde ſuſcipit ſua *vaſa*?

R. Arterias, & venas accipit modò à *ſubclaviis*, vel *mammariis*, aut *mediaſtinis*, modò à *charotidibus*, & *jugularibus.* Nervos à *pari vago*, aut *intercoſtali.* Tandem vaſa lymphatica habet, quæ nunc ad *ductum thoracicum*, nunc ad *venam ſubclaviam* abeunt.

Int. Quà conſtat *ſubſtantia*?

R. Glanduloſa, conglomerata, membrana cincta.

Int. Habet ne ductum excretorium, ut cæteræ *glandulæ conglomeratæ*?

R. Nullus *Anatomicorum* hunc hucuſque detexit; ideò-

ideòque proprius uſus thymi valdè incertus eſt; manebit veriſimiliter incertus, quamdiù ignotus erit ductus illius excretorius. Dubium quidem non eſt, quin in eo fiat ſeparatio alicujus liquoris, ſicut in aliis glandulis; ſed cum non conſtet, qualis ille ſit, aut quò tendat, aſſerere quoque non licet, thymum huic, aut illi uſui ſpecialiter deſtinatum eſſe.

Int. Quid eſt *Pericardium*?

R. Eſt membrana in parte media, & infima thoracis, inter duos pulmonis lobos ſita, cor laxè includens.

Int. Quà conſtat *figura*?

R. Ejus figura *conoidalis* eſt, conformiter ad figuram *cordis*: ambitus tamen latior, quia à corde pro ejus motu, nonnihil diſtat.

Int. Quibus partibus *connectitur*?

R. Exteriùs adnaſcitur *mediaſtino*; ſuperiùs, venis, & arteriis cordis communibus, pro quarum tranſitu, diverſis locis perforatum eſt: cuſpis ipſius connectitur parti tendinoſæ *diaphragmatis*. Hæc connexio videtur, juvare aſcenſum centri diaphragmatis, qui alioquin in homine, propter habitum plerumque erectum, foret difficilior: In brutis vero pleriſque, cum diaphragmate non cohæret.

Int. Quà conſtat *ſubſtantia*?

R. Subſtantia pericardii eſt membranacea, conſtans ex duplici membrana, quarum exterior originem habere videtur à *mediaſtino*; interior vero propria, lubrica eſt, & cum tunicis majorum vaſorum cordis continua.

Int. Unde ſuſcipit ſua *vaſa*?

R. Arterias, & venas accipit à *mediaſtinis*, & *diaphragmaticis*: Nervos quoque, à diaphragmaticis; lymphatica vero ad ductum thoracicum abeunt.

Int. Quis eſt uſus pericardii?

R. Eſt ſubſtentare *cor*, quaſi pendulum, maximè quando dorſo incumbimus. Eſſe cordis domicilium, ac munimentum, ne aer frigidior, pulmones ingrediens, illud fortè offendat. Ne pus, aqua, &c. in pecto-

tore contenta, cor lædere poſsint. Tandemque liquorem pericardii, pro expeditiori cordis motu, continere.

Int. Humor, ſeu *aqua pericardii*, quo donatur *colore?*

R. Humor ille ſeroſus eſt, ac ſubſalſus, colore, penè limpidus, & frequenter aliquatenus flaveſcens.

Int. Quænam pars eſt ſcaturigo aquæ *pericardii?*

R. Unde ad pericardium perveniat, plurimum dubitatur. Nonnulli eam deducunt à vaporibus è corde exhalatis, atque condenſatis. Alii volunt, illam tranſudari ex pericardii arteriolis. Alii, ſeparari in glandula *Thymo*, vel aliunde per vaſa lymphatica advehi.

CAP. QUINQUAGESIMUM NONUM.

DE CORDE.

Int. QUid eſt *Cor?*

R. Eſt pars muſculoſa, ſita in pectore, inter duos pulmonum lobos, reciproca ſui dilatatione, & contractione, ſanguinem per venas, ab omnibus corporis partibus, in ſuas cavitates recipiens, eumque rurſus, per arterias, ad omnes partes ejiciens.

Int. Cor qua donatur *figura?*

R. Figura cordis quodammodò *conica* eſt, referens pyramidem inverſam, cujus pars ſuperior lata eſt, & *Baſis* dicitur: Inferior verò, quæ anguſta eſt, *conus*, ſeu *cuſpis cordis* appellatur.

Int. Quem *ſitum obtinet?*

R. Cor ferè in medio pectore ſitum eſt, ita ut *baſis* in dextro, apex cum maxima cordis parte, in ſiniſtro latere, ubi pulſare percipitur.

Int. Quibus partibus *connectitur?*

R. Interventu *pericardii*, annectitur *mediaſtino*, & *diaphragmati*, ne in motibus corporis variis, è ſede ſua diturbari, inverti, aut diſtorqueri poſsit. Baſi ſua ſuſ-

ſuſpenditur cor à venis, & arteriis: quoad reliquum, in *pericardio* liberum eſt, ut commodè conſtringi, ac dilatari queat.

Int. Cor quibus conſtat *membranis*?

R. Unicà tantum cingitur membranà tenui, cui exteriùs adnaſcitur adeps, maximè circa *baſim*; quæ motum facilitat, impeditque ne vaſa ſanguinea ſe invicem multum comprimantur.

Int. Quà conſtat *magnitudine*?

R. Videtur enim quod *longitudo* cordis communior eſt ſex digitorum tranſverſorum: *Latitudo baſis* quinque, & ejus circumferentia tredecim.

Int. Quà conſtat *ſubſtantia*?

R. Muſculoſa, duabus magnis cavitatibus inſtructa, quæ paſsim vocantur *ventriculi*, aliquando, *ſinus*, *thalami*, *ſpecus*, & *antra*: habentque ſingulæ eam capacitatem, ut facilè quatuor, quinque, aut plura cochlearia liquoris contineant.

Ventriculus dexter latior eſt, ſed brevior, tenuior, & debilior, ſanguinem ex *vena cava*, & *auricula dextra* recipit, atque in *arteriam pulmonalem*, ac pulmones expellit. Siniſter longè robuſtior, & craſsior eſt, at anguſtior dextro, ſanguinem ex *vena pulmonali*, & *auricula ſiniſtra* accipit, atque in *aortam*, magna vi expellit. Diſtinguuntur cordis ventriculi, per intermediam partem carneam, *ſeptum cordis* appellatam. Hoc enim perforatum non eſt, ut voluerunt AA. quia in illo multæ apparent foſſulæ, & quaſi ductuum orificia: Verum ſanguinem per ductus illos tranſmeare è ventriculo dextro, ad ſiniſtrum, nulla hactenus probatur experientia.

Int. Quot ſunt vaſa *cordis*?

R. Vaſa cordis, alia ſunt propria, alia communia: propria, ut *arteriæ*, & *venæ coronariæ* dictæ, per ipſum cordis corpus diſtributæ. Communia vero ſunt duæ venæ, *cava* ſcilicet, & *pulmonalis*; atque arteriæ etiam duæ, *pulmonalis*, & *aorta*.

Vena cava inſeritur dextro cordis ventriculo; di-

viditurque, vix duos digitos ab inſertione, in ſuperiorem, & inferiorem: quarum illa ſanguinem à partibus ſuperioribus, hæc ab inferioribus, ad eumdem cordis ventriculum tranſvehit. *Arteria pulmonalis* è dextro cordis ventriculo emergit, & per ſolos pulmones diſſeminatur, ſanguinemque ex dextro ventriculo receptum, per pulmones uberrimè deducit.

Vena pulmonalis in ſiniſtrum cordis ventriculum hiat, arteriæque pulmonariæ ramulorum diſtributioni correſpondet, & ſanguinem ex ejuſdem arteriæ ramulis acceptum, eidem, cui adjacet, cordis ventriculo, copiosè infundit. Arteria ex ſiniſtro cordis ſinu egrediens, vocatur *aorta*, item *arteria magna*, defertque ſanguinem ex ventriculo ſiniſtro ad omnes corporis partes.

Int. Quid ſunt auriculæ *cordis*?

R. Sunt diverticula ſanguinis, dum cor contrahitur.

Int. Quot ſunt cordis *auriculę*?

R. Duæ, ſcilicet, dextra, & ſiniſtra: dextra longè major eſt ſiniſtra.

Int. Ubi habent ſuum *ſitum*?

R. In baſi cordis, ad latus venæ cavæ, & venæ pulmonalis.

Int. Quà conſtant *ſubſtantia*?

R. Subſtantiam habent muſcularem, ex *columnis* quaſi *lacertoſis*, cum interjectis *ſulcis*, pro conſtrictione, & expulſione ſanguinis in cor, quando hoc dilatatur: hinc auricularum motus contrarius eſt cordis motui; nam quando dilatantur auriculæ, cor contrahitur, & quando cor dilatatur, auriculæ contrahuntur.

Int. Quomodò vocantur pelliculæ illæ, quæ apponuntur ante orificia venarum, & arteriarum communium *cordis*?

R. Valvulæ: hæ ſanguinis regreſſum impediunt, ex ventriculis in venas, & ex arteriis in ventriculos. Valvulæ orificio venarum adjacentes, à figura vocantur, *triangulares*, *tricuſpides*, & *mitrales*. Annectuntur

tur autem parte latiori, primis ventriculorum oribus; ſuntque ibidem quaſi carne muſculoſa intertextæ; parte anguſtiori, in ventriculos prominent. Hæ valvulę, interventu quorumdam filamentorum tendineorum, alligantur columnis carneis ad ventriculorum latera ſtantibus, quæ dicuntur *lacertuli*, quorum ope, valvulæ tenduntur, & laxantur, ſicque permittunt ingreſſum, & impediunt regreſſum ſanguinis ex cordis ventriculis.

Int. Quot ſunt valvulæ in orificiis vaſorum cordis?

R. Tres ad ingreſſum venæ cavæ in dextro cordis ventriculo, *tricuſpides* dictæ: Duæ ad ingreſſum venæ pulmonalis, in ſiniſtro cordis ventriculo, *mitrales* vocatæ. Tres; tam in principio arteriæ magnæ, quam pulmonalis, reditum ſanguinis ex arteriis, in cor prohibentes, quæ *ſemilunares* appellantur.

Int. Quà cor conſtat ſubſtantia?

R. Omninò muſcularis eſt, ex multiplici, varioque fibrarum ordine conflata. Primó enim occurrunt *rectę*, in ventriculo ſiniſtro. Secundò, *ſpirales*, utrique ventriculo communes, & quidem duplicis ordinis: exteriores à *baſi*, & *tendine* cordis ſiniſtrorſum; interiores dextrorſum excurrunt, & priores interſecant, agendoque ventriculos cordis exactè conſtringunt, atque ſanguinem ex horum cavitate expellunt. Tota enim cordis fabrica in duos diſtinctos muſculos reſolvitur, quorum quilibet unum ventriculum efficit.

Int. Cor unde ſuſcipit nervos?

R. A pari vago, & intercoſtali, non adeò magni. Etiam habet vaſa lymphatica, lympham ad ductum thoracicum revehentia.

Int. Quis eſt uſus cordis?

R. Eſt eſſe præcipuum inſtrumentum motus circularis ſanguinis. Sanguinem, ut ex ante dictis conſtat, per venas ex omnibus corporis partibus recipit, & per arterias ad eas rurſus ſuo motu ſyſtaltico propellit: unde vitæ, corporiſque conſervatio, & omnium reliquarum partium functiones dependent.

CAPUT SEXAGESIMUM.

DE PULMONE.

Int. QUid eſt Pulmo?

R. Eſt viſcus maximum thoracis, ex pluribus coagmentatum veſiculis, proximumque reſpirationis inſtrumentum.

Int. Quibus partibus *connectitur*?

R. Cum *ſterno*, & *vertebris*, *ope mediaſtini*; cum *corde*, ope vaſorum pulmonalium: cum faucibus, & collo, per aſperam arteriam; & aliquando cum pleura, per quoſdam fibroſos nexus.

Int. In quas partes dividitur *Pulmo*?

R. In duos *lobos* magnos, dextrum ſcilicet, & ſiniſtrum, quorum ſiniſter, qui minor eſt, in duos lobos dividitur: dexter vero, qui major, in tres minores, per quaſdam fiſſuras, à margine anteriori, versùs poſteriora currentes: hi lobuli deinde in innumeros minimos dividuntur.

Int. Quà conſtat *figura*?

R. Pulmo aere repletus, *ungulis* quodammodò *bubulis* ſimilis eſt: ſuperiùs habet ſuperficiem convexam; inferiùs vero concavam.

Int. Quo donatur *colore*?

R. In infantibus *gratè rubens* eſt; in adultis, & ſenibus *lividus*, aut ex *albo*, & *nigro variegatus*.

Int. Pulmones quà gaudent *ſubſtantia*?

R. Subſtantia pulmonum membranaceo-ſpongioſa, ſive *veſiculoſa* eſt, ex meris vaſis variis, & veſiculis minimis, quaſi carneis compoſita, quæ non videntur aliud, quàm celluloſæ expanſiones membranarum *bronchialium*, ſeu *ramulorum aſperę arteriæ*, quibus ita racematim adhærent, ut facilè ex uno ramo in plurimas veſiculas, rurſumque ex his omnibus in illum detur aditus.

Int. Quomodò vocantur *racemi*, ſeu *veſicularum acervi*?

R.

R. Lobuli, eoſque ſingulos diſtinguunt quædam interſtitia, quæ non nudæ cavitates, aut inania ſpatia ſunt; ſed plures habent membranas, modò parallelas, modò angulares, à globulis propagatas, & vaſis plurimis obductas.

Int. Quæ vaſa componunt *pulmones*?

R. In primis eos componunt *bronchia*, ex annulis in principio imperfectis conſtantia; in progreſſu vero, fruſtis vario modo commiſsis, cartilagineis, & membranis contractilibus, quæ à *trachea* orta, primo in ramos, deinde in ramulos innumeros diviſa (ut jam dixi) deſinunt in minimas illas veſiculas.

Secundò *arteria*, & *vena pulmonalis*: nam hæ ut bronchia diviſæ ea ubique, vario tamen in variis ſitu, comitantur, & tandem extremis ſuis ramuſculis, circa veſiculas, *retè vaſculoſum Malpigii* efficiunt, ſerviuntque non nutritioni, ſed circulo ſanguinis per pulmones.

Tertiò, *Arteria bronchialis Ruyſchii* dicta, nutritioni pulmonis dicata, exorta ab *intercoſtalibus*, modò ſimplex, duplex, triplex imò, & bronchiis ubique arctè cohærens: vena vero *bronchialis*, ex intercoſtalibus, vel *azygos* ortum ducit. Pulmonum *nervi à plexu thoracis* paris vagi, & intercoſtalis naſcuntur. Tandem pulmonum compoſitionem ingrediuntur vaſa lymphatica ad *ductum thoracicum* abeuntia.

Int. Quibus pulmo cingitur *membranis*?

R. Unica tantum, quæ cum pleura continua eſt. Hujus bines ſunt lamellæ, una exterior, & altera interior: exterior tenuis eſt, & filamentorum nerveorum textura quædam videtur ſubtilis: interior vero aſpera eſt, & non nihil craſſa, vaſorum, & veſicularum extremitatibus ferè meris conſtans.

Int. Quis eſt uſus *pulmonum*?

R. I. Eſt aerem per aſperam arteriam alternatim in ſe recipere, & à ſe dimittere, ut ſanguinis attenuatio in reti vaſculoſo perficiatur. II. Voci inſervire, & odoratui, &c.

CAPUT SEXAGESIMUM PRIMUM.

DE ASPERA ARTERIA.

Int. Quid *eſt aſpera arteria, trachea*, ſeu *fiſtula pulmonaria?*

R. Eſt canalis oblongus ex variis cartilaginibus, & membranis compaginatus, à faucibus in pulmones deſcendens, illoſque multiplici ramificatione percurrens, aeri pro reſpiratione, liberum tranſitum ad pulmones, indeque rurſus foras concedens.

Int. Thrachea, quem *ſitum tenet?*

R. In media, & antica colli parte ſita eſt, incumbitque *œſophago* ſua parte poſteriori, uſque ad quartam thoracis vertebram, ubi in duos ramos dividitur, quorum uterque ſui lateris majorem pulmonis lobum ingreditur, ac deinde rurſus dividitur in ramos minores, atque minores, donec tandem in *veſiculas pulmonarias* deſinat.

Int. Quibus partibus *connectitur?*

R. Faucibus, pulmonibus, & *œſophago.*

Int. In quas partes *dividitur?*

R. In caput, *truncum*, & *ramos.* Caput, quod *larynx* dicitur, trunco craſsius eſt, componiturque ex quinque cartilaginibus, figura, & nomine diverſis. Prima vocatur *thyroides*, *ſcutiformis*, ſeu *Clypialis*, quaſi quadrangula, in anteriori parte ſita: non ambit totam *laryngem*, ſed ejus defectum in parte poſteriori ſupplet *Cartilago ſecunda*: hæc intus *cava* eſt, foris *gibba*, & inferiùs, quodam monticulo prominens, *pomo Adami* dicto, magis in viris, quàm in mulieribus conſpicuo.

Secunda *crycoides*, ſive *annularis* dicitur, à figura annuli turcici. Pars ejus anterior anguſta eſt; poſterior vero ad modum lata, craſſa, & firma, ſic ut ſit quaſi baſis, & fundamentum aliarum cartilaginum.

Tertia, & quarta, græcè *Arythenoides*, latinè *gut-*

ta-

tales, á ſimilitudine *gutturni* dictæ, parvæ ſunt, & annulari ſuperiùs appoſitæ, *crycoidis* peculiaribus utrinque articulis junguntur, *ut glotis* aptiùs conſtringi, & dilatari queat: Hæ duæ cartilagines à parte poſteriori laryngis, efformant *rimam*, ſeu *glotidem*.

Quinta cartilago *Epiglotis* dicitur: hæc ad radicem linguæ ſita, *glotidis*, ſeu *rimulæ* operimentum eſt, quo tegitur, ne inter deglutiendum, cibus, paſtuſvè in aſperam arteriam delabetur. Hæc cartilaginibus reliquis mollior exiſtit, figura, *hæderæ* folium, vel *linguam* referens; unde *lingula* à nonnullis appellatur.

Int. Cartilagines laringis quibus moventur *muſculis*?

R. Hæ ad motum, vociſque modulationem, tredecim donantur muſculis, quibus rima, vel clauditur, vel conſtringitur. Horum quatuor ſunt communes, & novem proprii.

Int. Qui vocantur *communes*?

R. Illi, qui in laryngem implantantur, ab eo tamen non oriuntur: proprii vero in larynge oriuntur, & finiuntur. Illi numerantur quatuor, hi, novem.

Primum par ex communibus, *ſternothyroides* vocatur à ſuperiori, atque interna *ſterni* parte ortum; inferiùs ad latera cartilaginis, *ſcutiformis* inſeritur, & dum ſcutiformem detrahit, *rimam* coarctat.

Alterum par *hyotyroides* appellatum, ab inferiori ſede oſsis *hyoides* ortum, in baſim *ſcutiformis* inſeritur, eamque attollendo, rimam dilatat.

Primum par ex propriis, ab aliquibus *cricothyroides anticum* appellatur, quia afferunt, quod hi muſculi originem habent in cartilagine annulari; & in ſcutiformis latera deſinit, & cartilaginem non nihil obliquè deorſum movet. Alii vero contrajudicarunt, ſentientes, originem habere in antica, & infima ſcutiformis parte, & in annullarem deſinere, eamque ad ſcutiformem leviter trahere, ac proinde hoc par meliùs appellari poſſe *thyrocricoides*.

Secundum par *carnoſo* principio, poſteriùs procedit

dit ab annulari, & in cartilaginis *guttalis* partem inferiorem, nervoſo fine inſeritur, ac cartilaginum duarum *arythenoidum* diductione, laryngem aperit. Hoc par communiter *cricoarythenoides poſticum* appellatur.

Tertium par *cricoarythenoides laterale* dictum, ſuperius ab annularibus lateribus ortum, guttalis lateribus inſeritur, cartilaginum obliqua diductione, laryngem aperiens.

Quartum par intrinſecum, & latum *thyroarythenoides* vocatum, anteriùs, & interiùs, ortum à ſcutiformi, prodit, & deſinit in latera guttalis, ſeu arythenoides, quam, conſtringens laryngem, recto ductu claudit.

Nonus muſculus *ary-arythenoides* appellatus, oritur ſæpè ab una cartilagine, *arythenoide*, & inſeritur in aliam, ſe invicem interſecant, & glotidem, ſeu rimam ſtringunt: ſæpè unicus tantum eſt muſculus; ſæpè vero duo, adeòque multi numerant quinque paria muſculorum, laryngis propria.

Int. Cartilago Epiglotis habet ne muſculos pro obeundis ſuis motibus?

R. Epiglotidi hucuſque tantum in brutis, concedebantur muſculi, duo *attollentes*, ſcilicet, totidemquè *deprimentes* indicati erant. Jam vero ab aliquibus, etiam in homine concedunt, & gloriantur, ſe eos vidiſſe, ac demonſtraſſe. *Attollentes* duo ſatis longi depinguntur, à baſi oſsis hyoides, ad poſticam epiglotidis radicem protenſi, quos *hyoepiglotis* vocant. *Deprimentes*, duo *minores*, ab *arythenoidearum cartilaginum* apicibus obliquè, & anteriùs ad epiglotidis latera delati, *aryepiglotei* dicendi.

Int. Quæ *glandulæ* reperiuntur in *larynge*?

R. Glandulæ in, aut circa rimam *laryngis*, conſiderandæ ſunt illæ, quæ quia ſitæ ſunt circa *cartilaginem guttalem*, ſeu arythenoideam, appellantur *arythenoideæ*, quæ ad modum graciles, & membranà, qua partes vicinæ obvolvuntur, tectæ ſunt.

Alia glandula ab aliquibus reperta fuit in parte

poſ-

poſteriori, ſuperiori margini cartilaginis annullaris incumbens intra cartilagines arythenoides. Hęc globoſa eſt, & altera ex arythenoideis, major, eodemque, quo illæ, velamine tecta.

Detracta enim membrana interiori laryngis, inter glandulas arythenoides, & epiglotidem, reperiuntur exiguæ quædam glandulæ, quæ non dubiè habent eumdem uſum, ac mox dictæ.

Porrò glandula una, ad modum inſignis, capiti aſperæ arteriæ inferiùs apponitur cartilaginibus annullaribus, quæ truncum aſperæ arteriæ conſtituunt. Superiùs adjacet cartilaginibus crycoidi, & thyroidi, atque ab hac ultima, quæ ibidem maximè notabilis, thyroidea appellari ſolet.

Int. Quid ſunt ventriculi, ſeu ſinus laryngis?

R. Sunt cavitates, modò majores, modò minores, intùs ſub glotide, voci inſervientes ſitæ.

Int. Ex quibus componitur truncus aſperę arteriæ?

R. Ex *annullis cartilagineis* XVI. ad XX. & tunicis, annulli imperfecti ſunt, nam à parte poſteriori, ubi trachea incumbit *œſophago*, abeunt in membranam, partim ne deglutioni obſint, partim pro vocis variatione, & excrementorum expulſione, trachea conſtringi, & dilatari queat.

Tunicæ componentes tracheam quatuor ſunt, earumque exterior, *membranacea* eſt; altera, *glanduloſa*; tertia, *muſculoſa*, qua fibris tranſverſis extrema cujuſque annuli, inter ſe conjunguntur, & contrahuntur; quarta, ſive interna, *tendinea*, ac robuſta eſt: hæc longitudinalibus ſuis fibris, tracheam, & bronchia breviora reddere poteſt, atque in ea plurima oſcula glandularum tunicæ ſecundæ apparent.

Int. Dantur ne aliæ glandulæ in trachea præter ſuperiùs dictas?

R. Aliæ reperiuntur, quæ *bronchiales* dicuntur: hæ nigrę ſunt, inferiori tracheæ parti, bronchiorum diviſionibus, & *œſophago* nexæ.

Int. Quis eſt uſus *tracheæ arteriæ*?

R. Uſus ex definitione tracheæ conſtat.

Int. Quis uſus glandularum laryngis, tracheæ, & *bronchiorum?*

R. Eſt ſeparare ex maſſa ſanguinis humorem *aqueo-pituitoſum*, & per ſuos ductus excretorios deponere in his partibus, ad eas humectandas, & lubricandas, quæ ab aere jugiter exſiccantur.

CAP. SEXAGESIMUM SECUNDUM.

DE OESOPHAGO.

Int. QUid eſt *OEſophagus?*

R. Eſt canalis membranaceus, à faucibus ad ventriculum extenſus, cibum, & potum ab ore ad ventriculum tranſmittens.

Int. Quem *ſitum tenet?*

R. Poſt tracheam, juxta longitudinem vertebrarum *colli*, & dorſi; in thorace tamen parum, ob aortam, ad dextram inflectitur partem.

Int. Qua conſtat *figura?*

R. OEſophagus *infundibili* formis eſt.

Int. Quà donatur *magnitudine?*

R. Longitudo ejus, à faucibus ad ventriculum; latitudo in adultis, inſtar tenuis inteſtini.

Int. Qua conſtat *ſubſtantia?*

R. Membranaceà, ex quinque tunicis conſtans: quarum I. *membranacea* eſt, & in thorace cum pleura continua. II. *Muſculoſa* ex duplici fibrarum ordine conſtans, fibris ſcilicet longitudinalibus, & circularibus. III. *Celluloſa*, ferè ut inteſtinorum. IV. *Nervea*, multis vaſculis, & glandulis inſtructa, cum membrana oris, & ventriculi interiori continua. V. *Villoſa*, humore lubrico obducta.

Int. Quomodò vocantur illæ glandulæ, quæ circa quintam thoracis vertebram *œſophago adhærent?*

R. Dicuntur *Dorſales*, quæ ſæpiùs binæ ſunt, magni-

nitudine, & figurà phaſeolum referentes.

Int. Principium œſophagi *quomodò vocatur*?

R. Pharinx, quod cùm cibum, ac potum recipere, & versùs ventriculum dimittere debeat, inſtructum eſt pluribus muſculis.

Int. Quot ſunt muſculi *Pharingis*?

R. Muſculi Pharingis eum, vel dilatant, vel conſtringunt. Qui dilatant, numerantur ſex paria. *Primum par* vocatur *ſtylopharyngeum*; quod à principio *proceſſus ſtyloides* oritur, & in ejus thyroides latus, utrimque inſeritur.

Secundum par dicitur *cephalo-pharingæum*, prodit ab *apophyſi* anteriori *oſsis occipitis*, & deſinit in partem pharyngis poſteriorem.

Tertium Pterygo-pharyngeum, à proceſsibus *pterygoideiis*.

Quartum dicitur *ſalpingo-pharyngeum*, à tuba *Euſtachii*.

Quintum Mylo-pharyngæum, à maxilla inferiori, ponè ultimum mollarem, tonſillas maximè complectens.

Sextum vocatur *gloſſopharyngæum*, à lingua; qui omnes ad partem poſteriorem pharyngis, ubi linea tendinea ſæpè conſpicitur, terminantur.

Conſtringens pharyngem habetur paſsim ſimplex, ſive unicus muſculus (licet ab aliquibus Anatomicis, quia plures habet origines, in diverſos eum dividant) qui oritur utrimque ab oſſe *hyoide*, cartilagine *thyroidea*, & *cricoidea* laringis, atque gulæ partem poſteriorem ambit.

Int. OEſophagus quibus conſtat vaſis?

R. Arterias habet à *carotidibus*, *aorta*, *intercoſtalibus*, & *cæliaca*: venas à *jugularibus*, *azygos*, & *coronaria ventriculi*: Nervos à *pari vago*; fortè, & vaſa lymphatica: tandemque ductus excretorii, liquidum ſubſalſum in œſophagum, & ventriculum ducentes, orti ex *glandulis gaſtricis*, *conglomeratis*, ſiniſtro ventriculi orificio vicinis; ex *dorſalibus*, circa quintam thora-

cis

cis vertebram ſitis; ex *bronchialibus*, *trachealibus*, *thyroidea*, & ex copioſiſsimis, quæ in ſuprema *pharyngis* parte reperiuntur.

Int. Quis eſt uſus *œſophagi*?

R. Deglutio, quæ eſt præcipua actio œſophagi, & commixtio liquidi, digeſtioni inſervientis: hoc quidem peragitur ſic: occurrente materia deglutienda, tenduntur muſculi dilatatores, quorum actione, pars poſterior pharyngis ſurſum, & extrorſum expanditur, pars anterior omninò patula apparet: deinde motu linguæ, ac buccarum projicitur cibus ad œſophagi orificium, ac ſtatim prioribus muſculis ab operatione ceſſantibus, ſe contrahit muſculus œſophagicus, ipſumque œſophagi principium conſtringens, materiam in illo contentam ulteriùs protrudit, adeòque & cibi, potuſque protractio ulterius continuatur, uſque ad ſtomachum, per contractionem fibrarum annularium tunicæ muſculoſæ.

CAP. SEXAGESIMUM TERTIUM.

DE DIAPRAGMATE.

Int. QUid eſt *Diaphragma*?

R. Eſt pars ampla, muſculoſa robuſta, reſpirationi dicata, diſtinguens ventrem medium ab infimo.

Int. Quem *ſitum tenet*?

R. Ejus ſitus eſt obliquus, tranſverſuſque, inter abdomen, & thoracem, ſic, ut anterior pars altior ſterno, coſtarum ſpurearum ambitui, pericardio, & mediaſtino connexa: poſterior vero lumborum vertebris protenditur, & annectitur.

Int. Quam *ſuperficiem habet*?

R. Superficies ejus ſuperior eſt convexa: inferior vero concava.

Int. Quà donatur *figura*?

R.

R. Diaphragmatis figura penè circularis eſt, duobus proceſsibus, per quos vertebris annectitur, exceptis.

Int. Quibus donatur *foraminibus*?

R. Foramina duo magna in diaphragmate notantur. Primum in ſiniſtro latere, in parte ejus carnoſa, pro gulæ, & paris vagi tranſitu: alterum verùm à dextris in parte tendinoſa, per quod *vena cava* inferior tranſit. *Aorta*, diaphragma propriè non perforat, ſed tranſit inter utrumque ejus proceſſuum, prout etiam *vena azygos*.

Int. Diaphragma quà conſtat *ſubſtantia*?

R. Subſtantia diaphragmatis *muſculoſa* eſt, cujus ſuperior pars ampla, carnoſa, à coſtis ſpuriis, muſculis abdominis tranſverſis, & cartilagine *Xyphoide* oritur. Medium, id eſt, centrum diaphragmatis, tendinoſum eſt, & carne expers, ex muſculorum ibidem concurrentium caudis exortum.

Int. Quot ſunt muſculi componentes *diaphragma*?

R. Ex duobus ad minùs componitur muſculis, quorum anterior tenuis eſt, ſed admodum latus, *à ſterno*, per coſtas ſpurias, utrimque ferè uſque ad vertebras extenſus. Poſterior muſculus craſsior eſt, habetque ventrem valdè carnoſum, atque in medio pro tranſitu œſophagi perforatum. Oritur hic muſculus à ſubjectis vertebris, per binos proceſſus, quorum dexter, qui longior eſt, triplici tendine emergit, ex tribus primis vertebris lumborum: ſiniſter, qui brevior eſt, aliquando ſimplex, aliquando geminus exurgit ex dorſi ultima, & lumborum prima, vel ſaltem ex alterutra. Caudices utriuſque muſculi ſibi mutuò occurrentes, partem diaphragmatis tendinoſam conſtituunt.

Int. Unde ſuſcipit ſua *vaſa*?

R. Vaſa diaphragmatis *phrenica* vocantur: arterias habet, I. ab *aorta*, vel *cæliaca*: II. à *ſubclavia*, aut *mammaria*: & III. ab *intercoſtalibus*, ac *lumbaribus*. Venas, à *cava*, *azygos*, & *ſubclavia*. Nervi, I. duo magni *diaphragmatici*, utrimque à vertebralibus colli oriundi: qui toti ferè in illud inſeruntur. II. ramuli,

à pari *intercoſtali*, & *vago*. Tandem habet ſua vaſa lymphatica, quæ ad jugularem abeunt.

Int. Diaphragma quibus gaudet *motibus*?

R. Duobus donatur contrariis motibus, ſcilicet, deorſum, & ſurſum: tempore inſpirationis, movetur deorſum, ſimul cum contentis in abdomine: tempore verò expirationis, ſurſum versùs *pulmones*; hi autem diaphragmatis motus partim ſunt naturales, partim animales, ſeu voluntarii.

Int. Quis eſt uſus *diaphragmatis*?

R. Eſt inſpirantis thoracem oblongare, protrudendo viſcera abdominis. Unde per conſequens etiam facit expulſionem chyli è ventriculo; ad protruſionem fœcum, urinæ, & contentorum uteri. Videtur ſpecialiter promovere chylum, in ductum thoracicum, quatenus nimirum ſuorum proceſſuum agitatione, ſubjectam cyſternam comprimit.

CAP. SEXAGESIMUM QUARTUM.

DE SUPREMO VENTRE, ſeu Capite.

Int. QUid eſt *Caput*?

R. Eſt omne illud, quod ſupremæ colli vertebræ inſiſtit.

Int. Caput quà conſtat *figura*?

R. Capitis naturalis figura eſt rotunda, oblonga, quodammodò ovata, eminens anteriùs, & poſteriùs, ad latera vero complanata, ſic tamen, ut anterior pars, præſertim circa frontem, minus lata, quam poſterior. Figura huic contraria, vel ab hac recedens, deformitatem, atque ſæpè judicij læſionem, infert, & indicat.

Int. Quà donatur *magnitudine*?

R. Magnitudo capitis proportionata debet eſſe corpori, magna enim, vel parva nimis, vitium non ſolùm

lùm formæ, ſed & judicii plerumque producit. Præſtat tamen caput paulò majus, capite nimis parvo; quippè in quo plerumque parum judicii.

Int. Cur in ſuprema corporis parte *ſitum eſt*?

R. Ob utiliorem organorum ſenſuum, qui in eo continentur, & animę quaſi ſatellites ſunt, in loco altiori poſitionem poſtulantes.

Int. Ex quibus partibus componitur *caput*?

R. Partes caput componentes in duplici ſunt differentia, nam aliæ ſunt continentes, aliæ vero contentæ. Ex continentibus, aliæ ſunt communes, aliæ propriæ. Communes, ut in aliis partibus: nimirùm, *cuticula*, *cutis*, quæ hic craſiſsima, *membrana adipoſa*, & *pinguedo*, circa *cranium* pauca; in *genis* vero copioſa: de quibus omnibus jam actum eſt. Partes continentes propriæ ſunt, *muſculi*, *oſſa cranii*, & *pericranium*.

Int. Quot ſunt muſculi cranii?

R. Quatuor, duo in fronte, *frontales* dicti, qui valdè tenues ſunt, ſiti ſub cute frontis, & utrumque extremum habent mobile, paucis fibris exceptis, quæ ex inferiori margine oſsis frontis proveniunt: hi aſcendunt paululùm obliquè extrorſum, ſuper *os frontis*; deinde ſuos tendines ſuper cranii partem ſuperiorem expandunt, & cum *aponeuroſi* occipitalium, qui fixi, conjungi videntur: quorum beneficio cutis cranii, præſertim frontis, moveri, & ſimul *ſupercilia* attolli poſſunt: horum antagoniſtæ ſunt *orbiculares* palpebrarum, quibus innaſcuntur.

Alii duo *Occipitales* vocati, qui etiam valdè tenues ſunt: oriuntur utrimque ex oſſe occipitis; & aſcendunt ſurſum, ſupra oſſa *bregmatis*, tendoneſque ſuos cum frontalibus adunant, cranium veluti *galea* tegunt, eorumque actioni ſuccurrunt.

Int. Quot ſunt oſſa cranii?

R. De oſsibus cranii jam ſuperiùs actum eſt.

Int. Quid eſt *Pericranium*?

R. Eſt membrana exquiſiti ſenſus, cranium proximè inveſtiens, tenuis quidem, & ſatis valida.

Int. Eſt ne Pericranium ſimplex *membrana?*

R. Ex eo enim quod pericranium dividi poteſt in duas lamellas, hincque aliqui hanc membranam dividunt, in *Pericranium*, & *Perioſtium*, ac per conſequens affirmant non eſſe ſimplicem; ſed minùs rectè, perioſtium tale dicitur, quia, proximè cingit os, pericranium verò, quia immediatè cooperit cranium.

Int. Pericranium cingit immediatè omnia oſſa *cranii?*

R. Non; nam circa tempora cranium deſerens, muſculis temporalibus ſuperponitur.

Int. Unde ſuſcipit ſua *vaſa?*

R. Vaſa ſanguifera habet copioſiſsima, cum reliquo capite communia: Nervos vero è *vertebris colli*, & pari ſeptimo.

Int. Quis eſt uſus *pericranii?*

R. I. Eſt tegere cranium, illudque deffendere ab injuriis. II. Subſtinere vaſa, pro cranii nutritione. III. Subſtinere duram meningem, filamentis ſcilicet, per ſuturas trajectis, & pericranio implantatis, cranioque intermedio firmatis. IV. Quaſi dimittere ſuos proceſſus, ad pleraque alia oſſa, illiſque, certo modo loquendi, ſubminiſtrare *perioſtium*, adeòque firmare communicationem, inter illud, & membranas cerebri. V. Inſervit pro ſenſu cranio conciliando.

CAP. SEXAGESIMUM QUINTUM.

DE PARTIBUS CAPITIS CONTENTIS.

Int. QUæ partes continentur in cavitate cranii, quæ ſimpliciter dici ſolet, *caput*, ſeu *venter ſupremus?*

R. In hac cavitate continentur *cerebrum*, *cerebellum*, *medulla oblongata*, cum *principiis nervorum*, ab hac abſcedentium, & *membranæ*, ſcilicet, *dura*, & *pia*, cum ſuis *vaſis*.

Int.

Int. Semoto cranio, quæ partes primò conſpectui ſe *offerunt?*

R. Membranæ tres, *menynges*, & *matres* dictæ, ſcilicet, *Dura Mater, Pia mater,* & *Arachnoides.*

Int. Quid eſt dura mater?

R. Eſt membrana craſſa, & dura, cranio proximè ſubjecta, totum cerebrum, ſpinalem medullam, ac nervos involvens.

Int. Quibus partibus *connectitur?*

R. Jungitur ubique *cranio*; ſuperiùs tamen laxiùs ope filamentorum, per *ſuturas* trajectorum: Circa baſim vero adhæret oſsibus arctiſsimè, & cum ſubjectis partibus laxè cohæret.

Int. Quà conſtat *magnitudine?*

R. Figura, & *magnitudo* duræ matris cum cerebro conveniunt.

Int. Eſt ne ſimplex *membrana?*

R. Hæc eſt ubique duplex, ſive compoſita ex duabus lamellis, quarum exterior, cranium reſpiciens, durior eſt, atque aſperior; interior verò magis levis, mollis, ac lubrica. Excurrit inſuper dura mater duplicata, per cerebri ſubſtantiam, uſque ad corpus *calloſum*, atque ita cerebrum in partem dextram, & ſiniſtram dividit. Et quoniam hæc duplicatura, ob cerebri convexitatem, incurvata eſt, atque in parte poſteriori latior, in anteriori ſenſim coarctata; hincque aliquatenus refert figuram falcis, communiter *falx meſſoria* vocatur. Etiam dura mater duplicata interjacet, inter *cerebrum*, & *cerebellum.*

Int. Unde ſuſcipit ſua *vaſa?*

R. Arteriæ à *carotidibus*, ut arborum ramuſculi, diſtributæ. Nervi, à quinto, & *ſeptimo pari cerebri*, pro ſenſu. Vaſa lymphatica in dura matre, nondum certè demonſtrata ſunt. Venæ duplicis generis ſunt, quædam ut alibi in corpore; quædam vero peculiares triangularis figuræ ſunt, quæ *ſinus duræ matris* vocantur.

Int. Quot ſunt ſinus *duræ matris?*

R. Quidam multos ſtatuunt ; alii tantùm quatuor præcipuos numerant. Primus eſt *ſagittalis*, qui per dorſum falcis, ſub *ſutura ſagittali*, ab oſſe frontis ad cerebellum uſque excurrit, eſtque propè frontem anguſtior, & versùs occiput ſenſim ampliatur.

Secundus, & tertius ſunt *ſinus laterales*, ſiti in duplicatura duræ meningis, inter cerebrum, & cerebellum, quorum alter tendit ad latus dextrum, alter ad ſiniſtrum, ſenſimque deſcendendo, ad baſim cranii, tandem in venam jugalem, utrimque terminantur.

Denique *quartus ſinus*, à regione glandulę pinealis provenit, & inſeritur ferè, ubi illi tres concurrunt, qui locus, *torcular Herophili* appellatur. Hi ſinus ejuſdem ſubſtantiæ, & uſus cum venis apparent. Nec videntur aliud eſſe ſinus laterales, quàm productiones duarum venarum jugularium, quæ in occipite coaleſcentes, conſtituunt *ſinum ſagittalem*, cujus ramus major conſtituit ſinum quartum. Intra cerebrum adhuc varii ſinus reperiuntur, ſeu ramuli ſinuum, qui ſanguinem ex arteriis cerebri recipiunt, ipſiſque ſinibus infundunt. *Quartus* autem ſe exonerat in ſagittalem, & iſte in laterales, qui tandem in venas jugulares, ſanguinem deponunt.

Int. Dura mater habet ne motum *proprium*?

R. Ab aliquibus dura mater habetur pro muſculo, ſicque proprium motum muſcularem ipſi atrribuunt, licet à pulſu arteriarum cerebri oriri videatur.

Int. Quis eſt uſus *duræ matris*?

R. I. Loco perioſtii, cranio intùs inſervire. II. Cerebrum, medullam ſpinalem, & nervos majores inveſtire, & deffendere. III. Proceſsibus ſuis, ſeu duplicaturis, cerebri, & cerebelli compreſsionem præcavere. IV. Ope ſinuum, calorem cerebro conciliare, & fortè per proprium motum ſyſtalticum, motum ſanguinis promovere.

CAP.

CAP. SEXAGESIMUM SEXTUM.

DE MEMBRANA ARACHNOIDEA, & Pia Matre.

Int. QUid eſt membrana *Arachnoides*?

Reſp. Eſt cerebri tunica, valdè tenuis, quæ ob ſimilitudinem telæ aranearum, arachnoides vocatur.

Int. Quem *ſitum occupat*?

R. Sita eſt inter *duram*, & *piam matrem.*

Int. Quibus partibus *connectitur*?

R. In ſuperiori cerebri parte, ita cum pia matre connectitur, ut ſine laceratione ſeparari nequeat: in inferiori verò, præſertim circa *cerebellum*, medullam oblongatam, & totam ſpinalem, tam laxa, ut ibidem ſine ſectione abundè conſpici queat.

Int. Per quas partes *extenditur*?

R. Per eaſdem, ac dura mater: nimirùm per totum cerebrum, & ſpinalem medullam in ea. *Glandulæ* inter duram, & hanc, circa truncos vaſorum, à *Santorino* deſcribuntur, quæ liquidum quoddam ſecernunt, & deponunt inter has membranas.

Int. Quis eſt uſus tunicæ *Arachnoides*?

R. Eſt cerebrum cooperire, & firmare ſubeuntia vaſa piæ matris, dum hæc inter cerebri anfractus ſe demittit.

Int. Quid eſt *Pia mater*?

R. Eſt membrana tenuis ex fibris ſubtiliſsimis contexta, exquiſito ſenſu prædita, quæ inſtar bonæ, ac piæ matris, immediatè cerebrum, ejuſque partes amplectitur.

Int. Per quas partes *extenditur*?

R. Hæc membrana non ſolùm cerebrum, latè dictum, arctè complectitur, ſed inſuper per omnes illius anfractus, foveaſque ſe inſinuat, & vaſa ſanguifera ad interiora tutò deducit: Medullamque in ſpina, & nervos inveſtit.

Int. Quibus partibus *connectitur*?

R. Subſtantiæ cerebri adhæret arctiſsimè, ſic, ut vix in ulla parte diſtrahi, aut cultello ſeparari queat, niſi cerebrum fuerit humoribus ſeroſis, longo tempore inundatum, ut in hydropicis: ſuperiùs arctè etiam cum *arachnoidea* cohæret; inferiùs verò laxè.

Int. Quæ vaſa habet *pia mater*?

R. Vaſa ſanguifera habet communia cum reliquo cerebro copioſiſsima, ita, ut ex talibus ferè tota conflata videatur. Nervi, hujus ſubſtantiam intrantes, nulli obſervati ſunt, licet ſenſibiliſsima ſit. Vaſa lymphatica à multis in dubium vertuntur.

Int. Quis eſt uſus *piæ matris*?

R. Eſt involvere cerebrum, & ſubſtentare ejus vaſa ſanguifera, ut hæc eò meliùs per omnes *ſulcos*, *plicas*, & *anfractus* illius, diſtribui queant, pro liquidi ſpirituoſi ſufficienti copia, cerebro ſuppeditanda.

CAP. SEXAGESIMUM SEPTIMUM.

DE CEREBRO PROPRIE DICTO.

Int. Quid eſt *cerebrum*?

R. Eſt organum ſentiendi generale, cujus miniſterio, ſenſuum internorum, externorumque, tum voluntarii motus functiones, anima princeps corporis, ac gubernatrix exequitur.

Int. Quà conſtat *figura*?

R. Globoſa, ſed paulò inæquali, *anfractibus*, *ſulcis*, ſeu *gyris* ſuis, inteſtinula quaſi repræſentante.

Int. In quas partes reperitur cerebrum *diviſum*?

R. In duo *hæmiſpheria*, interventu proceſſus *falciformis*; & hæc in lobos anteriores, & poſteriores.

Int. Quà conſtat *magnitudine*?

R. Molles, ſeu magnitudo cerebri ad libras quatuor accedit; & ſic ferè triplo majus cerebro bubulo.

Int. Quà donatur *ſubſtantia*?

R.

R. Cerebrum conſtat ſubſtantia duplici; alterà ſcilicet coloris cinericei, quæ *corticalis*, & alterà, candidiori, quæ *medullaris* appellatur. Corticalis reperitur quidem in eminentiis *ventriculorum cerebri*; ſed potiſſimùm in toto cerebri ambitu, ubi mirùm in modum complicatur, ex cujus complicatione plurimi reſultant anfractus, & ſulci, quos pia mater, perambulans latera eorum, fræquentiſsimo vaſculorum, fibrarumque interventu, ſimul colligat. Huic ſequitur ſubſtantia medullaris, quæ in aliam medullarem, albiſsimam, ac duriorem abit, ideòque *corpus calloſum* nuncupatam, quæ præcedenti pro fundamento, ſeu baſi eſt, omniumque anfractuum medullas in ſe recipit.

Int. Subſtantia cerebri corticalis qua conſtat *natura*?

R. Secundùm *Malpygium*, *Bidleum*, & alios Anatomicos eſſe *glanduloſam*, conſtantem ex innumerabilium glandularum, figurà, ac magnitudine diſcrepantium, vaſiſque ſanguiferis racematim adhærentium. Medullaris vero eſt *fibroſa*, *tubuloſa*, totum reliquum cerebri conſtituens, & nervos, dum plurimi tubuli in faſciculos colleсtuntur, tuniciſque membranaceis obvolvuntur.

Int. Hæ fibræ conſtituentes ſubſtantiam cerebri medullarem, unde *ortum habent*?

R. Ex arteriolis minimis, conſtituentibus ſubſtantiam corticalem.

Int. Quid eſt *corpus calloſum*?

R. Diductis duobus hemiſphæriis cerebri, in conſpectum venit corpus calloſum, quod nihil aliud eſt, quàm *ſubſtantia quædam medullaris, alba, reliqua cerebri duriuſcula, ejuſque hæmiſphæria conjungens.*

Int. Quid ſunt *ventriculi cerebri*?

R. Sunt cavitates in ſubſtantia medullari cerebri inſculptæ.

Int. Quot ſunt ventriculi *cerebri*?

R. Quatuor, quorum tres in cerebro ſiti ſunt; quartus vero communis *cerebello*, & *medullæ oblongatæ* eſt. Ex tribus, duo priores vocantur, *ſuperiores*, vel *an-*

teriores, vel *laterales*, qui maximi ſunt, & dum cerebrum orizontaliter ſecatur, uſque ad corpus calloſum, conſpectui ſtatim ſe produnt.

Int. Quid notandum in his *ventriculis*?

R. I. *Septum lucidum.* II. *Fornix.* III. *Plexus choroides.* IV. *Corpora ſtriata.* V. *Thalami nervorum opticorum.*

Int. Quid eſt *ſeptum lucidum*, ſeu potiùs *pellucidum*?

R. Eſt ſubſtantia quidem tenuis, & medullaris, pia matre obducta, ventriculos anteriores, ut mediaſtinum, pectus diſtinguens.

Int. Quid eſt *fornix*?

R. Eſt pars medullaris, foris giboſa, & convexa; intus veró cava, quam conſtituit ſubſtantia cerebri medullaris, candidiſsima, fibris, versùs latera inclinatis, donata, & membranà tenuiſsimà obducta.

Int. Cur vocatur etiam *teſtudo*?

R. Quia teſtudinis, ſeu fornicis, inſtar in ædificiis, molem incumbentis cerebri, ſubſtinere videtur; ne tertius ventriculus ab ea comprimatur.

Int. Fornix quà *conſtat figura*?

R. Figuram habet triangularem, poſteriori ſede latam, versùs anteriora, in acumen deſinentem, atque ita tripodis inſtar, tribus quaſi cruribus, cerebri ſubſtantiæ annectitur; quorum duo poſteriores, *pedes hyppocampi* dicti, versùs cerebri baſim, deorſum porriguntur, & ſpinalis medullæ radicem, juxta latera amplectuntur. Tertium, anterioribus ventriculis interjectum, & ſepto lucido foris continuatum, cerebrique ſubſtantiæ anteriùs unitum, ſummitati narium, ita adhæret, ut illud inde oriri videatur.

Int. Quid eſt *Plexus Choroydes*?

R. In his ventriculis anterioribus obvius eſt plexus choroydes, qui eſt elegans, & mirabilis quidem, è ſubtiliſsima membranà à pia matre producta, plurimis (ſecundùm aliquos) *minutis glandulis, & vaſis ſanguiferis tenuiſsimis contextus; qui ramuli, partim ab arteriæ carothidis, partim à ramulis ſinus quarti, ſuppeditantur.*

Int. Hic plexus ubi habet *ſuum ortum*?

R. Oritur ex infima, & poſteriori ventriculorum anteriorum parte, quam utrimque ramus arteriæ carhotidis tenui membrana involutus, ſurſum in hos ventriculos aſcendit, ubi in innumeros diviſus, hunc plexum, per dictos ventriculos expanſum, efformat: Qui cum ad anteriores ventriculorum tuberoſitates pervénit, utrimque circa fornicis anterius crus in ventriculum tertium ſubtus latentem tranſit.

Int. Quid eſt *corpus ſtriatum*?

R. Eſt corpus in quavis horum ventriculorum parte, anteriori, & laterali ſitum, intùs verò variis ſtriis inſignitum.

Int. Quid eſt *tertius ventriculus*?

R. Ventriculus tertius, ſeù medius eſt cavitas ex concurſu duorum ventriculorum ſuperiorum, ſeù anteriorum, in centro quaſi medullæ cerebri efformata.

Int. Quæ occurrunt conſideranda in *ventriculo tertio*?

R. I. Duo meatùs, quorum primus deorsùm fertur ad *infundibulum*, & *glandulam pituitariam*, qui ab aliquibus *vulva* appellatur: Alter, qui *anus* dicitur, ſeù *foramen ani*, tranſit ad ventriculum quartum, & nihil aliud eſt, quàm foramen ex conjunctione, ſeù contactu *monticulorum ſtriatorum*, & duorum natuum, ac teſtium conflatum.

Duo priores monticuli, ſeú protuberantiæ, oblongi ſunt, ſubſtantiam habentes, quaſi ex plurimis fibris, ſeù ſtriis compoſitam: hi anteriorem, ſupremamque *medullæ oblongatę* partem conſtituunt; ſunt enim peculiaris ſubſtantiæ, & quaſi deſupèr medullæ impoſiti, cum ea tamen uniti, candidiſsimá quidem membraná inveſtiti, ſed intùs fibroſi, minùs candidi, & magis poroſi, quàm reliqua medulla.

Ex his oriuntur *nervi optici*, unde *Galenus* dictos monticulos appellat *Thalamos nervorum opticorum*. Protuberantiæ, quæ immediatè ſequntur, à qualicumque

que ſimilitudine, *nates* dicuntur; intèr quas, & protuberantias, nupèr dictas, conſpicua apparet *rima*, à *columbo*, *vulva* appellata, continens foramen ani. Inferiores, & minores protuberantiæ *teſtes*, proptèr eamdem rationem, nominantur; ſuntque quaſi duæ *Epiphyſes*, ſeù prominentiæ depreſſæ, natibus ſubtus firmitèr adnatę, & continuæ.

Int. Teſtes, & Nates, quà gaudent magnitudine?

R. Diverſitas magnitudinis harum partium, magis locum habet in brutis, quàm in homine: nàm in *bove*, *ove*, & ſimilibus animalibus, *Nates* valdè inſignes ſunt; *teſtes* verò exiguæ ſunt protuberantiæ; in homine haùd raro ferè æquales ſunt.

Int. Ubi *glandula pinealis* habet ſuum *ſitum*?

R. Inter teſtes, & foramen ani, quod versùs quartum ventriculum ducit, appoſita eſt; quæ à ſimilitudine, & figura nucis pini, *pinealis* dicitur. Hæc glandula includitur membranà tenui, quæ eſt piæ matris portio, & multis venis, arteriiſque referta.

Int. Glandula pinealis quà conſtat *magnitudine*?

R. Hæc in homine exigua eſt; in ove autem, & vitulo multò major eſt.

Int. Quà conſtat *ſubſtantia*?

R. Subſtantia glandulæ pinealis duriuſcula eſt, quæ tamen citò flaceſcit, & in cadaveribus humanis, nonnihil inveteratis, colliquata vix apparet.

Int. Quà donatur *figura*?

R. Glandula pinealis oblonga eſt, mucrone ſursùm, ſeù potiùs antrorsùm ſpectans: baſi verò ſubſtantiæ cerebri incumbens, adeòque à nonnullis, *Penis* cerebri vocatur.

Int. Quid eſt *infundibulum*?

R. *Eſt tubulus membranaceus, à pia matre productus, & in glandulam pituitariam terminans*: Inferiùs anguſtior, ſuperiùs verò latior eſt: intùs ſubſtantia medullari obductus; iſte *rimam*, ſeu *vulvam* tertii ventriculi cerebri exteriùs amplectitur, ſic ut humores ex tribus ventriculis commodè recipere, & glandulæ pituitariæ traducere valeat.

Int.

Int. Ubi reperitur *ventriculus quartus*?

R. Intèr monticulos, ſeù protuberantias ſuperiùs explicatas, incipit quartus ventriculus, qui ſe extendit, uſquè ad finem medullæ oblongatæ; & quia ejus inferior pars habet férè figuram calami ſcriptorii, qua parte ad ſcribendum, adaptatus eſt, ideò *calamus ſcriptorius* olim nominatus fuit.

Int. A quibus partibus efformatur quartus *ventriculus*?

R. A truncis medullæ oblongatæ, è cerebello, & cerebri tertio ventriculo deſcendentibus, antequàm uniantur, aliquantùm ab invicèm diſtantibus.

Int. Quid obſervandum venit in *quarto ventriculo*?

R. Primó: *Proceſſus vermiformes.* Secundò: *Pons Varolii.*

Int. Quid ſunt *proceſſus vermiformes*?

R. *Sunt duo Apophyſes, quæ quia referunt figuram vermium, qui in ligno carioſo reperiuntur, vermiformes appellantur.* Horum anterior in quartum ventriculum prominens, natibus, teſtibuſque adjacet: poſterior verò non ita prominet, ſed mucrone in cerebelli ſubſtantiam abſumitur.

Int. Quid eſt *Pons Varolii*?

R. Sunt duo, interdum tria corpora giboſa, ex eodem cerebello, ad quarti ventriculi circumferentiam protuberantia.

Int. Quid eſt *cerebellum*?

R. *Eſt corpus medullare, ſitum ſub cerebro, in poſteriori, & inferiori cavitate cranii.*

Int. Quà conſtat *figurà*?

R. Cerebellum formam habet latiuſculam, aliquantùm depreſſam, duabus partibus lateralibus, globi latioris imaginem utrinque exprimentem.

Int. Quà conſtat *magnitudine*?

R. Magnitudo cerebelli ſexiès minor eſt cerebri.

Int. Qua donatur *ſuperficie*?

R. Cerebelli ſuperficies minús gyrata, quàm cerebri, ſed quaſi ſulcata eſt, cujus ſulci, in medio maximi;

mi; at per gradus utrimque, tamquàm diverſa circuli ſegmenta, ſenſim minores deſinunt in *proceſſum vermiformem* dictum.

Int. Quà conſtat *ſubſtantia*?

R. Ex duplici conſtat ſubſtantia ac cerebrum, nempè, ex corticali, & medullari, ſive tubuloſa, quæ à corticali exorta, quaſi per diverſos ramulos, in truncum medium concurrit: ſic ut cerebello ſecundùm longitudinem, per medium diviſo, hæc medulla arborem ramificatam quadamtenùs repræſentet, quatenùs lobulli cerebelli, racematim arbuſculis medullaribus, foliorum inſtàr adhærentes, pia matre cincti, & totum cerebellum conſtituentes.

Int. Quo medio annectitur cerebellum medullæ *oblongatæ*?

R. Annectitur per duos proceſſus, in hanc medullam tranſeuntes, *pedunculi cerebelli* appellatos, qui ex tribus proceſsibus medullaribus conſtant, quorum primus à cerebello versùs teſtes aſcendit, & *vulvam magnam cerebri* format: alter, prominentiam *annularem*, ſivè *Pontem Varolii*: tertius verò ad ſpinalem medullam deſcendit.

Int. Unde cerebrum ſuſcipit *vaſa ſanguinea*?

R. Arterias habet à duabus carhotidibus internis, & à totidem vertebralibus. Carhotidæ internæ utrimque cerebrum abeunt, per foramina *oſsis ſphænoidis*, juxta foſſulam, quam vocant, *ſellam equinam*, ac *turcicam*; indeque quoſdam ramulos tranſmittunt, ad *glandulam pituitariam*, eidem *ſellæ* inſidentem: qui ramuli mirum in modum cum venis contexti, plexum efficiunt *Rete mirabile* dictum. Deinde ipſe truncus utrimque dividitur in tres ramos majores, ſcilicet, *anteriorem*, *lateralem*, & *poſteriorem*, qui in cerebro diſperguntur: arteriæ vero vertebrales per magnum occipitis foramen, ad medullam oblongatam tendunt.

Arteriarum ramulis per cerebri ſubſtantiam abundanter diſperſis, ubi vix occurrunt venæ è ſinibus duræ meningis, quaquaverſum miſſæ, quę ſanguinem reci-

cipiunt, illumque per venas jugulares, versùs cordis cavitatem deferunt.

Int. Unde cerebellum ſuſcipit *arterias*?

R. Accipit plurimas à cervicalibus, & aliquas à ramis internis carhotidum.

Int. Quid eſt uſus *cerebri*?

R. Uſus generalis cerebri eſt: I. Functionibus *animæ* famulari. II. *Spiritus* ſecernere, eoſque ad nervos, pro ſenſu, & motu tranſmittere. Cerebrum tamèn *ſpirituum animalium* ſecretioni pro motu voluntario; cerebellum verò pro involuntario, magis deſtinatum eſt.

Int. Quis eſt uſus ſubſtantiæ corticalis, tam cerebri, quàm *cerebelli*?

R. Eſt ſegregare à ſanguine, per arterias ad eam advecto, particulas *ſalino-ſulphureas*, quæ ſpiritus animales conſtituunt: medullaris verò eſt inſervire eorum diſtributioni, pro ſenſu, & motu.

Int. Quis eſt uſus ventriculorum *cerebri*?

R. Juxta AA. eſt generare ſpiritus animales: Juxtà RR. verò, eſt humorem ſeroſum, è calloſo corpore, & glandulis plexus choroydalis depluentem recipere; quod probatur ex continuatione, ſeù communicatione ejuſdem cavitatis cum infundibulo: ex qua etiam infundibuli illuceſcit munus, nempè, eumdem illum humorem demittere ad *glandulam pituitariam*, ex qua per ſua vaſa revehitur ad venas jugulares, & non ad nares, vel palatum, ut alii voluere.

Int. Quis eſt uſus *ſepti lucidi*?

R. Eſt, dividere ventriculos cerebri anteriores, ſeù ſuperiores.

Int. Quis eſt uſus *plexus choroydes*?

R. Eſt conſervare motum ſpirituum animalium ſubſtantiæ medullaris, ſuperiùs incumbentis, calore ſanguinis arterialis, quem continet.

Int. Quis eſt uſus *fornicis*?

R. Eſt inſervire tamquam via regia, qua medulla inferior, ſuperiori continuatur, ut ſpiritus ex hac in illam, & viceverſa tranſmigrent, ne illi, qui imaginas

nationi, & afinibus functionibus incumbunt, debito faciliùs, in nervos motorios, aut ſenſorios protrudantur.

Int. Quis eſt uſus *corporum ſtriatorum*?

R. Eſt potiſsimum inſervire, tamquam columnæ, quibus tota ventriculorum concameratio incumbit, ne ſcilicet, hac ſubſidente, illorum cavitas occludatur.

Int. Quis eſt uſus *teſtium*, & *natium*?

R. Uſus harum partium valdè incertus eſt; licèt *Uvilliſius* aſſerat, inſervire, ut ſint diverticulum, in quod ſpiritus animales, è medulla oblongata in cerebellum, & viceverſa, ab hoc, in illam derivandi, ſecedant, ibidemque, proptèr uſus quoſdam animales commorentur, ut inſtinctus naturalis, à corde, & viſceribus, cerebello traditos ſuſcipiant, & cerebro communicent; atque viceverſa affectuum impetus, à cerebro acceptos, mediante cerebello, versùs præcordia transferunt.

Int. Quis eſt uſus *Glandulę pinealis*?

R. Eſt ſeparare ſeroſitates à ſanguine, ex ſubjectis arteriis, eaſque ad infundibulum dimittere.

Int. Quis eſt uſus *infundibuli*?

R. Eſt ſuſcipere ſeroſitates à ventriculis cerebri venientes, & eas ad glandulam pituitariam transferre.

CAP. SEXAGESIMUM OCTAVUM.

DE MEDULLA OBLONGATA, & Glandula Pituitaria.

Int. QUid eſt *Medulla Oblongata*?

R. Eſt pars medullaris in formam caudæ efformata, ad foramen magnum oſsis occipitis extenſa, ſpinali medullæ, & nervis originem præbens.

Int. Quà donatur *longitudine*?

R. Longitudo medullæ oblongatæ ad quatuor digitos

tos tranſverſos ſe extendit, nam dum per magnum foramen *oſsis occipitis*, elabitur, & in ſpinam ingreditur, *oblongatæ* nomen amittit, & *ſpinalis medulla vocatur.*

Int. A quibus partibus ſumit *originem*?

R. Medulla oblongata ortum habet à cerebro, & cerebello; ab illo, duabus majoribus radicibus, quæ dicuntur *medullæ oblongatæ crura*: & à cerebello, duabus minoribus, quæ *pedunculi* vocantur.

Int. Quà conſtat *ſubſtantia*?

R. Medulla oblongata, conſtat ex fibris medullaribus, ab anteriori cerebri, & cerebelli ſubſtantia continuatis, per quos ſpiritus animales ruunt in nervos, ab eadem egredientes. Medulla manifeſtè dividitur in dextram, ſiniſtramque partem (hinc modò dextri, modò ſiniſtri lateris paralyſis) eodem modo ſicut cerebrum, ſuperiori parte partitur: hæc tamen diviſio, extra cranium, in *ſpinæ* cavitate, oculis manifeſtè conſpicua non eſt.

Int. Quot conjunctiones, ſeu paria nervorum egrediuntur à *medulla oblongata*?

R. Decem paria, totidem videlicet, ſimplices in utrolibet latere:

I. *Par*, *olfactorum* dicitur: hi nervi ad os *criboſum* accedentes, fiunt craſsiores, atque idcircò, *proceſſus papillares* vocantur.

II. Par conſtituunt *nervi optici*, ſeu *viſorii*, qui utrimque à cruribus medullæ oblongatæ egreſsi, ante *infundibulum* coeunt, iterumque ſejuncti, tendunt ad utrumque oculum illius lateris, ex quo uterlibet reſpectivè enaſcitur, & efformant tunicam *retinam* oculorum.

III. *Par oculorum motorium* vocatur: hi nervi è baſi medullæ oblongatæ, ponè infundibulum exorti, lateraliter antrorsùm, ad oculos deferuntur; & propè orbitam in ſex ramos diviſum eſt: quorum 1. in homine abit in muſculum *elevatorem* palpebræ. 2. Ad *elevatorem* oculi. 3. Ad *depreſſorem.* 4. Ad *adducentem.*

tem. 5. Ad *obliquum* inferiorem. 6. In oculi tunicis ramificatur.

IV. *Par Patheticum* ab *Uviliſio* appellatur, valdè exiguum eſt. Egreditur à parte ſuperiori medullæ oblongatæ, propè cerebellum, ferturque cum pari præcedente, per idem foramen ad oculos, & in eorum muſculo *Trochlearem* diſpergitur.

V. Par *Guſtatorium* appellatur, & valdè inſigne eſt. Hi nervi abſcedunt utrimque à lateribus magnæ *protuberantię*, quæ ab *Uviliſio annularis* dicitur; moxque ſub dura matre, in tres inſignes ramos dividuntur: quorum 1. & ſuperior, *Ophtalmicus* vocatur: variis oculi partibus, palpebris, muſculis frontis, & naſi, tegumentiſque faciei proſpicit.

II. *Maxillaris ſuperior* dici poteſt, quia per omnes maxillæ ſuperioris partes diſtribuitur, & ramulum quoque ad aurem reflectit; qui ramulo ſeptimi paris junctus *cordam Tympani* conſtituit.

III. *Maxillaris inferior* vocari poteſt, quia maxillæ inferioris partibus, *dentibus*, & in primis etiam *linguæ* proſpicit: Unde totum par *guſtatorii* nomen accipit.

VI. Par *abducens* dicitur, ſed longè minus eſt præcedenti, originem ſumens ex imo medullæ oblongatæ, ramulum emittit, pro *nervi intercoſtalis* conſtitutione: totaque reliqua pars potiſsimum ad muſculum oculi *abducentem* abit.

VII. Par *auditorium* vocatur: exit à lateribus medullæ oblongatæ: ubi cerebello adjacet, & duplici proceſſu per foramen *oſsis petroſi* ad aures defertur.

VIII. Par *vagum* dicitur: Pullulat è medulla oblongata, paulò infra præcedens; multis conſtat filamentis, quæ una cum nervo acceſſorio, è ſpinali medulla ſursùm translato, egrediuntur inter *os occipitis*, & *petroſum*, per eadem foramina, per quæ ſinus laterales duræ meningis cedunt in venas jugulares, & deſcendendo per *collum*, & *thoracem*, ad *abdomen*, ramos impendit *laryngi*, *cordi*, *pulmoni*, & præcipuè *ventriculo*. Nervos quoque è ſuprema thoracis parte, reflectit

ad

ad laryngem, qui inde *recurrentes* dicuntur: Cæterum tam in collo, thorace, quam abdomine, variis plexibus implicatur, ſcilicet, *linguali*, *cervicalibus*, & *intercoſtali*.

IX. Par *linguale*, ad linguam abit, & *linguæ motorium* dicitur: prodit ferè à medullæ baſi, pluribus quoque ſurculis, & per foramen peculiare tranſit.

X. Par nervorum capitis è medullæ oblongatæ, jam in ſpinalem ceſſuræ lateribus exit, & quamvis duram meningem ſubeat, eo loco, ubi arteriæ vertebrales in cerebrum aſcendunt, ex oſsium tamen ſinibus, teſtante *Uvilisio*, non niſi infra primam vertebram emergit: unde plurimi *Anatomici* dubitant, an hoc nervorum par, ultimum *cranii ſit*; an verò *vertebrarum primum*.

Circa nervos capitis notandum eſt, quod in illorum numero, Auctores maximè diſcrepant, unde lectoribus non rarò oboritur confuſio. Veteres paſsim tantùm ſeptem nervorum paria agnoſcebant; nam primum par olfactorium dictum, pro nervis non habebant, & par decimum veriſimiliter illis ex ſpinali medulla egredientibus adſcribebant: Pathetici verò plurimis erant ignoti, & à quibuſdam, ob exilitatem, pro ramulis alterius paris habiti; attamen ordo, & numerus horum nervorum ab *Uviliſio* aſsignatus, probabilior videtur.

Int. Quid eſt glandula *pituitaria*?

R. Eſt parva glandula, in ſella equina, intra duplicaturam duræ matris, ſita.

Int. Cur hæc glandula dicitur *pituitaria*?

R. Quia abſorbet, vel recipit humorem ſeroſum, ſeu pituitoſum cerebri.

Int. Ex quibus conſtat *membranis*?

R. Ex duabus, nam 1. cingitur à dura matre, & ſuſpenſa tenetur. 2. A membrana valdè tenui, piæ matri ſimili, quæ pro infundibulo perviæ ſunt.

Int. Quà donatur *magnitudine*?

R. Magnitudo, & figura hujus glandulæ, cum phaſeolo ferè convenit, cum *appendice* in parte poſteriori.

Int. Quà conſtat *ſubſtantia*?

R. Glanduloſa : ex albo rubeſcens, ut plurimum duriuſcula, & firma; in *appendiee* mollior, & cinericia.

Int. Unde ſuſcipit *ſua vaſa*?

R. Arteriæ ſunt à carothidibus: venæ ad ſinus proximos abeunt: Nervi à quinto pari.

Int. Quis eſt uſus glandulæ *pituitariæ*?

R. Vulgò ſtatuitur, quod eſt inhibere pituitam ventriculorum cerebri, eamque poſtea foras ammandare; qui verò uſus veriſimilis non videtur; quia glandularum officium eſt ſecernere; tuncque non eſſet opus corporis glanduloſi, ſed ſufficeret ſimplex canalis, tum etiam ejus ſubſtantia firma, & dura, illi uſui inepta videtur.

CAP. SEXAGESIMUM NONUM.

DE SPINALI MEDULLA.

Int. QUid eſt *ſpinalis medulla*?

R. Eſt medullæ oblongatæ continuatio, & quaſi cauda cerebri, canali oſſeo vertebrarum incluſa, à capite, ad finem oſsis ſacri ſe extendens.

Int. Qua donatur *longitudine*?

R. Longitudo medullæ ſpinalis convenit cum longitudine ſpinæ dorſi. Ejus craſsities digitum æquat, non tamen ubique æqualis.

Int. Quibus conſtat *tegumentis*?

R. Tegumenta, ſive involucra medullæ ſpinalis ſunt ſex; I. *Canalis oſſeus* ex XXIV. vertebrarum, & oſsis ſacri formatus. II. *Tunica ligamentoſa*, vertebras intùs colligans. III. *Tunica celluloſa*, ſive *adipoſa*. IV. *Dura mater*. V. *Membrana Arachnoidea*. VI. *Pia mater*, quæ non tantùm proximè inveſtit medullam; ſed inſuper ſecundùm longitudinem, per ejus medium excurrens, ſaltem in principio, eam in partem dextram, & ſiniſtram diſtinguit.

Int.

Int. Unde ſuſcipit *ſua vaſa*?

R. Arterias, & venas à vertebralibus colli, intercoſtalibus, & lumbaribus: quæ in latere vertebrarum, ubi nervi exeunt, ingrediuntur, & anaſtomoſes conficiunt.

Nervorum è ſpinali medulla egredientium numerantur paria XXXI. vel XXXII. quorum quilibet pluribus fibris medullaribus ex anteriori, & poſteriori ejus parte ortis, quæ deinde coeunt, membranis colligantur, & nervos conſtituunt.

Int. Quà conſtat *ſubſtantia*?

R. Medullæ ſpinalis ſubſtantia, ab ejus ortu, uſque ad ultimas thoracis vertebras, eadem eſt, ac medullæ oblongatæ cerebri, ſed pauló tenacior: exterius medullaris eſt; intùs vero cinericia, ejuſdem uſus, ac cineritia, ſeu glanduloſa, vel corticalis cerebri. Ab ultimis thoracis vertebris, uſque ad finem oſsis ſacri, fibroſa, ac tenaciſsima eſt, quæ tunc cauda equina vocatur.

Int. Quis eſt uſus *medullæ ſpinalis*?

R. I. Eſt prædictis paribus nervorum originem dare. II. Spiritus, ſive liquidum nerveum, in uſum horum nervorum, medio mechaniſmo ſuæ ſubſtantiæ cinericeæ, ſeu glanduloſæ à ſanguine ſeparare.

CAPUT SEPTUAGESIMUM.

DE PARTE CAPITIS NON CAPILLATA, ſeu de facie.

Int. QUot ſunt partes *faciei*?

R. Aliæ ſunt *continentes*, aliæ verò *contentæ*. Continentes, aliæ ſunt *communes*, ut *cuticula*, *cutis*, *pinguedo*, & *membrana adipoſa*. Propriæ vero ſunt *muſculi frontales*, *Naſi*, *labrorum*, *&c.* variaque oſſa, de quibus jam ſuperiùs dictum eſt.

Contentæ faciei partes ſunt, *organa* quinque ſen-

ſuum, *viſus*, ſcilicet, *guſtus*, *olfactus*, *auditus*, & *tactus*.

Int. Quis eſt organum viſus?

R. Eſt oculus.

Int. Quot ſunt partes in oculo viſui *inſervientes*?

R. Hæ in duplici ſunt differentia: aliæ viſui inſerviunt, oculum tamen non conſtituunt; aliæ vero ipſum oculi *bulbum* componunt.

Int. Quæ partes viſui inſerviunt, & oculum non *conſtituunt*?

R. Supercilia, & *Palpebræ.*

Int. Quid ſunt *ſupercilia*?

R. Sunt duo arcus piloſi, ſupra orbitas poſiti.

Int. Quid ſunt *palpebræ*?

R. Tegumenta ſunt oculorum. In quovis oculo duæ, ſuperior una, & inferior altera; ad quarum concurſum formantur oculorum *anguli*, ſive *canthi* duo: horum vocatur minor, & externus, qui temporibus; major, & internus, qui naſo vicinus eſt.

Int. Palpebræ quà conſtant ſtructura?

R. Componuntur ex *cuticula*, *cute* tenera, & *cartilagine* arciformi, *Tarſus* dicta: quæ intus inveſtiuntur membrana valdè lubrica, ſenſili, perioſtio, continua.

Int. Quid ſunt *cilia*?

R. Sunt pili rigidi in oris palpebrarum, ſingulariter inflexi, ad avertenda extranea, & radios fortiores moderandos.

Int. Quomodò vocantur glandulæ illæ, quæ repeRiuntur in interiori facie *palpebrarum*?

R. Sebaceæ Meibomii, quæ liquidum oleoſum ſecernunt, pro attritu palpebrarum impediendo.

Int. Ubi reperitur *caruncula lachrymalis*?

R. In angulo majori oculi.

Int. Ubi ſita eſt *glandula lachrymalis*?

R. In orbita, ſupra angulum minorem, cum ductulis ſuis excretoriis, ſub palpebra ſuperiori emergentibus.

Int. Ubi reperiuntur *puncta duo lachrymalia*?

R.

R. In angulo majori, ad fines tarſorum, deſinentia in *ſaccum lachrymalem*, *canalem naſalem*, & naſum ipſum.

Int. Quibus muſculis moventur *palpebrę*?

R. Palpebræ clauduntur, & aperiuntur, ope muſculorum. Bini iſti motus in palpebra ſuperiori, binis abſolvitur muſculis, *attollente* ſcilicet, & *deprimente*. *Attollens* muſculus originem habet à fundo *orbitæ*: deprimens verò, ſeu occludens, ab uno oculi *cantho*, ad alterum, inſtar arcus excurrit.

Muſculus claudens palpebram inferiorem, ab uno oculi angulo, ad alterum per eamdem palpebram extenſus eſt. Muſculus, qui hanc palpebram deprimat, ſeu aperiat, hucuſque nullus eſt repertus.

Int. Quot ſunt muſculi oculum moventes?

R. In homine ſex ſunt, in brutis vero ſeptem: quatuor vocantur *recti*, oriundi circa foraminis *nervi optici*, in fundo *orbitæ* ambitum, inſeruntur in *ſcleroticam*, non procul ab ambitu *corneæ*.

Int. Quomodò vocantur hi muſculi?

R. Primus appellatur *ſuperior*, attollens, ſive ſuperbus. II. *Interior*, deprimens, ſive humilis. III. *Exterior*, abducens, ſeu indignatorius. IV. Interior, adducens, ſive bibitorius.

Int. Quomodò vocantur alii duo?

R. Obliqui, ſive *rotatores*. Primus dicitur *obliquus major*, *ſuperior*, ſive *trochlearis*: oritur juxtà præcedentes, terminaturque in ſuperiori oculi parte. Alter vocatur *obliquus minor*, ſive *inferior*: oritur ab anteriori, & interiori orbitæ parte, & inſeritur obliquè in inferiori *bulbi* parte. *Muſculus ſeptimus brutorum*, in fundo orbitæ, ac circumferentia nervi optici undique oritur, *ſcleroticæ* partem poſteriorem totam amplectitur.

Int. Quot ſunt tunicæ oculum componentes?

R. Sex. I. *Albuginea*, *adnata*, ſive *conjunctiva* dicitur, in anteriori ſolùm parte hæret, vaſis repletiſsima eſt, & oculum orbitæ jungit.

II. *Cornea*, quæ pellucida, convexa, & in varias lamellas dividua.

III. *Sclerotica*, dura, opaca, à cornea ad nervum opticum extenſa.

IV. *Choroidea*, mox ſub ſclerotica ſita, cujus lamella interior vaſculis diſtinctis repletiſsima, & nigrore imbuta eſt. V. *Uvea*, quæ pars anterior eſt *choroideæ*, per corneam conſpicienda, convexa: in qua notanda, *facies anterior* colorata, *Iris* dicta, tota vaſculoſa, unde varii illi oculorum colores in homine. *Pupilla*, ſive foramen in homine rotundum, in medio ferè iridis, quod dilatari, & conſtringi poteſt. *Facies poſterior* nigra, ubi abſterſo nigrore, videnda: *Sphinter pupillæ*, ex fibris orbicularibus, pro contractione. *Proceſſus, ſive fibræ ciliares*, pro dilatatione pupillæ. *Ligamentum ciliare*, pro motu *vitrei*, & *cryſtalini*. *Circulus arterioſus, & venoſus*, ex quibus vaſcula per uveam, choroideam, ligamentum ciliare, humorem vitreum, & cryſtalinum, mirabiliter diſtribuuntur. *Ductus nigri* inter proceſſus, & ligamentum ciliare. Spatium inter uveam, & corneam *camera oculi anterior* vocatur; illud vero inter uveam, & cryſtallinum, *camera poſterior*. VI. *Retina* dicitur, hæc tenerrima, & quaſi mucoſa, nervi optici per oculi fundum expanſio eſt, oculi, & viſus pars primaria, cujus cauſa omnes reliquæ.

Int. Quot ſunt humores oculi?

R. Tres, expanſioni tunicarum, & refractioni radiorum inſervientes, ſcilicet. I. *Aqueus*, ſive *Albugineus*, utramque oculi cameram replens, in quo uvea libere quaſi fluctuat, & movetur, qui amiſſus ſpontè reparatur. II. *Vitreus*, vitro fuſo, vel gelatinæ pellucidæ ſimilis, probabiliter ex *veſiculis ſubtiliſsimis*, humorem limpidiſsimum continentibus, conſtans, partem poſteriorem oculi replens, retinæ parte poſteriore ubique contiguus, eamque expandens. III. *Cryſtallinus*, ſeu *lentiformis*, reliquis ſolidior foveæ vitrei ope tunicæ tenuiſsimæ arachnoides dicta incluſus, *à ligamento ciliari*, inter aqueum, & vitreum humorem,

rem, mox poſt pupillam, liberè quaſi ſuſpenſus, ejuſque ope mobilis, ex multis lamellis pellucidis, vaſculoſis, ad ceparum ſimilitudinem conſtructus.

Int. A quibus vaſis oculus ſuſcipit ſua vaſa?

R. Arteriæ à carotidibus internis, & externis. Venæ verò partim ad *ſinus duræ matris*, partim ad *jugulares* venas ſanguinem revehunt. Etiam habet minutiſsima vaſa lymphatica, lympham vehentia, à quá tunicæ, & oculi humores nutriuntur. Nervi quàmplurimi reperiuntur in oculo. 1. *Opticum*, retinam, organum viſus primarium conficiens. 2. Par cerebri. 3. 4. Ramus. 5. & 6. qui per muſculos, membranas, palpebras, glandulam, & ſaccum lacrymalem diſtribuuntur.

Int. Quid eſt uſus oculorum?

R. Omnibus notum eſt, illos eſſe propria organa viſus; ſingularum verò partium officia hìc ſaltem breviter notanda veniunt.

Officium *Glandularum* eſt humorem, quem ſeparant, irrigare oculum ad facilitatem motus.

Pinguedinis, implere interſtitia inter glandulas, muſculos, aliaſque partes, & lubricare globum oculi.

Muſculorum, oculum hùc illùc movere pro diverſo objecti ſitu, illuminatione, &c.

Tunicarum, eſt continere humores. Deinde aliæ alium habent uſum proprium; nam tunica *ſclerotica* ſua parte pellucida radios lucis tranſmittit, papillam anguſtat dilatatque: poſterior vero ejus pars, retinam continet, & ulteriorem tranſitum radiorum viſualium impedit. *Tunica retina* ipſos radios viſuales excipit, eſtque inſtar telæ, cui imagines objecti viſionis appinguntur. *Tunica vitrea*, & cryſtallina humores ejuſdem cognominis includunt, eorumque confuſionem præcavent.

Uſus *humorum* oculi eſt radios viſuales ita refringere, ut illi, qui veniunt ab eadem parte objecti, incidant in eamdem partem tunicæ retinæ, & qui veniunt

à diverſis objecti partibus, incidant in partes diverſas ejuſdem tunicæ; atque ita in fundo oculi depingatur imago objecti. Refractio radiorum præcipuè fit ab humore cryſtallino, quatenùs illos magis refrangit versùs lineam perpendicularem.

Humor aqueus, præter hoc quòd contribuat ad radiorum refractionem, maximè inſervit, ut pars uveæ iridem conſtituens per illum liberè moveatur, conſtringatur, ac dilatetur: item ut humor cryſtallinus ope *proceſſuum ciliarium* magis antrorsùm retrorsùmve deducatur.

Humor vitreus præter hoc, quod ad refractionem radiorum multùm tribuat, ratione quantitatis debitam diſtantiam efficit inter humorem cryſtallinum, & tunicam retinam, hancque in eum extendit ambitum, qui objectorum viſibilium imaginibus depingendis ſufficiat.

CAP. SEPTUAGESIMUM PRIMUM.

DE ORGANO GUSTUS, ET LOQUÆLÆ.

Int. Quod eſt organum *Guſtus*, & *Loquælæ*?

R. Primarium guſtus, & loquælæ organum eſt *lingua*: circa quod tamen ſimul reliquæ oris partes, linguæ functioni inſervientes, conſiderandæ veniunt, nimirum *glandulæ ſalivales*, *os hyoides*, *gingivæ*; *palatum*, *labra*, *uvula*, & *tonſillæ*.

Int. Quid eſt lingua?

R. Eſt nobiliſsimum illud organum, animæ noſtræ optimus interpres.

Int. Lingua quà gaudet figura?

R. Lingua *pyramidalis* figuræ eſt; ejuſque anterior, mobilior, & acuta pars *apex*; poſterior vero, & craſſior, *baſis* ſive radix dicitur.

Int. Quibus partibus connectitur?

R. Connectitur poſteriùs *faucibus*, *laryngi*, *oſsi-hyoi-*

di,

di, ſive *bicorni*: inferiùs maxillæ inferiori mediantibus muſculis, & proprio ligamento membranoſo.

Int. Quot habet *ligamenta*?

R. Duo, I. *Frænulum* dicitur, quod ſub apice linguæ ſitum eſt, in cujus radice adſunt ductus ſalivales *Uvarthoniani.* II. *Membranaceum* appellatur, quibus lingua maxillæ interiori, oſsi hyoidi, & laryngi, ſpeciatim epiglotidi jungitur.

Int. Quomodò vocatur linea illa, quæ longitudinem linguæ excurrit?

R. Dicitur *mediana*, quæ linguam æqualiter quaſi in duas partes dividit.

Int. Ex quibus componitur partibus?

R. Conſtat ex muſculis, nervis, involucris, ſive membranis, pinguedine, glandulis, ac vaſis notabilibus.

Int. Quot ſunt muſculi linguam componentes?

R. Quatuor numerantur paria. I. *Genio-gloſſum* dicitur: oritur ſupra *genio-hyoideum* á mento, ingreditur medium linguæ, eamque movet antrorſum. II. *Stylo-gloſſum*, à proceſſus ſtyloidei apice proveniens, deſcendit obliquè in radicem, & latus linguæ, eamque ad latera, & retrorſum, ac ſurſum movet. III. *Cerato-gloſſum*: oritur à cornu oſsis hyodis, & inſeritur radici linguæ. Si unus illorum ſolus agat, linguam in latus correſpondens leniter flectit; ſi uterque ſimul, eam tenent in motu tonico. IV. *Baſio-gloſſum*, á baſi oſsis hyoides, per medium linguæ versùs apicem excurrit. Trahit linguam versùs baſim oſsis hyoides, ac breviorem facit.

In numero muſculorum linguæ Authores multum diſſentiunt: etenim aliqui non niſi *quatuor* illorum paria, alii *quinque*, alii *ſex* deſcribunt: quæ differentia provenit partim ex eo quod alii aliis in ſe jungendis muſculis curioſiores ſint; partim quia nonnulli muſculos linguæ ad os hyoides transferunt.

Int. In qua linguæ parte reperiuntur ejus glandulæ?

R. In ſuperiori, & poſteriori parte, quàmplurimæ ad-

adſunt, quæ in ſuperiori, & anteriori ſemen *ſinapis* magnitudine vix ſuperant, at poſteriora versùs ſenſim augentur magnitudinem *lentis* accedentes in nonnullis ſubjectis. In vivis pellucidæ ſunt, humoreque ſalivali refertæ; quem pro linguæ humectatione in ejus ſuperficiem deponunt.

Int. Unde lingua ſuſcipit ſua vaſa?

R. Arteriæ magnæ, & multæ, à *carotidibus* externis. Venæ à *jugularibus* externis: quarum eæ, quæ ſub apice linguæ conſpiciuntur, venæ raninæ dicuntur. Nervi valdè inſignes habet: duo rami à pari vago guſtui; duo à pari nono, qui motui inſervire creduntur.

Int. Quot ſunt tunicæ, ſive membranæ linguam inveſtientes?

R. Tres. I. & extima continua cum *membrana oris communi*, vaginulas efformans quaſi piramidales, globoſas, & poroſas, pro *papillis* nerveis tertiæ membranæ ſuſcipiendis. II. *Reticularis Malpigii* dicitur, ex eleganti *retè* conſtans, papillas nerveas per foraminula ſua tranſmittens, & in ſuperiori tantum parte conſpicua.

III. *Papillaris nervoſa* appellatur, continens papillas *nerveas*, *fungoſas*, ſive *capitatas*, cornubus limacum ſimiles, quæ foraminulis prædita, emitti, & retrahi poſſunt; & piramidales. Utraque vero hę papillæ oriuntur ex hac intima tunica, & nervis linguæ, tranſeunt foraminula reticularis, & terminantur in exterioris vaginulis, conſtituuntque primarium *organum guſtus.*

Int. Quis eſt uſus *linguæ*?

R. Lingua eſt præcipuum *guſtus*, & ſermonis inſtrumentum: *manducationi* tamen quoque, *ſuctioni*, *deglutioni*, expuitioni, &c. mirabilitèr inſervit.

Int. Quæ glandulæ ſalivam ſecernunt?

R. *Parotides*, *maxillares*, *ſublinguales*, *&c.* *Parotides* inſignes glandulæ ſunt, utrimque una, inter aurem, & maxillæ inferioris angulum ſita, ſæpè ſuper magnam *maſſeteris* partem ſe extendens, ex qua notabilis duc-

ductus, tres quaſi digitos longus, calami ſtraminei craſsitie, qui à *Stenone* inventus, *ductus ſalivalis ſtenonianus*, ſive *ſuperior* appellatur: tranſit inde ſuper muſculum *maſſeterem*, per medium genæ, & juxta ſecundum, vel tertium dentem molarem perforat, liquidumque ſuum ibidem larga copia in os deponit.

Maxillares glandulæ, quoque ſatis notabiles ſunt, utrimque una in interiori latere anguli maxillæ inferioris ſita: quarum quælibet ſingularem ductum, ex variis radicibus coalitum, priori pauló tenuiorem, ſed ſæpè longiorem, ab inventore, ut putant *Uvarthonianum*, ſive ſalivalem inferiorem dictum, emittit, qui ſub lingua, juxta radicem frenuli, plerumque ſimplici, nunc etiam duplici, imò quandoque triplici orificio in os hiat.

Sublinguales, duæ oblongæ, utrimque una, ſub lingua poſitæ, quæ ſalivam in homine parvis ductulis, ſive oſculis, inter linguæ latera, & gingibas utrimque in os hiare. Glandulę præterea *miliares*, & lenticulares, deprehenduntur per membranam oris, præcipuè *per labra*, *palatum*, *buccas*, & *linguam* diſperſę, quæ pro ſitus diverſitate, *linguales*, *labiales*, *bucales*, *palatinæ*, *uvulares*, *&c.* vocari poſſunt, quæ ſalivam ſecernunt, & per ſua vaſa, in ore deponunt.

Int. Quid eſt *uvula*, ſeu *columella*?

R. Eſt pars teres, aut ferè conica, in parte poſteriori palati, ſupra linguę radicem, inter duos quaſi arcus palati, & utramque tonſillam, à velo, ſive clauſtro palatino pendula.

Int. Columella quà donatur magnitudine, & figura?

R. Uvula magnitudine, & figura aſsimilatur ſupremo articulo digiti infantis. Mobilis eſt hæc pars, ideòque duorum muſculorum paribus inſtructa: *externo* ſcilicet, & *interno*. Muſculus externus utrimque oritur à maxilla ſuperiori infra dentem molarem, & uvulæ lateribus implantatur. Videtur uvulam erigere, ut magis perpendiculariter inſiſtat palato, quod fortè conducit formandis certis vocibus. Muſculus uvulæ

in-

internus naſcitur à parte inferiori *alæ* oſsis cuneiformis; atque inferiùs in *uvulæ* corpus deſinere videtur. Applicat uvulam palato, veriſimiliter pro faciliori cibi deglutione. Tenetur inſuper columella ſuſpenſa quatuor ligamentis membranaceis utrimque duobus.

Int. Quid ſunt *tonſillæ*?

R. Sunt duæ glandulę conglomeratæ, utrimque una, ſitæ paulò infra columellam ad latera faucium.

Int. Unde hæ partes ſuſcipiunt arterias, & venas?

R. Arterias, & venas habent, à vicinis carotidum, & jugularium ramis, & nervos copioſos à quinto, ſexto, & fortè ab octavo pari.

Int. Quid obſervandum ponè *columellam*?

R. Foramen inſigne hians in *palato*, in introitu unicum, ſed ſtatim diviſum in duo minora, quorum utrumvis parvi digiti capax eſt. Hæc foramina cum naribus continuantur, eorumque latera eodem, quo nares intus obducuntur involucro membranoſo glandulis plurimis obſito, quæ liquidum mucoſum, pro faucibus lubricandis, & deglutione facilitanda ſecernunt à ſanguinis maſſa, & per ſua oſcula expellunt.

Int. Quis eſt uſus harum partium?

R. Uvula ſpecialiter conducere. I. Ad formandas voces, & alios quoſdam ſonos, quatenus aer *aſperam arteriam* egrediendo in uvulam impingens ab eà crebris ictibus repercutitur. II. Moderare aeris frigiditatem, ne ſubitó in pulmones irruat. III. Impedire, ne ex ore potus in nares regurgitet. *Tonſillæ* humorem aliquem copioſius ſeparant, & in faucibus deponunt, pro facilitanda alimentorum deglutione. Uſus vero foraminum à naribus ad palatum, eſt tranſmittere aerem pro inſpiratione, & expiratione. Unde viis illis non ſatis patulis, cogitur homo ore aperto aerem haurire, atque emittere.

Int. Cui apponitur lingua tamquam baſi, ſeu fundamento?

R. Oſsi hyoidi.

Int. Ex quibus componitur oſsiculis?

R. Os *hyoides*, *hypſiloides*, *linguale*, *bicorne*, *aut gutturis* dictum, in infantibus conſtat ex quinque, ſeptem, & aliquando pluribus *oſsiculis*, in adultioribus paſsim *tribus*: horum medium, *baſis*, lateralia vero *cornua* appellantur.

Int. Quem *ſitum* tenet?

R. Situm eſt in fine linguæ, ſuperiorem partem *laryngis* occupans, ſicut illius baſis anteriùs adjacet laryngis capiti, cornua vero poſteriorem corporis regionem reſpiciunt.

Int. Quibus partibus connectitur?

R. Ope ligamentorum connectitur cum *lingua*, *larynge*, & proceſsibus *capitis ſtyloideis*; interventu vero muſculorum, tam cum partibus prædictis, quàm cum *maxilla*, *ſcapulis*, *claviculis*, & *ſterno*.

Int. Quot ſunt muſculi oſsis *hyoides*?

R. Oſsis hyoidis quinque numerantur paria. I. *Mylo-hyoides* dicitur, oritur amplo principio à baſi maxillæ inferioris, propè mentum, terminatur vero, in baſi oſsis hyoidis. II. *Coraco-hyoideus*: oritur poſt proceſſum *coracoideum*, è coſta ſuperiori ſcapulæ; & inſeritur baſi, & cornu oſsis hyoidis. III. *Genio-hyoides*: oritur in medio menti ſupra mylo-hyoideum, juxtà ſynchondroſim maxillæ, & terminatur in baſi hyoidis. IV. *Sterno-hyoides*: oritur modò à ſterno, & clavicula, modò à ſolo ſterno, modò à ſola clavicula, & inſeritur baſi hyoidis: eſtque præcedentis antagoniſta. *Stylo-hyoides*: origo, proceſſus ſtyloides, finis, cornu, & baſis: perforaturque ſæpè à *digaſtrico maxillæ*.

Int. Quis eſt uſus *oſsis hyoides*?

R. Eſt, I. linguæ inſervire tamquam baſis. II. Ut per ejus motum lingua etiam aliquatenus moveatur. III. Ut ab eo oriantur muſculi quidam linguæ, & laryngis.

Int. Labra ex quibus conſtant partibus?

R. Ex muſculis potiſsimum componuntur: exteriùs, tegumentis univerſalibus, intus, membrana oris tecta, ſub qua *glandulæ miliares*, & *lenticulares*, tam in inferiori, quàm in ſuperiori ſitæ ſunt. *Prolabia*, epider-

dermide denudata, & aquæ aliquandiu macerata, oſtendunt papillas nerveas copioſiſsimas, hinc adeò ſenſilia. *Superius labrum* ſub *ſepto naſi*, inferius verò ad radices dentium inciſorum, quovis peculiare *frenulum* habet, atque in loquela, bibendo, & manducando magnam nobis operam præſtat.

Int. Gingibæ, ex quibus conſtant partibus?

R. Ex membrana oris communi, & *perioſtio* maxillarum, quibus firmiſsimè adhærent. Vaſis inſtructæ ſunt copioſiſsimis, hinc adeò rubent. Inſerviunt tegendis maxillis, firmandiſque dentibus.

CAP. SEPTUAGESIMUM SECUNDUM.

DE ORGANO ODORATUS.

Int. QUod eſt *Organum odoratus?*

R. Naſus.

Int. Quid eſt *Naſus?*

R. Eſt, pars illa, quæ in facie benè formata ſupra oris aperturam maximè eminet, uſque ad frontem.

Int. Quomodò vocantur partes *naſum* componentes?

R. Pars naſi eminentior per ejus longitudinem excurrens, dicitur *dorſum naſi*, ejuſque pars acuminata *ſpina*. Extrema naſi circumferentia, vocatur *orbiculus*; parteſque ejus laterales, *alæ*, ſeu *pinnæ*.

Int. Quomodò vocatur pars illa, quæ naſum dividit in duo foramina?

R. Septum medium; hoc in parte anteriori, & inferiori cartilagineum eſt, in poſteriori vero, & ſuperiori oſſeum. Hæ foramina vocantur *nares*, quorum quodlibet rurſus dividitur in duas cavitates; quarum altera ſursùm tendit ad *os criboſum*; altera, quæ longè inſignior ſupra *palatum* abit in faucis oriſque interiora. Per priora tendunt particulæ odoriferę cum aere ad filamenta nervorum olfatoriorum: per poſteriora verò ingreditur egrediturque aer ad pulmones. Duo illa

illa foramina, per quæ aer tranſit pro reſpiratione, in palato coaleſcunt.

Int. Ex quibus naſus componitur partibus?

R. Ex *cuticula*, *cute* tenuiſsima, *membrana adipoſa*, & *muſculoſa*, *muſculis*, *oſsibus*, *cartilaginibus*, *tunicis internis*, & *vaſis*.

Int. Quot ſunt muſculi naſum moventes?

R. Muſculi naſum moventes utrimque ſunt quatuor, quorum duo nares dilatant, & totidem illas conſtringunt.

Int. Quomodò vocatur primum *par*?

R. *Dilatatorium*, oritur circa ſuturam, quæ os frontis maxillę ſuperiori connectit, terminatur, in ſpina naſi, & in pinis.

Alterum par *dilatatorium* etiam appellatum, oritur inferiùs ab oſſe orbitæ oculi, ac partim in naſi pinnam exteriùs deſinit.

Tertium par, *primum conſtrictorium* dicitur, naribus propè extremitates per modum ſphinteris circumducitur, videtur habere originem ab oſſe maxillæ, cui naſus incumbit.

Quartum par, etiam *conſtrictorium* vocatur, oritur interiùs ab extremitate oſsis naſi, pinnarumque lateribus terminatur.

Int. Quæ oſſa pertinent ad naſi fabricam?

R. Multa, ſcilicet *oſſa naſi*, *maxillarum*, *cribiforme*, *ſpongioſa*, *frontale*, *lacrymalia*, *palati*, *vomer*, & *ſphenoides*.

Int. Quot ſunt cartilagines nares componentes?

R. Numerus cartilaginum naſi valdè incertus eſt, nam alii plures, alii pauciores numerant. Evidens enim eſt, quod pars inferior naſi conſtare ex cartilaginibus, membranis colligatis, ut naſus flexilis ſit. Earum prima anteriorem *ſepti* narium partem conſtituit: deinde in quavis *ala* duæ ſatis magnę exiſtunt, quibus nunc duæ, nunc tres, nunc plures minores interponuntur.

Int. Qualis eſt ſtructura *ſepti narium*?

R. In parte anteriori, & inferiori cartilagineum eſt;

in

in poſteriori vero oſſeum, quæ partes membranis robuſtis conjungùntur: adeòque naſus in duas partes dividitur, ſcilicet, in ſuperiorem, quæ oſſea, & rigida eſt, & interiorem, quæ flexilis, & cartilaginea.

Int. Quę notanda veniunt in naribus?

R. Meatus duo ad fauces, pro aeris, & muci *tranſitu ſinus*: oſsium *maxillarium*, *frontales*, *ſphenoidei*, *cellulæ oſsis ethmoidis*: cavum naſi, atque ſic ſimul expanſionem membranæ *pituitariæ*, & odoratum augentes.

Inæqualitates, ſive eminentiæ oſsium turbinatorum, ſive ſpongioſorum in cavo narium; partim eidem uſui inſervientes, partim illapſum inſectorum, & aeris frigidioris in fauces impedientes.

Membrana mollis, valdè vaſculoſa, *nares*, *ſinus*, & inæqualitates earum inveſtiens, *mucoſa*, ſive *ſcheneidori* dicta, odoratus, & ſecretionis muci organum. *Oſcula ductuum excretoriorum* in hac membrana, præcipuæ in capite bubulo, egregiè conſpicua.

Glandulæ, ſub hac membrana exiguæ, præſertim in medio ſepti obſervantur, muci ſecretioni deſtinatæ.

Arteriæ, à carotidibus copioſiſsimæ per illam membranam ſunt diſperſæ, ſecretioni muci quoque inſervientes.

Venæ, à jugularibus, pro ſupervacuo ſanguine reducendo.

Nervi, per membranam pituitariam diſperſi, ſunt primo, *olfactorii*, ſatis inſignes, qui olfactui inſerviunt. II. Rami paris quinti, qui in villos deſinunt, organum olfactus conſtituentes.

Membrana tenuis ſub pituitaria, oſſa, & cartilagines inveſtiens: in his, *Perichondrium*; in illis, perioſtium dicta.

Foramina. I. ad *ſinus*, *frontales*, maxillares, *ſphenoideos*, & cellulas oſsis, *ethmoidis*, pro communicatione eorum cum naribus.

II. *Orificia ductuum lacrymalium*, in nares hiantia.

III. Ductus ex naſo ad os, mox poſt dentes inciſo-

res maxillæ ſuperioris: hi membrana palati clauſi ſunt; ideòque, uſus vulgò adſcriptus, ac ſi mucum ex naribus ad os tranſmitterent, nullus eſſe videtur.

Int. Quis eſt uſus *naſi*?

R. Eſt, eſſe organum odoratus; reſpirationi, & voci inſervire; mucum ſecernere; diverticulum eſſe humoris oculorum, ad gravitatem, & ad pulchritudinem multùm conferre. Sed neque aerem, neque pulveres naribus attractos ad cerebrum tranſmittit. An vero pituitam è cerebro emittat, adhuc dubium eſt.

CAP. SEPTUAGESIMUM TERTIUM.

DE ORGANO AUDITUS.

Int. Quod eſt organum auditus?

R. Auris.

Int. Quomodò dividitur *auris*?

R. Dividitur in *externam*, & internam.

Int. Quid eſt auris *externa*?

R. Eſt illa pars auris totalis, quæ exteriùs ſine ſectione, aut violentà diductione conſpicitur. Hanc aliqui confundunt cum *auricula*; alii tamen malunt, auriculam vocare præcisè illam auris partem, quæ extrá vicinas partes capitis eminet.

Int. Quid notandum in *auricula*?

R. Notandæ eminentię, cavitates, & alia. Eminentia ſuperior auriculæ, dicitur *pina*, & *ala*; inferior mollis, & propendens *Lobus*. Ambitus auriculæ exterior, vocatur, *helix* ſeu *capreolus*; interior illi oppoſitus *antihelix*, & *ſcapha*. Cavitas inter illos duos ambitus, & ſub ſcapha, dicitur *concha*. Interiorem protuberantiam versùs tempora, aliqui nominant *Tragum*, ſeu *Hircum*, & huic oppoſitum tuberculum, Antitragum.

Int. Ex quibus partibus componitur *auricula*?

R. Componitur ex *cuticula*, *cute* tenuiſsima, *mem-*

brana carnoſà, pauca *pinguedine*, *cartilagine*, *&* *muſculis* cum ſuis vaſis.

Cartilago, alligatur *oſsi petroſo* per ligamentum à *pericranio* procedens.

Auris muſculi, in homine valdè exigui, & vix conſpicui ſunt: nunc duo, nunc tres, nunc plures; *ſuperior*, *poſterior*, & *anterior* à ſitu dicendi, quorum uſus in movenda aure, aut nullus, aut certè valdè exiguus. Tenſioni tamen auris, quando accuratiùs audire volumus, inſervire fortè poſſunt.

Int. Quid eſt auris *interna*?

R. Eſt illa cujus partes ſine ſectione videri non poſſunt, ut *meatus auditorius*, *Timpanum*, ejus *cavitas*, *&c.*

Int. In meatu auditorio, quæ notanda?

R. Ejus progreſſus tortuoſus, & obliquus versùs anteriora.

Subſtantia, partim *oſſea*, partim *cartilaginea*, ex cartilaginibus quaſi fractis, *tunica elaſtica* obductis compoſita.

Membrana, internam partem hujus meatus inveſtiens. Glandulæ flavæ, exiguæ, *ceruminoſæ* dictæ, in convexa hujus membranæ parte ad medietatem meatus ſitæ, cerumen ſecernentes, & in meatum auditorium per ſua vaſa excretoria, deponentes, pro vario uſu.

Corpus reticulare Balſavè, in cujus areolis glandulæ ceruminoſæ contentæ ſunt.

Meatus auditorius in parte media ſive longitudinis, clauditur anteriùs per membranam tenuem, ſiccam, & pellucidam, circulo oſſeo affixam; quam aliqui *Tympanum*, nonnulli *Tympani membranam* vocant.

Ponè hanc membranam rurſus alia datur cavitas valdè inſignis oſsi petroſo inſculpta, ab aliquibus *meatus auditorius internus* dicta, ab aliis *concha interna*, ab aliis *Tympanum*, aut Tympani cavitas, in quá continetur aer, quem vocant *congenitum.*

Int. Quæ partes reperiuntur in hac cavitate *Tympani*?

R.

R. Reperiuntur quatuor oſsicula, tres illorum muſculi, duo meatus, & duæ feneſtræ.

Int. Quomodò vocantur iſta oſsicula?

R. Priora tria à rebus, quibus ſimilia perhibentur, nomen accipiunt, dicunturque *Malleus*, *Incus*, & *Stapes*: quartum, quod minimum eſt, à figura dicitur orbiculare.

Int. Malleolus ex quibus conſtat *partibus*?

R. Conſtat ex *capitulo*, & *manubrio*: illud craſsius eſt, & præter foſſulam alteri parti inſculptam penè rotundum eſt; ac circa extremitatem capitello proximam duobus ornatur proceſsibus; quorum longior membranam tympani, alter interiora reſpicit.

Int. Cui aſsimilatur *incus*?

R. *Incudi*: hoc oſsiculum dentem molarem duabus radicibus prædictum aliquomodo refert, malleo ſubjacet, ejuſque caput ſuperiori parte leni ſinu excipit; in inferiori verò duos habet proceſſus: unum brevem, tympani ſpecui poſteriori innitentem: alterum longiorem, per ligamentum laxiuſculum, ſed firmum, *ſtapedis* capitulo affixum.

Int. Cui aſsimilatur *ſtapes*?

R. Stapedi. Hoc *cochleę* inſiſtit, & feneſtræ ovali figura, ambituſque ſimilitudine reſpondet.

Int. Quid notandum in *ſtapede*?

R. *Caput*, incudis cruri longiori junctum; *baſis*, *feneſtræ ovali* labyrinthi inſiſtens, & duæ partes laterales, internam ſuperficiem ſulcatam habentes.

Quartum oſsiculum exiguam habet craſsitiem, eſtque ab altero latere leniter concavum, ab altero convexum; illud verticem *ſtapedis* excipit, hoc à proceſſu *incudis* excipitur. Hoc oſsiculum á multis pro quarto *auris* oſsiculo enumeratum, *&* *os orbiculare* appellatum; ab aliquibus aſſeritur non eſſe ab aliis diſtinctum, ſed eſſe *epiphyſim* cruris longioris *incudis*.

Int. Quomodò connectuntur hæc oſsicula.

R. Mallei manubrium, *membranæ tympani* adhæret; capitulum vero ejus per ginglymum *corpori incudis* ar-

articulatur: atque hujus crus longius cum capite *ſtapedis* per *arthrodiam*, ſed *ſtapes* baſi ſua feneſtræ ovali ope membranæ inhęret.

Int. Hæc oſsicula obducuntur à *perioſtio*, ut reliqua oſſa?

R. Quod ſic, nam *Ruyſchius* non ſolùm eorum demonſtrat perioſtium, verùm etiam hujus vaſa ſanguifera, illaque præcipuè in breviori pede *incudis* abundantia.

Int. Qui muſculi reperiuntur in cavitate *tympani*?

R. Tres, duo movent *malleum*, & unus *ſtapedem*. Muſculorum mallei alius dicitur *externus*, & alius *internus*. Muſculus externus ſitus eſt ad parietem meatus, qui ab aure ad palatum tendit: inſeritur in mallei proceſſum, qui exteriora reſpicit; trahitque manubrium extrorsùm ad relaxandam tympani membranam. Mallei muſculus internus à pariete interiori exortus in mallei cervicem, & poſteriorem manubrii partem terminatur. Adducit malleum versùs interiora pro tenſione membranæ tympani.

Muſculus ſtapedis ex imò cavitatis fundo emergens verticem ſtapedis amplectitur. Videtur juvare muſculum internum mallei, dum trahendo ſtapedem introrsùm, movet etiam incudem illi annexam, cui malleus inarticulatur.

Int. Quæ foramina reperiuntur in cavitate *tympani*?

R. In hac cavitate plura foramina apparent: primum cui *ſtapes* inſiſtit *feneſtra ovalis* dicitur, alterumque, huic vicinum, *feneſtra rotunda* appellatur. Hoc ad *cochleam*; illud, ad *veſtibulum* ducit. Tertium foramen per canalem ad *os* deſinit, qui *ductus*, ſive *tuba Euſtachii* audit: iſte ductus partim oſſeus, partim membranaceus, partim cartilaginoſus eſt, *auri* que cum *ore* communicationem præbet. Ita ut nonnulli fumum tabaci, ore attractum, per aures emittere, & ſurdi ore aperto, meliùs audire poſſunt: quartum vero in *cellulas proceſſus maſtoidei* hiat.

Int. Quomodò vocatur interna pars auris?

R.

R. Labyrinthus dicitur, ob varios mirabiles meatus in ea repertos.

Int. Quæ notanda in *labyrintho*?

R. Notanda cavitas, medium *labyrinthi* conſtituens; *veſtibulum* nominata cujus introitum *feneſtra ovalis* conſtituit.

Canales tres ſemicirculares : *maximus*, *medius*, & *minimus* quinque orificiis inveſtibulum hiantes.

Chochlea, quæ eſt pars, canalibus his oppoſita cochleæ ſimilis; ſpiras duas cum dimidia perficiens: in qua *nucleus*, & *canalis*, *à lamina ſpirali* in duos diviſus; quorum ſuperior, in veſtibulum hians, *ſcala veſtibuli* vocatur; inferior, per feneſtram rotundam in cavum tympani deſinens, *ſcala tympani* dicitur.

Membrana ſubtiliſsima, per omnia labyrinthi cava diſtributa, ab expanſione nervi auditorii orta, primaria auditus organi pars, ſicuti *retina* in oculo.

Canalis nervi auditorii. I. *Communis*, amplior, in quo foraminula ad labyrinthum. II. *Proprius*, anguſtior, at longior, *Aquæductus fallopii* dictus, deſinens partim in cranii cavum, partim inter *apophyſim* ſtyloideam, & maſtoideam.

Nervi. I. A pari auditorio, quod duplici conſtat ramo, molli, & duro. Mollis per labyrinthum diſtribuitur: durus verò impertit ramulos *duræ matri*, tympano, & auri externæ. II. A tertio pari vertebralium colli, pro aure externa.

Arteriæ, à *carothidibus*, externis, & internis. *Venæ* partim ad *jugulares*, partim ad *ſinus* duræ matris abeunt.

Int. Quis eſt uſus partium organum auditus conſtituentium?

R. Uſus auriculæ eſt ſonum diſperſum aliquomodò congregare, ut hic validior abundantiorque pertingat ad auris interiora. *Membrana Tympani* meatum externum ab interno ſeparans, impedit quominùs interiora auditus organa ab externo, ac frigido aere lædatur. Inſuper quatenus modò magis, modò minùs

tenditur, etiam aerem congenitum movet validiùs remiſsiuſve, qui conformiter afficit quoque nervorum filamenta.

Quatuor oſsicula cum ſuis muſculis ad dictam membranæ tenſionem omninò conſpirant. Cavernulæ oſſium partim confectæ ſunt pro aeris modificatione; partim ut aer qui dicitur congenitus, pro diverſa tympani tenſione hùc, & illùc cedere queat.

CAP. SEPTUAGESIMUM QUARTUM.

DE ORGANO TACTUS.

Int. Poſſunt ne omnes ſenſus revocari ad tactum?
R. Supponit Carteſius tres dari gradus ſenſus, quorum *primus* merè mechanicus eſt: *ſecundus* vero, & *tertius* ſpectant ad mentem. Secundus *eſt perceptio illius motus organi, ab objecto externo impreſſus.* Tertius *eſt judicium circa illam perceptionem*: conſequenterque affirmat omnes ſenſus quoad primum gradum revocari poſſe ad ſenſum tactus: quia nervi ſunt iidem, eandemque habent compoſitionem, qui tactui, & qui aliis inſerviunt ſenſibus.

Int. Quæ partes conſtituunt organum ſenſus tactus?

R. Papillæ cutaneæ, quæ ſunt extremitates nervorum cutis villoſæ, in ſuperficie ejus ubique, maximè tamen in *volis manuum*, *plantis pedum*, ac potiſsimum in *apicibus digitorum*, ubi ſenſus tactus eſt acutiſsimus, elevatæ, & cuticulę tectæ. Harum ab objectis commotione, ſenſus tactus in nobis excitatur, & qualitates tactiles, *aſperum*, *leve*, *humidum*, *ſiccum*, *calidum*, *frigidum*, *durum*, & *molle*, *&c.* nobis manifeſtantur.

LIBER

LIBER SECUNDUS, DE SECUNDA PARTE MEDICINÆ, SEU DE PATHOLOGIA.

CAPUT PRIMUM.

DE MORBO.

Int. Quid eſt *Pathologia*?

R. Eſt illa, quæ agit de omnibus quæ accidunt in homine præter naturam.

Int. Quotuplex eſt *Pathologia*?

R. Duplex, *generalis*, quę nuper jam in eſſentia Pathologię ſancita eſt, viamque ad ſpecialem morborum conſiderationem ſternit. *Specialis*, quę morbos omnes, & ſingulos, eorumdem per cauſas, ac varia, tam ordinaria, & conſtantia, quàm extraordinaria ſigna, ſubjectum, indolem, durationem, & exitum tractat.

Int. Quot ſunt res *præternaturales*?

R. Tres, ſcilicet, *morbus*, ejus *cauſa*, & *ſympthoma*.

Int. Quid eſt *morbus*?

R. Affectus præter naturam primò, & per ſe ſenſibiliter lædens operationes.

Int. Quotuplex *morbus* conſiderandus venit?

R. Dupliciter, ſcilicet, vel *fundamentalitèr*, ſeu *materialitèr* ſumptus, vel *formalitèr*.

Int. Quid eſt morbus materialitèr *ſumptus*?

R. Eſt omne illud, quod in corpore præternaturalitèr exiſtens, actionis læſæ immediatè cauſa eſt.

Int. Quid eſt morbus formaliter ſumptus?

R. Eſt diſpoſitio præternaturalis, è morbo materialiter ſumpto reſultans, lædens operationes primò, & per ſe.

Int. Quot ſunt differentię morbi formaliter *ſumpti*?

R. Hæ dupliciter ſunt, aliæ *eſſentiales*, ab ipſa morbi eſſentia; & alię accidentales, à diverſis earum proprietatibus, & circunſtantiis deſumptę.

Int. Morbus *materialiter* ſumptus, ſeu ratione ſubjecti *quotuplex eſt*?

R. Triplex, *ſimilaris*, *organicus*, & *communis*.

Int. Quare morbus materialiter ſumptus ſolummodò eſt *triplex*?

R. Quia partes, quas morbus malè poteſt diſponere, vel ſunt *organicæ*, & ut tales ſpectantur; vel conſiderantur tantùm tamquam *ſimilares*, quatenus talem habent intemperiem, & ſubſtantiæ modum; vel quatenus expoſtulant unionem.

Int. Quid eſt morbus *ſimilaris*?

R. Eſt intemperies, ſeu non debita qualitatum proportio.

Int. Quotuplex eſt *intemperies*?

R. Duplex, *ſubſtantifica*, & *qualitativa*.

Int. Quid eſt intemperies ſubſtantifica?

R. Eſt exceſſus unius, vel alterius partis elementi, ita ut inde actiones lædantur. Hæc totuplex eſſe poteſt, quot ſunt combinationes elementorum *Ariſtotelicè*, *Chymicè*, vel *Mechanicè* explicatæ.

Int. Quid eſt intemperies *qualitativa*?

R. Eſt qualitas elementaris vitioſa actiones lędens.

Int. Quotuplex adhuc eſt *intemperies*?

R. Duplex, *ſimplex*, & *compoſita*.

Int. Quid eſt intemperies *ſimplex*?

R. Eſt illa, in qua una excedit qualitas, vel elementum, plus, quàm requiritur ad conſtitutionem partis.

Int.

Int. Quotuplex eſt?

R. Hæc totuplex eſt, quotuplices ſunt qualitates elementares, vel elementa, quæ varias producunt intemperies, v.g. *ſalſas, acidas, auſteras, amaras, calidas, frigidas, humidas, ſiccas, igneas, terreas, aqueas, &c.*

Int. Quid eſt intemperies *compoſita?*

R. Eſt illa, in qua plura elementa, aut qualitates ſunt vitiatæ. Compoſita totuplex eſſe poteſt, quot poſſunt, vel plura elemenra, vel qualitates excedere, ita ut actiones lædant: v. g. quando excedunt contra naturalem conſtitutionem, *calor,* & *ſiccitas*; *ſalſedo,* & *amarities*; *frigiditas,* & *humiditas*; *aciditas,* & *auſteritas, &c.*

Int. Quotuplex adhuc eſt morbus partis *ſimilaris?*

R. Duplex eſt, ſcilicet, cum materia, & ſine materia: Cum materia, tum datur, quando à materia quadam pręter naturam, in corpore collecta, inducta eſt, aut fovetur: ſine materia, quando nulla adeſt materia adjuncta, à quà foveatur intemperies.

Int. Rurſus quotuplex eſt *intemperies?*

R. Intemperies adhuc eſſe poteſt multiplex, videlicet, vel *in habitu*, vel *in habitudine*, & facilè delebilis, vel *æqualiter*, vel *inæqualiter* partes afficiens, vel *manifeſta*, vel *occulta.*

Int. Quę intemperies venit magis conſideranda, an *ſubſtantifica*, an *qualitativa?*

R. Subſtantifica primariò, cùm elementa actu inexiſtant, & ipſamet agant unà cum ſuis qualitatibus: ſecundariò verò qualitativa, ut connata, & hoc, vel illud elementum peccans, nobis indicans.

CAPUT SECUNDUM.

DE MORBO ORGANICO.

Int. QUid eſt morbus *organicus?*

Reſp. Eſt mala organizatio partium noſtri corporis, lædens ſenſibiliter actiones, primò, & per ſe.

Int.

Int. Quotuplex eſt morbus organicus?

R. Quadruplex, in *formatione*, *numero*, *magnitudine*, & *compoſitione*.

Int. Quotuplex eſt morbus *in formatione*?

R. Triplex, in *figura*, *cavitate*, vel *meatu*; & *ſuperficie*.

Int. Quid eſt morbus in *figura*?

R. *Eſt figura vitiata, actiones primò, & per ſe lædens*: quo etiam ſpectat *atonia* partium, hoc eſt, deficiens tenſio, & robur ex fibrarum flacciditate, & mollitie.

Int. Quotuplex eſt morbus in *figura*?

R. Quadruplex eſt, I. *Innatus*, quandq intra uterum obvenit vitiata figura alicui parti. II. *Adquiſitus*, quando accidit extra uterum. III. *Externus*, quando adeſt vitiata figura externa. Et IV. *Internus*, quando interna.

Int. Quid eſt morbus in *cavitate*, ſeu *meatu*?

R. *Eſt vitiata naturalis partis cavitas, vel plus æquò dilatata*, quò etiam ſpectat, *anaſtomoſis*, ſeu vaſorum apertio, & dilatatio, *Diapedyſis*, ſeu humorum tranſudatio; vel *Diarrhoſis*, ſeu vaſorum eroſio; vel *rixis*, ſeu eorum ruptio, vel inciſio à cauſa violenta: vel plus æquò *coanguſtata*, quò ſpectat vaſorum *obſtructio*, *conſtipatio*, *compreſsio*, *coaleſcentia*, *ſubſidentia*, & *conſtrictio*.

Int. Quid eſt *obſtructio*, ſeu meatus *anguſtia*?

R. *Eſt liberi tranſitus impeditio*.

Int. A quà cauſa *fit*?

R. Fit ab humore, vel alia re craſſa in cavitate hærente.

Int. A quà cauſa fit *conſtipatio*?

R. A corpore duro cavitatem implente.

Int. Quid eſt *coaleſcentia*?

R. *Eſt unio laterum partis cavę*.

Int. Quid eſt *ſubſidentia*?

R. *Eſt mutuus collapſus parietum partis cavæ*.

Int. Quid eſt *conſtrictio*?

R.

R. Eſt laterum ad ſe invicem approximatio.

Int. A quà cauſa *fit?*

R. Ab adſtringentibus, vel exſiccantibus, vel ab impetuoſo ſpirituum animalium motu.

Int. Quid eſt morbus in *ſuperficie?*

R. Eſt vitiata partis ſuperficies.

Int. Quotuplex *eſt?*

R. Duplex, in aſperitate, & levitate; ille, cum partes, quę naturaliter aſperę, aut rugoſæ eſſe debent, lævigantur; vel contra, leves, aſperiores redduntur.

Int. Quid eſt morbus in *numero?*

R. Eſt vitiatus numerus partium, quę requiruntur ad debitam conſtitutionem partis organicæ, vel totius.

Int. Quotuplex eſt morbus in *numero?*

R. Duplex, in numero *adaucto*, vel *diminuto.* In adaucto quando pars quædam additur, ad integritatem non neceſſaria.

Int. Quotuplex eſt morbus in numero *adaucto?*

R. Duplex, vel numerus excedens eſt earum partium, quæ ſunt ſecundùm naturam, ut ſextus digitus; vel toto genere præter naturam, ut lumbrici in inteſtinis, &c.

Int. Quid eſt morbus in numero *diminuto?*

R. Eſt defectus alicujus partis, quæ naturaliter deſideratur ad conſtitutionem naturalem totius, ut defectus uvulæ, vel digiti, vel manus.

Int. Quid eſt morbus in *magnitudine?*

R. Eſt naturalis partis magnitudo vitiata.

Int. Quotuplex *eſt?*

R. Duplex, in *magnitudine adaucta*, & in *diminuta*: adaucta, dum magnitudine vitioſè augetur, vel in toto corpore, vel in parte aliqua, ita ut ſenſibiliter lædat actiones: hoc evenire poteſt, vel à primo ortu, uti eſt moles linguæ, locutionem impediens, vel ex vitio aſcititio, ut tophi, plerique tumores actiones lædentes.

Int. Quid eſt morbus in magnitudine *diminuta?*

R. Eſt vitiata magnitudo, vel totius, ut in atrophia

uni-

univerſali, &c. vel in parte, ut eſt atrophia particularis, v. g. lingua mutila, penis juxtò brevior, &c. Utraque morbi ſpecies rurſus, vel ab ipſo ortu, vel poſt ortum accidit.

Int. Quid eſt morbus in *compoſitione*?

R. *Eſt vitioſa partium connexio, vel ſitus, ſenſibiliter primò, & per ſe actiones lædens.*

Int. Quotuplex eſt morbus in *compoſitione*?

R. Duplex, *in ſitu*, vel *poſitu*; & *in connexo*, ſeu *vinculo*. Situs vitiatur, dum è debitâ ſede recedit pars. Morbus in ſitu rurſus totuplex eſt, quotuplex eſt loci differentia, nempè, antrorſum, retrorſum, introrſum, & extrorſum. Connexio vitiatur, quando partes, quæ debent eſſe unitæ, ſeparantur; vel è contra.

Int. Quid eſt morbus *communis*?

R. *Eſt vitiata partium corporis unio, ſenſibiliter lædens operationes.*

Ina. Cur dicitur *communis*?

R. Quia competit tàm partibus ſimilaribus, quàm diſsimilaribus: omnes hę partes ad ſuam naturalem conſtitutionem petunt unionem.

Int. Quotuplex eſt morbus in *ſolutâ unitate*?

R. Sextuplex, ſcilicet, *vulnus*, *ulcus*, *contuſio*, *ruptura*, *fractura*, *fiſſura*, & *caries*.

Int. Quid eſt *vulnus*?

R. *Eſt recens ſolutio continui, in parte molli, ab externâ cauſâ.*

Int. Quid eſt *ulcus*?

R. *Eſt ſoluta unio in partibus mollibus, cum deperditione ſubſtantiæ, ab interna cauſa.*

Int. Quid eſt *contuſio*?

R. *Eſt unitas læſa in partibus mollibus, ſine deperditione ſubſtantiæ, cutiſque læſione, ſed cute plerumque integrâ manente.*

Int. Quid eſt *ruptura*?

R. *Eſt unitas ſoluta in partibus mollibus dilaceratis.*

Int. Quid eſt *fractura*?

R. Eſt continui ſolutio in partibus duris, oſſeis, & cartilaginoſis, ſine deperditione ſubſtantię.

Int. Quid eſt *caries*?

R. Eſt unio læſa in partibus duris, cum deperditione ſubſtantię.

CAPUT TERTIUM.

DE SUBJECTO MORBORUM.

Int. Quid eſt ſubjectum *morbi*?

R. Eſt quod varios inſultus prĉternaturales rariùs, aut frequentiùs patitur.

Int. Quotuplex eſt ſubjectum *morbi*?

R. Duplex, aliud *generale*, & aliud *ſpeciale*.

Int. Quid eſt ſubjectum *generale*?

R. Eſt homo vivus, reſpectu mixtionis, & ſtructuræ ad morbos quidem admodùm diſpoſitus.

Int. Quid eſt ſubjectum *ſpeciale*?

R. Eſt ipſe homo, qui præter generalem diſpoſitionem, propter alias cauſas, tàm intrinſecas, quàm extrinſecas, faciliùs morbis corripitur. Tale ſubjectum conſtituunt homines, præ brutis, quæ ad tot diætæ errores non ſunt proclivia: fœminæ præ viris, propter menſes, graviditatem, partum, lochia, lactationem, & majorem ad affectus graviores propenſionem. Otioſi, vitæ ſedentariæ dediti, & appetitui nihilominùs indulgentes.

Ad animi graviores affectus, iram, metum, triſtitiam, &c. proni: meditationibus profundioribus dediti, uti litterati. In diæta eligenda, nimis ſcrupuloſi, & molliter educati: Intemperantes, cibis diverſis, & adverſis ventriculum onerantes: ſenſibilitate eximià præditi: ad morbos hæreditarios diſpoſiti: & evacuationes aſſuetas, tam ſpontaneas, ſive naturales, quàm artificiales negligentes.

CAPUT

CAPUT QUARTUM.

DE DIFFERENTIIS MORBORUM accidentalibus.

Int. QUæ ſunt accidentales morborum *differentiæ?*
R. Sunt illæ, quæ non genera, & ſpecies, ſed nonnullas tantùm proprietates, & circunſtantias conſtituunt.

Int. A quibus ſumuntur differentiæ morborum *accidentalium?*

R. Sumuntur à *magnitudine*, à *motu*, à *more*, ab *eventu*, à *cauſis materialibus*, ſeu *ſubjecto*, vel efficientibus, ſeu *humoribus*, & *ſpiritibus*, ab *origine*, à *tempore anni*, à *loco*, à *periodo*, ab *ætate*, & *temperamento*, ab *habitudine*, & à *ſympthomatibus*.

Int. Quæ differentiæ morborum ſumuntur à *magnitudine?*

R. Duæ, *magnus*, ſcilicet, & *parvus*.

Int. Quid eſt morbus magnus?

R. Eſt qui magna vi corpus afficit, actiones principales inſigniter lædit, gravibus ſtipatur ſympthomatibus, & à cauſa graviori oritur, & hinc interitum minatur.

Int. Quotupliciter fit morbus *magnus?*

R. Sextupliciter: I. Ratione *partis affectę principis*, ut ſi affectum ſit cerebrum, aut cor. II. Ratione *præſtantię partis*, ut quando ventriculus, pulmo, &c. afficiuntur. III. Ratione cauſarum vehementium, ſcilicet malignarum, vel violentarum. IV. Ratione ſympthomatum atrocium, ut delirii, convulſionum, &c. V. Ratione *propriæ eſſentiæ*, v. g. Appoplexia, &c. VI. Reſpectu virium, ut eſt febris tertiana in ſene, vel debili.

Int. Quid eſt morbus *parvus?*

R. Eſt qui nullum periculum portendit, ſed propter levitatem facilè cedit, ut febris ephemera.

Int.

Int. Quæ differentiæ morborum ſumuntur à *motu*, & *duratione*?

R. Duæ, *longus*, ſeu *chronicus*, & *brevis.*

Int. Quid eſt morbus *chronicus*?

R. Eſt ille, qui ultra quadraginta dies extenditur.

Int. Quid eſt morbus *brevis*?

R. Eſt, qui citò terminatur.

Int. Quotuplex eſt morbus *brevis*?

R. Duplex eſt, unus qui vacat periculo, ut febris ephemera: & alter, qui periculo non vacat, & *acutus* vocatur.

Int. Quid eſt morbus *acutus*?

R. Eſt qui celeriter percurrit ſua tempora cum vehementia ſympthomatum.

Int. Quotuplex eſt morbus *acutus*?

R. Quadruplex, *acutus ſimpliciter*, *peracutus*, *exactè peracutus*, & *acutus ex decidentia.*

Int. Quid eſt morbus *ſimpliciter acutus*?

R. Eſt ille, qui decimo quarto die terminatur; *per acutus*, ſeptimo; *exactè peracutus*, quartò, aut citiùs; & *acutus ex decidentia*, quadrageſimo abſolvitur die.

Int. Quæ differentiæ ſumuntur à *more*?

R. Duæ, *benignus*, ſcilicet, vel *malignus.*

Int. Quid eſt morbus *benignus*?

R. Eſt qui ordinarias, facilèque ſuperabiles cauſas agnoſcit.

Int. Quid eſt morbus *malignus*?

R. Eſt qui licet apparenter non adeò malus videatur, vitæ tamen periculum minatur, vel repentina ſympthomatum truculentia, vel ſubitanea virium, vel vitalium, aut animalium, vel utrarumque, ſine cauſa manifeſta proſtratione.

Int. Quotuplex eſt morbus *malignus*?

R. Triplex, *venenatus*, *peſtilens*, & *contagioſus.*

Int. Quid eſt morbus *venenatus*?

R. Eſt qui vitæ penitùs adverſatur.

Int. Quid eſt morbus *peſtilens*?

R. Eſt qui deleteriam habens vim, populariter graſſatur, & pleroſque jugulat.

Int.

Int. Quid eſt morbus *contagioſus*?

R. Eſt qui alios eodem prorsùs modo afficit, quodam miaſmate à corpore ægri, in aliud diſpoſitum translato.

Int. Quid eſt *contagium*?

R. Eſt inquinamentum, ſeu effluvium quoddam, ex corpore ægro emiſſum, quo morbus ex uno corpore, in aliud transferri poteſt.

Int. Quotuplex eſt *contagium*?

R. Duplex, vel *immediatum*, ſeu per contactum corporalem, in communicatione materiæ craſsioris conſiſtens; vel *mediatum*, ſeu per contactum virtualem, per corpuſcula vitioſa, aeri, alio fomiti inhærentia, accidens: in hoc primario, influus inquinatur ſpiritus; in illo autem inſitus.

Int. Quę conditiones requiruntur ad *contagium*?

R. Tres: I. *Agens*, ſeu *corpus contagioſum*, quod malum communicat corpori diſpoſito.

II. *Affectio*, ſeu *malum*, quod communicat, ſcilicet, *corpuſcula*, ſeu *miaſmata venenoſa*.

III. Patiens, ſeu corpus, cui ut diſpoſito malum communicatur.

Int. In quo conſiſtere videtur malignitas?

R. In materia quadam vitioſa, plus minus ſpiritibus turgida, nunc ab extra communicata, nunc in corpore genita, & à quacumque cauſa occaſionali excitata, quæ ſi acida ſit, ſuccos, & liquores circulantes, ad varias ſtagnationes diſponit; ſi vero acris, iidem potius præternaturaliter diſſolvuntur.

Int. Quot, & quæ morborum vulgò occultorum ſunt cauſę?

R. Duplices: I. Internæ, quæ tres ſunt, ſcilicet, *ſpiritus*, *humores*, & *vapores venenati*; nam iſti poſſunt venenari, vel per communicationem materię, nunc per ſe venenatæ, nunc per corruptionem, talis redditæ: v. g. ob pravam victus rationem, in annonę penuria, vel per peregrina quædam *corpuſcula*, nunc acerrima, & quaſi corroſiva, totam maſſæ ſanguinis naturam totaliter invertentia, ejuſque conſiſtentiam peni-

tùs

tùs diſſolventia; nunc *acida*, eadem hinc inde coagulantia, vigoremque vitalem, hinc impulſum unicè requiſitum penitùs extinguentia.

Secundò, externæ: quæ etiam tres ſunt, *aer*, ſcilicet, *contagium*, & *venena*. I. Aer tripliciter poteſt venenari, dum vel ſalubribus non difflatur ventis, aut nullis; vel corruptæ exhalationes, è locis, aut ſubjectis corruptis elevatæ, ei communicantur; vel quod rariſsimum eſt, à malignis ſyderum influxibus inficitur. II. *Contagium*, miaſmate maligno à corpore ægri, in corpus ſanum lato, inficit. III. *Venena*, nunc applicantur, nunc aſſumuntur, nunc per morſum, mediante ſalivà, tunc vitioſa, inflinguntur.

Int. Quid eſt mos *morbi*?

R. Eſt conditio morbo ſuperveniens, ratione ſympthomatum ei communium, vel non communium.

Int. Quæ differentię morborum ſumuntur ab *eventu*?

R. Morbus ratione *eventus*, vel eſt *ſalutaris*, vel *læthalis*.

Int. Quid eſt morbus *ſalutaris*?

R. Eſt ille, qui ſignis ſalutaribus, & ſecuriſsimis eſt firmatus, ſed ſæpiùs ab aliis gravioribus morbis præſervat, veluti Diarrheæ ſpontaneę, hæmorragiæ narium, &c. Læthalis verò morbus contrario modo ſe habet.

Int. Quæ differentię morborum ſumuntur à *cauſa*?

R. Duæ ſcilicet, *immaterialis*, & *materialis*.

Int. Quid eſt morbus *immaterialis*?

R. Eſt ille, qui nulla ſæpiùs præſente causà materiali, à ſolis animi affectibus gravioribus, humores nimium commoventibus, originem trahit.

Int. Quid eſt morbus *materialis*?

R. Eſt ille, qui à manifeſta cauſa materiali oritur.

Int. Quotuplex adhùc eſt morbus?

R. Duplex, ſcilicet, *per eſſentiam*, ſeu *idiopathiam*, & per *conſenſum*, ſeu *ſympatiam*.

Int. Quid eſt morbus *Idiopathicus*?

R. Eſt ille, in quo cauſa morbifica in ipſo loco affecto hæret.

Int. Quis eſt morbus *ſympathicus*?

R. Eſt ille, qui per conſenſum aliarum partium affectarum, oritur, ut dolor capitis à ventriculi debilitate ortus, vomitus nephriticorum, &c.

Int. Quotuplex eſt morbus *ſympathicus*?

R. Duplex, *privativus*, & *poſitivus*.

Int. Quis eſt morbus ſympathicus *privativus*?

R. Eſt ille, in quo nulla exiſtente partis læſione, ejus actio eſt læſa, propter defectum influxus. Ut in gutta ſerena, in qua viſio non fit, quia ſpiritus animales non influunt, ob nervorum opticorum obſtructionem, & in oculo non adeſt vitium aliquod.

Int. Quis eſt morbus ſympathicus *poſitivus*?

R. Eſt ille, in quo aliquid parti ab altera communicatur : hoc evenire poteſt, vel ob *vicinitatem*; vel *generis ſocietatem*, vel *officii communionem*; vel *ſitum*; vel *connexionem*. Iſte morbus *ſympathicus*, *idiopathicus* eſt factus, ideò dicitur *Protopathicus*.

Int. Quotuplex eſt morbus *materialis*?

R. Duplex, alius *legitimus*, & alius *nothus*.

Int. Quid eſt morbus *legitimus*?

R. Eſt ille, qui ab humore ſimplici producitur : *nothus* verò *eſt ille, qui à mixtis humoribus exortus eſt*.

Int. Quæ differentiæ morborum ſumuntur *ab origine*?

R. Tres, *Hæreditarii*, *Aſcititii*, & *Congeniti*.

Int. Quis eſt morbus *Hæreditarius*?

R. Eſt ille, qui à parentibus in liberos propagatur. Aſcititius eſt, qui à cauſis, tàm internis, quàm externis originem trahit. Congenitus verò eſt ille, qui à generatione accidit, licet parentes eo non laboraverint.

Int. Quæ differentiæ morborum ſumuntur à *tempore anni*?

R. Quatuor, ſcilicet, *vernales*, quales ſunt febres intermittentes quotidianæ, & tertianæ. *Æſtivi*, ut febres variæ, diarrheæ, &c. *Autumnales*, v.g. Dyſſenteriæ, quartanæ, &c. Denique *Hyemales*, uti ſunt tuſſes, pleuritides, &c.

Int.

Int. Quæ differentiæ morborum ſumuntur à *loco*, ſeu *regione*?

R. Tres, *Epidemici*, *Endemici*, & *Sporadici.*

Int. Quis eſt morbus *Epidemicus*?

R. Eſt ille, qui ex communi cauſa oritur, pluresque uno, & eodem tempore invadit.

Int. Quis eſt morbus *Endemicus*?

R. Eſt ille, qui ex communi cauſa ortus, certis populis eſt proprius, ut Scorbutus Danis, Plica, Polonis, &c.

Int. Quis eſt morbus *Sporadicus*?

R. Eſt ille, qui nec communitèr graſſatur, nec certis regionibus proprius eſt, ſed aliis morbis graſſantibus, hos, vel illos, ob particulares cauſas, corripit.

Int. Quæ differentiæ morborum ſumuntur à *periodo*?

R. Tres; *intermittens*, *continuus*, & *continens.*

Int. Quis eſt morbus *intermittens*?

R. Eſt ille, qui certis diei horis invadit, ac abſoluto paroxiſmo, prorſus intermittit; uti ſunt febres intermittentes tertianæ, quartanæ, quotidianæ, quorum paroxiſmi, vel ſunt fixi, vel vagi, & hinc etiam tales febres, vel ſunt conſtantes, vel *erraticæ.*

Int. Quis eſt morbus *continuus*?

R. Eſt ille, qui nullam intermiſsionem, ſenſibilem tamen remiſsionem habet, ac certis temporibus, iterùm exacerbatur: Quæ exacerbationes fixę, vel vagæ ſunt.

Int. Quis eſt morbus *continens*?

R. Eſt ille, qui intermiſsione, & remiſsione carens, continuò durat, uti Ephemera, & Synochus.

Int. Quæ differentiæ ſumuntur ab *ætate*, & *temperamento*?

R. Duæ; *congrui*, & *incongrui.*

Int. Quis eſt morbus *congruus*?

R. Eſt ille, qui ætati, & temperamento reſpondet. Incongruus verò eſt, qui ab hac regula deflectit.

Int. Quæ differentiæ ſumuntur ab *habitudine* ad curationem?

R. Duæ, ſcilicet, *curabiles*, & *incurabiles.*

Int. Quis eſt morbus *curabilis*?

R. Eſt ille, qui methodo ſpontanea, & artificiali reſtituitur. Incurabilis verò eſt ille, qui nullam medellam admittit.

Int. Quæ differentiæ morborum ſumuntur à *ſympthomatibus?*

R. Duo enim ſunt: vel complicati, ſeu compoſiti (quos alii adhuc morbi comitantur, & hinc ob concurſum variorum ſympthomatum, cognitu, & curatu difficiles ſunt, ut hæctica cum febre putrida conjuncta, &c.) vel *ſimplices*, qui ordinariis tantùm ſtipati ſunt ſympthomatibus, v.g. febris tertiana, quartana, &c.

Int. Quid ſunt *tempora morborum?*

R. Sunt menſuræ durationis mutationum, quæ superveniunt in morbo, viciſsitudine naturali. Vel *tempus morbi eſt illud ſpatium, in quo notabilis morbi obſervatur mutatio.*

Int. Quot ſunt *tempora morborum?*

R. Duplicia ſunt, ſcilicet, *univerſalia*, & *particularia.*

Int. Quid ſunt tempora morborum *univerſalia?*

R. Sunt illæ menſuræ mutationum, quæ totius morbi decurſum diſtinguunt.

Int. Quot ſunt tempora morborum *univerſalia?*

R. Quatuor, ſcilicet, *principium*, *augmentum*, *ſtatus*, ſeu *vigor*, & *declinatio.*

Int. Quid eſt *principium* univerſale *morborum?*

R. Eſt tempus illud, ubi morbus adhùc vicinus ſuæ generationi eſt, ſympthomataque remiſſa, & materiam morbificam crudam habet.

Int. Quid eſt *augmentum?*

R. Eſt tempus illud, ubi ſympthomata ingraveſcunt, & rudimenta coctionis apparent, vel contraria coctioni.

Int. Quid eſt *ſtatus?*

R. Eſt tempus illud, ubi omnia vehementiſsima ſunt ſympthomata, maximaque pugna inter naturam, & morbum adeſt, & ſigna coctionis apparent, cauſa morbifica per fermentationem ſeparata, fœcum vini inſtàr, præcipitata. Vel repugnantia; ut in morbo læthali.

Int.

Int. Quid eſt *declinatio*?

R. Eſt tempus illud, in quó morbus manifeſtè, & rationabilitèr remittitur, ac ad ſanitatem tendit. Hæc omnia, ſi morbi læthales ſint, contrario modo ſe habent: ſic in *principio*, nulla prorſus ſunt ſigna coctionis: in *augmento*, minùs: in *ſtatu*, minimè: ad declinationem rarò, aut numquàm pertingunt.

Int. Quot ſunt tempora *particularia*?

R. Tempora particularia, quæ paroxiſmi decurſum diſtinguunt, ſunt ſextuplicia.

I. *Principium*, in quò *horror*, *rigor*, *frigus*, & *horripilatio*.

II. *Inæqualitas*, dum calor, & frigus inæqualitèr percipiuntur.

III. *Augmentum*, dùm paroxiſmus ſuum accendit vigorem, calore magis, magiſque accreſcente.

IV. *Status*, ſeu *ſummus vigor*, in quo acceſsio intenſiſsimo conſiſtit vigore.

V. *Declinatio*, dum ille quoad ſympthomata, in ſtatu præſentia, decreſcunt.

VI. *Tempus apyrexiæ*, dùm omnia penitùs remittuntur, cauſa nimirùm morbifica, priùs turgeſcente, ita ſuperata, ut æger ab acceſsione ſit immunis.

Int. Tempora morborum univerſalia, & particularia quibuſnam conveniunt *morbis*?

R. Illa omnibus ſunt communia, potiſsimùm *acutis*: hæc *intermittentibus* tantùm; hi enim præter univerſalia tempora, agnoſcunt particularia, reſpectu cujuſlibet paroxiſmi.

Int. Poteſt quis periclitari in *declinatione univerſali*?

R. In declinatione univerſali nemo facilè moritur, ſaltèm ab eo morbo, cujus illa eſt declinatio; quia devicta eſt tunc morbi cauſa: poteſt tamen in illa adhuc periclitari ex alio morbo conjuncto, vel ſuperveniente, vel ex defectu requiſitorum ad vitam, ut in ſenibus.

Int. Unde dependet temporum dictorum *morbi mutatio*?

R. Oritur tàm à natura, & indole ipſius ſanguinis, quàm etiam à majori, & minori pugna ſpirituum, prout nempè ſanguis citiùs, vel tardiùs fermentat, vel ſpirituus nimis expanduntur, vel præmuntur.

Int. Quid eſt *Paroxiſmus?*

R. Eſt ille morbi motus, qui à remiſsione, vel intermiſsione ad deteriùs tendit.

Int. Quid eſt *Periodus*, ſeu *circuitus?*

R. Eſt intenſio, vel remiſsio morbi ordinata, ſtatis temporibus, ut ejus natura petit rediens: Sic quotidiana febris ſervat ſuum periodum, quotidie redeuntem: Tertiana, die alterna, ſeu tertia, &c.

Int. Quid eſt *Typus?*

R. Eſt ordo intenſionis, & remiſsionis, tantum durantis, quantum morbus requirit; hoc eſt, quandò intermiſsio, & remiſsio ſibi invicem ſuccedunt.

Int. Quid eſt *Recidiva?*

R. Eſt ejuſdem morbi redditus poſt breve tempus?

Int. Percurrit nè quislibet paroxiſmus ſua tempora ſex?

R. Non, ſed tantùm verus paroxiſmus, febribus intermittentibus communis; reliquæ enim exacerbationes in continuis, non omnia ſemper obtinent particularia tempora: v. g. frigus, tempus inæqualitatis, & apyrexiæ.

Int. Morbi læthales ad debitam pervenire poſſunt *declinationem?*

R. Non; ſed ad infidam, & perniciosam, quæ ex *Galeno*, eſt illa in qua, morbus hominem vehementèr invadit, & ſubitò quieſcit, nulla per ſudorem, vomitum, alvi excretionem, vel fluxum ſanguinis, evacuatione prævia, nulloque coctionis ſigno apparente.

Int. Cur Medicus conſiderat morborum *tempora?*

R. Ut remedia ritè, & debito tempore applicentur: ut morbi ſtatus, & eventus poſsit prædici: Et ut debita victus ratio cuilibet morbi tempori præſcribatur.

Int. Quid obſervandum venit *circa morbos?*

R. Plura Medicus reſpicere debet: I. Niſi Medicus

exac-

exactè ad morborum tempora reſpiciat, facilè per remedia, incongruo tempore data, morbum pervertit.

II. Quo magis regularitèr morbi tempora obſervat, eò faciliùs etiam à *Natura*, & *Arte* ſuperantur; & contrà.

III. Quo citiùs morbi ſua tempora abſolvunt, eò graviùs ſubeſt periculum.

IV. Morbi horis matutinis affligentes, citiùs, ut plurimum ſolvuntur, quàm pro meridiani, niſi hi maligni fuerint.

V. In incremento, & ſtatu morborum, nihil temerè eſt movendum, quoniam motus hujus temporis ſunt graviſsimi.

VI. Morbi acuti, vel ſibi relicti, vel temperantibus tantum tractati, longè certiùs ſtatas periodos, & dies criticos obſervant, quam qui variis medicamentis, præſertim manifeſtiùs operantibus tractantur.

VII. Nulla re certiùs typus morbi, & ordo prævertitur, quàm imperita, & injuſta medicamentorum exhibitione.

CAPUT QUINTUM.

DE CAUSIS MORBORUM IN GENERE.

Int. Quid eſt *cauſa morbi*?

R. Hic notandum venit, quod omittimus diviſionem cauſę morbi in efficientem, materialem, formalem, finalem, &c. quia apud Medicos, præcipuè de efficiente agitur, quæ eſt illa, *quæ quocumque modo, naturalem corporis conſtitutionem valet avertere.*

Int. Quotuplex eſt *cauſa morbi*?

R. Multiplex, ſcilicèt, vèl *per ſe*, vèl *peraccidens*, vèl *principalis*, vèl *adjuvans*, vèl *totalis*, vèl *partialis*, vèl *immediata*, vèl *mediata*, ſeù *remota*, vèl *communis*, vèl *particularis*, vèl *manifeſta*, vèl *occulta*, vèl *exter-*

na, vèl *interna*, vèl *procathartica*, vèl *antecedens*, vèl *conjuncta*, ſeù *continens.*

Int. Quid eſt cauſa *per ſe*?

R. Eſt quæ propriis viribus morbum producit, nullius alterius interventu. Per accidens verò è contrà.

Int. Quid eſt cauſa morbi *principalis*?

R. Eſt quæ primariò morbum facit: Adjuvans verò eſt, quæ ſola effectum non producit.

Int. Quid eſt cauſa morbi *totalis*?

R. Eſt quæ ſola in ſuo genere producit morbum: Partialis autem eſt quæ ſola non producit effectum.

Int. Quid eſt cauſa morbi *proxima*?

R. Eſt quæ proximè ſuum effectum attingit: Remota verò eſt, quæ mediante altero, effectum attingit.

Int. Quid eſt cauſa morbi *communis*?

R. Eſt quæ in pluribus morbum efficit: Particularis verò eſt quæ incertis tantùm ſubjectis morbum producit.

Int. Quid eſt cauſa morbi *manifeſta*?

R. Eſt quæ ſecluſo omni ſigno cognoſcitur: occulta verò eſt, quę è contra per certa ſigna eruitur.

Int. Quid eſt cauſa *externa*?

R. Eſt quæ ab extra adveniens, morbum producit: Interna, è contrà.

Int. Quid eſt cauſa *procathartica*?

R. Eſt quæ latentes in corpore cauſas excitat.

Int. Quid eſt cauſa *antecedens*?

R. Eſt diſpoſitio in corpore latens, quę morbum antecedit, & ex qua morbus mediatè ſequi ſolet.

Int. Quid eſt cauſa *conjuncta*?

R. Eſt quæ immediatè, & per ſe morbum producit, illique conjuncta eſt: Hæc eſt duplex, vel *ſimplicitèr talis*, & *eſt illa, quà poſita, ponitur morbus, ablatà autem non tollitur*; vèl *continens, & eſt illa, quà poſità ponitur morbus, & ablatà tollitur: illa eſt cauſa morbi quoad ſuum eſſe, hęc quoad eſſe exiſtentię.*

Int. Quotuplex eſt cauſa *externa*?

R. Duplex, *neceſſaria*, & *non neceſſaria.*

Int. Quid eſt cauſa *externa neceſſaria*?

R.

R. Eſt illa, quæ neceſſariò nos afficit, ut ſex res non naturales, ſic dictæ, quæ nec principia, nec cauſæ conſtitutivæ ſunt corporis noſtri, ſed neutro modo indifferentes ad ſanitatem, vel morbum ſunt; pro legitimo earum uſu, vel abuſu.

Int. Quomodò aer morbos producere valet?

R. Si peccat ſecundùm ſuam ſubſtantiam, dum cognatæ *aeris activitates* ſubvertuntur.

Int. Quot modis poteſt ſubverti aeris activitas?

R. Quadruplicitèr poteſt vitiari: I. à *particulis* ſulphureis nitroſis, terreſtribus, & craſsis, præternaturaliter communicatis, & ſic morbos calidos, frigidos, humidos, vel ſiccos producentibus.

II. *Ab impuris* facilè effervescentibus, & corruptis effluviis, v.g. ſubterraneis, paluſtribus, ſordidis, & fœtidis: aer ſic alteratus, morborum epidemicorum familiaris eſt auctor.

III. Ab *aſtris maleficis*, veneficis, & vehementibus conſtellationibus, *vulgò aſpectibus*, ſeu influxu dictis, quandoque aerem inficientibus, ſuis radiis ætherogeneis per atmoſphæram diffuſis.

IV. A *motu*, dum vel excedit, vel deficit: unde talis aer inſpiratus, ſuis particulis non debitè difflatis, ſanguinem non ritè diſſolvit, nec impellit, aut actuat: hinc tranſpiratio inſenſibilis vitiatur, & obſtructiones, variæque ſanguinis impuritates reſultant.

Int. Quomodò alimenta, & ſorbilia morbos excitant?

R. Si hæc mali ſint ſucci, vel difficilis coctionis, ſeù *diſpeptus*: ſi quantitate excedentia, vèl deficientia: ſi inſuavia, immunda, ſi multifaria ab uno, eodemque paſtu: ſi iterata, præſente cruditatis ſigno, vel citra conſuetudinem ſumpta, &c. Potus, ſi quantitate excedat: ſi ſubſtantiam variis impuritatibus obtineat infectam: ſi importunè, vel affatim hauriatur, &c.

Int. Quomodò *motus*, & *quies* morbos efficiunt?

R. Si excedant, aut deficiant, vèl importunè, vel quomodocumquè intempeſtivè inſtituantur. *Motus*

enim

enim immoderatus ſpiritus exhaurit, & diſsipat, coctiones impedit, venas, & vaſa ſæpè rumpit, &c. *Quies* verò nimia ſanguinis impedit ſpiritualeſcentiam, ac volatilizationem, inſenſibilem ttanſpirationem ſufflaminat, obſtructiones parit, & ad putredinalem diſpoſitionem, totum corpus diſponit.

Int. Quomodò *ſomnus*, & *vigilia* morborum ſunt cauſæ?

R. Si *ſomnus* in nimietate peccat, crudos humores cumulat, calorem habetat, ſpiritus animales obſcurat, & torpidos reddit. *Vigiliæ* immodicæ, ſpiritus in motu turbant, vires labefactant, coctiones impediunt, corpus exſiccant, bilem accendunt, &c.

Int. Quomodò *excreta*, & *retenta* morbos excitant?

R. Dùm vèl *utilia*, corporique neceſſaria, quæ nullo modo deberent excerni, excernuntur, aut ſaltèm intempeſtivè, aut immoderatè: Vèl *inutilia*, velut evacuanda retineantur, quæ ſanguinem reddunt impurum, acrem, craſſum, & fæculentum, qui in vaſis, præſertim capillaribus viſcerum reſtagnans, chronicos producit morbos.

Int. Quomodò *animi paſsiones* morbos cauſant?

R. Si excedant, variè ſuccos, & ſpiritus, & hinc actiones partium noſtri corporis vitiant: Si intempeſtivè accidant, coctiones ſuccorum noſtrorum inſignitèr turbant; ſicque cruditates, malorum omnium parentes gignunt.

Int. Quid eſt cauſa externa non neceſſaria?

R. Eſt illa, quę fortuitò, vel contingentèr nos afficit, ut æquitatio, vulnus, caſus, balneum, &c.

Int. Quotuplex eſt cauſa morbi interna?

R. Duplex, *immaterialis*, & *materialis*: *Immaterialis*, ut animi pathemata; ex quibus, alia ſanguinem, & ſpiritus fundunt, agitant, ad nimiam ebullitionem, & effervefcentiam cogunt, ut *ira*: alia ſpiritus diſsipant, ut nimium *gaudium*: alia ſpiritus, & ſanguinem figunt, & quaſi intus revocant, humores ſtagnantes reddunt, ad congelationem diſponunt, motumque co-

eorum retardant, idque, vel repentè, ut ſubitus *terror*, vel lentè, & tardè, ut *mœror*, & *triſtitia*.

Int. Quot modis poſſunt peccare ſpiritus?

R. Peccare poſſunt, vel in *defectu*, ut in *inedia*, poſt diuturnos labores, *hypercatharſes*, nimias hæmorrhagias, &c. Vel in qualitate, dum vel vitiosè, & à naturali conſtitutione deflectentes, generantur, ut in *ſcorbuto*, *affectione hypochondriaca*, *melancholia confirmata*, &c. Vel geniti, aliunde vitiantur, ut in *Peſte*, à miaſmate maligno, ab aſſumptis opiatis, venenis, &c. Vel in motu, dum nunc nimis torpidi, minuſque ſubtiles, ac volatiles, nunc nimis mobiles, & agiles, ut à quacumque causà turbentur, agitatique in impetuoſos, & exorbitantes erumpant motus, ut in deliriis, convulſionibus, &c.

Materiales verò cauſę ſunt *Pletora*, *cacochimia*, *calculi*, *flatus*, &c. de quibus ſingulis ſuo loco agemus.

Int. Reperitur inter Authores aliqua diſſentio, circa cauſas internas morborum?

R. Quod ſic, nam ſicut variæ omni ævo, extitere Medicorum ſectæ, ſic variæ morborum cauſæ excogitatæ ſunt; & quidem I. *Hippocrates* cauſas morborum poſuit *ſupernatantiam*, vel *defectum*.

II. *Hippocrates* cauſas morborum dixit *flatus*.

III. *Herophilus*, omne vitium eſſe in *humidis*.

IV. *Eraſyſtratus*, *in ſanguine*.

V. *Trallianus*, ad *ſtrictum*, & *laxum*.

VI. *Galenici* ad *intemperiem*, *malam compoſitionem*, & *ſolutam unitatem*.

VII. *Paracelſiſtę Deum*, *aſtra*, *naturam*, *ens mentale*, *venena*, cauſas morborum ſtatuunt.

VIII. *Chimici*, & *Hermetici*, *ſal*, *ſulphur*, & *Mercurium* ſtatuunt pro cauſis.

IX. *Helmontius*, *Archæum*, *excreta*, & *retenta*.

X. *Neoterici* quidam, *acidum*, & *AlKali*.

XI. *Franciſcus de Leboe Sylvius ſuccum Pancreaticum*, *bilioſum*, & *lympham*, ſeu *triumviratum*.

XII.

XII. Alii ad ſapores, & odores: alii alias cauſas morborum retulerunt.

Int. Quot ſunt cauſæ morbi calidi?

R. Quinque: I. *Motus*, ſpiritus, & humores agitando, & movendo.

II. *Putredo* partes calidiores à frigidioribus ſeparando, & deuniendo.

III. *Vicinia rei calidæ* partes calidas humorum exaltando.

IV. *Conſtipatio pororum cutis*, excrementa alituoſa, & fuliginoſa retinendo.

V. *Permixtio rei calidæ*: huc juxta RR. refertur *fermentatio præternaturalis*, ſeu turbatio mixtionis ſanguinis, oriunda ex vitiata craſsi, & proportione particularum minimarum, in primis ſalinarum, quæ niſi ab aliis ritè contemperentur, acriora reddita, violentiùs inter ſe concurrunt, & efferveſcunt.

Int. Quot ſunt cauſæ morbi *frigidi*?

R. Quatuor: I. *Propria vi refrigerantia*, ut aer frigidus, alimenta, & medicamenta frigida, &c.

II. *Calorem innatum ſuffocantia*, ut humorum craſsities, copia, & multitudo, &c.

III. Eumdem *calorem* diſsipantia, ut corporis, & animi motus nimii, aer valdè calidus, evacuationes nimiæ, &c.

IV. *Pabulum ipſi ſubtrahentia*, ut inedia, ligaturæ, &c.

Int. Quot ſunt cauſæ *morbi humidi*?

R. Ea omnia, quæ vel alterando humectant, vel tranſpirationem corporis impediunt.

Int. Quot ſunt cauſæ *morbi ſicci*?

R. Exſiccantia omnia, evacuationes excedentes, & vehemens corporis, & animi motus.

Int. A quibus cauſis fit *intemperies cum materia*?

R. Hæc oritur, vel à *fluxione*, vel à *congeſtione*, ſeu *collectione*.

Int. A qua cauſa fit *fluxio*?

R. Fluxio fit, vel ab humoribus, ſuomet impetu, ad

ad partem aliquam commotis, præſertim debiliorem, vel natura talem, quales ſunt partes laxæ, molles, raræ, aliæque ignobiles, vel tales, ob ſitum, connexionem, vel morboſam aliquam conſtitutionem, vel eò detruſis à parte mandante robuſtiori, vel humoribus ad partem aliquam concitatis, vel attractis per calorem, vel dolorem, quatenus (ſecundum RR.) fibris, vel filamentis irritatis, à ſe invicem divulſis, criſpatis, & quaſi laceratis, ſpiritus animales pleno agmine, eò confluunt, fibræ inflantur, humores impelluntur, circulatio eorum impeditur, ut tota vicinia intumeſcat.

Int. A qua cauſa fit *congeſtio*?

R. Congeſtio fit ob vitium partis ex vitioſo imbibito fermento, & tono ejus læſo, non ritè digerentis, vel excrementa non expellentis, vel ſucceſsivè materiam vitioſam recipientis.

CAPUT SEXTUM.

DE CAUSIS MORBORUM Organicorum.

Int. QUot ſunt cauſæ morbi in *formatione*, & in *figura*?

R. Plures ſunt, nam *figuræ* vitium contrahitur, vel in *utero* matris, ſeu ob debilitatem facultatis formatricis (ſecundùm AA.) vel ob delineamenta ovuli, in ſe modò exilia, & debilia, & modò vitiata (juxta RR.) ſeu vitium materiæ in quanto, vel quali, ſeu diſpoſitionem hæreditariam, cùm quis à parentibus malè figuratis oritur; vel ab anima, vi phantaſmatis à quodam objecto fortiùs impreſſo, ob ideas inde ſibi formatas, in ulteriori partium diductione deſtructa, turbata, aut omninò impedita, unde varia figuræ vitia reſultant.

Vel in ipſo partu, fœtu præpoſterè exeunte, vel diu-

diutiùs in exitu laborante, vel ab imperita obſtetrice malè detracto. Vel poſt partum, ex caſu, percuſsione, fractura, luxatione, mala repoſitione, &c. vel quia infantes molliores à nutricibus malè geſtentur; vel ex interno humorum affluxu, partis figuram deſtruente; vel ab *atonia*, ſeu languore partium.

Int. A quà cauſa oritur *atonia* partium?

R. Ut plurimum oritur ex nimis violenta partium extenſione, fibris nimis extenſis, & quaſi non nihil dilaceratis, vel ex defectu *ſpirituum animalium*, vel tandem ex nimia fibrillarum humectatione, qua fibrillæ flacidæ, & laxæ fiunt, minuſque contrahibiles.

Int. A quibus cauſis oritur morbus in *via*, ſeu *meatu*?

R. Anaſtomoſis oritur, vel abundantià ſanguinis, vel ejuſdem turgeſcentià, & ebullitione, vel ejuſdem vitiata craſsi, & acrimonià, vel à medicamentis fibras vaſorum ad excretionem ſtimulantibus. *Diarrhoſis*, ſeu *Diærheſis* à cauſa erodente; ut ſero-bilioſo, vel lympha acri, acida ſalſa *Diapedeſis* à ſanguinis tenuitate, accedente vaſorum, & fibrarum tono laxiori. *Rixis* à cauſis evidentibus ſecando, contundendo, vel rumpendo unitatem vaſorum.

Int. A quà cauſa fit morbus in *via anguſta*?

R. Ab *obſtructione*, à qualicumque cauſa, viam obſtruente, ut ab humoribus craſis, lentis, copioſis, viſcidis, calculo, fœcibus induratis, grumo ſanguinis, &c. à *conſtipatione*, à carne adnata, vel tumore in meatu exiſtente: à *coaleſcentia*, à prægreſſo vulnere, vel ulcere: à *compreſsione*, vel à tumore, vel oſsibus luxatis, vel vinculis, &c. à *ſubſidentia*, vel ex evacuatione contentorum, vel tono laxato: à conſtrictione à frigore.

Int. A quibus cauſis fit morbus in *ſuperficie*?

R. Aſperitas in diverſis partibus, à variis cauſis oritur: In *oſsibus* oritur, ſi vulnerata, fracta, vel eroſa: In *aſpera arteria* ſi nimis exſicata, deterſa, vel ulcerata: Lævitas partibus aſperis, & rugoſis infertur, vel

ab

ab humoribus viſcidis, & glutinoſis, vel à cicatrice poſt vulnus relicta.

Int. A quibus cauſis fit morbus in *magnitudine aucta*, vel *diminuta*?

R. Magnitudo augetur in toto corpore, ob nimiam carnis, & adipis copiam: In parte, ex affluxu præter naturam ſanguinis, vel aliorum humorum vitioſorum, vel ex decubitu unius partis in alteram, ut in *hernia.* Magnitudo debita diminuitur in toto corpore, ob alimenti defectum, ut in *Ptbyſi*, *Maraſmo*, *&c.* In parte autem, cum alimentum conveniens, vel non ſuſcipitur, vel non aſsimilatur.

Int. Quot ſunt cauſæ morbi, tam in *numero aucto*, quam *diminuto*?

R. Numerus auctus præter naturam accidit, vel à primo ortu, ex redundantia materiæ, cum virtutis formatricis robore, ut ſtatuunt AA. vel ob rudimenta ovulo inexiſtentia ſuperflua, ut volunt RR. v. g. quando ſex digiti, vel tres teſticuli generantur. Vel poſt ortum, à materia vitioſa, in parte ſtagnata, & ſenſim aſsimilata, ut apparet in Verrucis, &c. *Numerus diminutus* accidit in ortu, ex defectu materię, cum facultatis formatricis debilitate, vel ob rudimenta in ovulo deficientia, v. g. quatuor digiti, vel unus teſticulus. Poſt ortum, vel ex ſectione, vel uſtione, vel eroſione, vel putredine, &c.

Int. A quibus cauſis oritur morbus in *ſitu*?

R. Morbus in *ſitu* oritur, vel à quacumque violenta cauſa, partes dislocante, vel à vitio ligamentorum, aut debilium, aut laxatorum, quorum ratione, partes in naturali ſitu nequeunt contineri: ſic in *uteri* collum, & in *inteſtinum rectum* procedere ſolet.

Int. A quibus cauſis fit morbus in *connexu*?

R. A plurimis, tum internis, tum externis cauſis, connexionem ſubvertentibus, ut fit in luxationibus, dislocationibus, &c. Vel dum conglutinantur hę, quæ disjunctæ debent exiſtere.

Int. A quibus cauſis fit morbus in *ſoluta unitate*?

R.

R. Cauſæ *ſolutę unitatis* ſunt, vel ſecantia, vel erodentia, vel contundentia, & erumpentia, vel adurentia.

CAPUT SEPTIMUM.

DE SYMPTHOMATIBUS.

Int. QUid eſt *Sympthoma*?

R. Eſt affectio præter naturam corporis humani, morbum, velut umbra corpus ſequens.

Int. Quotuplex eſt *ſympthoma*?

R. Triplex, *in actione læſa, in qualitate mutata,* & in *excretis*, & *retentis.*

Int. Quot modis poteſt *lædi actio*?

R. Tripliciter, *abolitè*, *diminutè*, & *depravatè.*

Int. Quæ eſt actio *abolita*?

R. Quæ nihil termini attingit, ſeu *quæ nullomodo amplius fit, vel fieri poteſt.*

Int. Quæ eſt actio *diminuta*?

R. Eſt quæ terminum ſuum non attingit in perfectione debita, ſeu quæ debilis eſt, ac tardè operatur: ut debilis coctio ventriculi.

Int. Quæ eſt *actio depravata*?

R. Quæ producit terminum, non prout in fieri, nec prout in facto debitum; ut in cruditate acida, vel nidoroſa: ad hanc etiam reducitur *actio aucta*, ut ſitis nimia, &c.

Harum omnium ſit hoc exemplum: *Anorexia*, ſeu *inappetentia* eſt actio abolita; *Dyſorexia*, ſeu *appetitus imminutus*, eſt actio *imminuta*; fames canina eſt actio *aucta*, quia eſt appetitus nimiùs; *Pica*, vel *Malacia*, quæ eſt inſuetus appetitus, eſt actio *depravata.*

Int. Quid eſt ſympthoma in *excretis*, & *retentis*?

R. Eſt vitium ſenſibile excernendorum, vel retinendorum.

Int. Quotuplex eſt?

R. Duplex in *excretis*, & in *retentis.*

Int. Quid eſt ſympthoma in *excretis?*

R. Eſt actio depravata, quâ excernitur id, quod ſecundùm naturam detinendum erat.

Int. Quid eſt ſympthoma in *retentis?*

R. Eſt actio depravata, quà detinetur id, quod ſecundùm naturam expellendum erat.

Int. Quotuplex eſt ſympthoma tam in *excretis*, quàm in *retentis?*

R. Quintuplex, I. Vi *ſubſtantiæ peccantis*, dum aliquid, vel excernitur, vel retinetur, toto genere præternaturam, ut eſt calculus, vermes, &c. Vel excernitur aliquod, quod non debet excerni, quia naturæ amicum, & naturale, ut ſanguis, pinguedo, &c.

II. Vi *quantitatis*, nunc excedentis, dum hæc nimis copiosè per alvum, urinam, uterum, &c. effluunt: nunc deficientis, dum hæc parcius juſto excernuntur, ut in alvi obſtructione, &c.

III. Vi *qualitatum*, & quidem nunc *primarum*, nunc *ſecundarum*, ſi in excrementis recedant: nunc *tertiarum*, ſi alieno ſint imbuta colore, ſapore, odore, &c. Hæc ſympthomata ortum ducunt à particularum excernendarum, & retinendarum componentium dyſcraſsia, vel miſcella vitiata, v. g. fœtor nimius, vel alienus color in ſudore, vel urina.

IV. *Excretionis modo*, v.g. Excretio fœcum per os, in iliaca paſsione; excretio menſtrui vero per pulmones, & os.

V. Quintò denique vitium in excretis *excretionis tempore*, dum tardiùs, vel citiùs excernuntur, v.g. excretio ſanguinis menſtrui citior, vel tardior; quæ omnia actionem læſam ſequuntur.

Int. Quid eſt ſympthoma in *affectu corporis*, ſeu in *qualitate mutata?*

R. Eſt vitium qualitatum, ſeu particularum ejuſque partium componentium in ſua textura, ſeu mixtione.

Int. Quotuplex eſt ſympthoma in *qualitate mutata?*

R. Quintuplex, alia eſt *viſibilis*, *audibilis*, *odorabilis*, *guſtabilis*, & *tangibilis*. *Viſibilis* v.g. eſt flavus ocu-

lorum, & cutis color in *ictero*. *Audibilis* eſt v.g. inteſtinorum borborygmus, aurium tinnitus, &c. *Odorabilis* eſt, v.g. fœtor narium, & aliarum partium præternaturalis.

Guſtabilis eſt, v.g. ſapor linguæ amarus, vel ſalſus. Tangibilis denique eſt quælibet intemperies, *mollities*, *durities*, *aſperitas*, *levitas*, vel vitiata magnitudo, vel figura, vel ſitus vitiatus.

Int. Omnia hęc ſympthomata ſunt ęqualiter primaria?

R. Non. Nam prima ſpecies, videlicet *actio læſa* immediatè fit à morbo: duæ poſteriores, mediante actione læſa, ab illo pullulant; unde actio læſa eſt primarium ſympthoma, reliqua duo ſunt ſympthomata ſecundaria.

Int. Unum *ſympthoma* poteſt producere aliud, & ſic eſſe cauſa reſpectu alterius?

R. Quod ſic. Nam poteſt unum ſympthoma immediatè ab alio ſympthomate, & mediatè à morbo procedere: v. g. imaginatio depravata, ſequens motum ſpirituum depravatum.

Int. Sympthoma poteſt ſequi cauſam morbi, & dici ſympthoma cauſæ?

R. Non. Nam tale ſympthoma reverà non eſt verum ſympthoma, ſed potius morbi coefectus: v.g. à cauſa corroſiva carni applicata, eodem prorſus tempore fit ulcus, & dolor, aut pruritus, & hi poſteriores vocantur ſympthomata cauſę; tamen ſunt ſympthomata ſolutæ unitatis, & non cauſæ.

Int. Poteſt *morbus* eſſe ſympthoma?

R. Quod ſic: v. g. *febris* ſequens inflammationem; ſic, enim *febris* eſt ſympthoma, reſpectu morbi, quem ſequitur, nempè, inflammationis, & eſt morbus, reſpectu actionis, quam lædit.

Int. Poteſt ſympthoma eſſe cauſa morbi?

R. Quod ſic. Nam retentio ſenſibilis tranſpirationis eſt ſympthoma reſpectu obſtructionis pororum cutis, & etiam eſt cauſa morbi reſpectu febris, ipſam ſequentis.

LIBER

LIBER TERTIUS, DE TERTIA PARTE MEDICINÆ, QUÆ VOCATUR SEMEJOTICA.

CAPUT PRIMUM.

DE SIGNIS IN GENERE.

Int. Quid eſt Semejotica, ſeu Semiologia?

R. Eſt pars Medicinæ miniſtra, quę tradit ſigna tam generalia, quàm ſpecialia ſtatus ſecundùm, & præter naturam.

Int. Quotuplex eſt?

R. Duplex, *generalis*, quæ agit in genere de ſignis, ſtatum, tam naturalem, quàm pręternaturalem manifeſtantibus: & *ſpecialis*, quæ tradit in ſpecie ſigna ſpecialis affectus pręternaturam indicantia, eoſque ab aliis morbis diſtinguentia.

Int. Ad quid confert Medico *Semiologia*?

R. Confert ad dignotionem præſentium, curationem debito modo, & tempore inſtituendam, prænotionem futurorum, tum ad futura tempeſtivè occurrendum, tum ad auctoritatem, & fiduciam Medico apud ægrum, & adſtantes conciliandam, tum ad vulgi calumnias evitandas, & denique ad medicamenta prognoſtico derelictis, non infamanda.

Int. Quid eſt ſignum in ſenſu Medico?

R. Eſt res, vel naturalis, vel præternaturalis, quæ Me-

dico indaganti viam monſtrat, ſtatum, vel naturalem, vel præternaturalem, ſive ſanitatem, ac morbos in genere, & in ſpecie cognoſcendi.

Int. Quot ſunt ſigna medica?

R. Plura ſunt, alia ſunt *diagnoſtica*, quæ ſtatum præſentem, tam ſecundùm, quàm pręter naturam manifeſtant.

Alia ſunt *prognoſtica*, quæ ſtatum futurum indicant.

Alia ſunt *memorativa*, quæ ſtatum præteritum manifeſtant.

Alia ſunt *propria*, quæ uni ſoli conveniunt.

Alia *communia*, quę in pluribus affectibus repeiuntur.

Alia ſunt *Pathognomonica*, ſeu inſeparabilia, morbi ſpeciem perpetuò concomitantia, quę plerumque ex pluribus ſignis conjunctis conſtituuntur.

Alia ſunt *accidentalia*, non morborum eſſentiam, ſed magnitudinem, morem, vel eventum denotantia, unde alia ſalutem, alia mortem, alia coctionem, aut cruditatem, alia criſim indicant.

Int. Ex quibus fontibus ſumuntur ſigna medica?

R. Sumuntur. I. A conſtitutione corporis naturali, vel præternaturali. II. Ab actionibus corporis legitimo, vel illegitimo modo procedentibus, & hinc ſtatum ſecundùm, vel præternaturam manifeſtantibus, uti ſunt *pulſus*, *reſpiratio*, *ſenſus*, *motus*, *&c.* III. A cauſis tam internis, quam externis: v.g. diſpoſitio corporis reſpectu *temperamentorum*, *ſexus*, *ætatis*, *ſenſibilitatis*, *conſuetudinis*, *vitæ generis*, *&c.* *Aſſumpta*, *morbi prægreſsi*, *cauſę lædentes*, *& juvantes*, *animi pathemata*, *&c.* IV. Ab *effectibus* actiones haſce ſequentibus, uti ſunt ſecretiones, & excretiones, aliaque accidentia ſecundùm, vel præter naturam ſe habentia.

Int. Ex his ſignis, quæ ſunt *certiora*?

R. Ea, quæ ab effectibus ſumuntur.

Int. Ex quibus dignoſcitur corpus ſaluberrimum?

R. Dignoſcitur ex optima partium ſimilarium tempe-

perie, ex debita conformatione organicarum, ac utrarumque unione.

Int. Quibus ſignis dignoſcitur *temperamentum ſanguineum?*

R. Sanguinei quoad habitum corporis ſunt carnoſi, cutis ad tactum calida, mollis, color faciei floridus, & rubicundus, vaſorum mediocris amplitudo, pili ſubflavi: quoad actiones felix imaginatio, in aliquibus, mentis hebetudo, & ſtoliditas, ad riſum propenſio; in aliquibus jucunditas animi, & hilaritas cum diſcurſu fœlici: in aliquibus impuditas, & in valdè ſanguineis incontinentia, ſomnus longior cum inſomniis rerum jucundarum; pulſus magnus, tardus, plenus, promptitudo ad iram, &c.

Int. Quibus ſignis dignoſcitur *temperamentum bilioſum?*

R. Cholerici ſunt quoad habitum corporis graciles, macilenti, cutis calidioris: color faciei cum nitore pallidus, vel ſubflavus, pili pauci, citò oriundi, ac decidentes; colore ſubflavi, vel ſubnigri, nonnunquam criſpi, vaſa lata: quoad actiones ingenium acre, ſolers, & expeditum, ſenſus vegeti, motus agiles, ſomnus brevior, inſomnia de ignibus, & incendiis; pulſus vehementior, inclinatio ad iracundiam, furorem, & audaciam; appetentia minor præſertim æſtate, difficilis tamen jejunii tolerantia, ſitis frequentior, &c.

Int. Quibus ſignis dignoſcitur *temperamentum pituitoſum?*

R. Pituitoſi, quoad habitum corporis ſunt obeſi, molles, cutis alba, lævis, ad tactum, pili molles, tenues, & recti, colore ſubrufi, ad pallorem vergentes, venæ anguſtę, & exiguæ: quoad actiones, ingenium tardum, obtuſum, imaginatio ſatis bona, ac facilis rerum perceptio, prompta tamen oblivio, mentis, ac ſenſuum torpor, motus tarditas, maxima ad ſomnum propenſio: pulſus parvus, tardus, & mollis; ira remiſſa, & facilè placabilis, &c.

Int. Quibus ſignis dignoſcitur *temperamentum melancholicum*?

R. Melancholici quoad habitum, graciles, & macilenti ſunt, cutis ad tactum frigida, ſicca, dura, & aſpera; color faciei fuſcus, plumbeus, aut niger, venæ anguſtæ, pili multi, duri, aſperi, craſsi, & nigri: quoad actiones, aliqui præcocis ſunt ingenii, aliquarum rerum difficilis perceptio, memoria firmior; in valdè melancholicis timor, & triſtitia ſine cauſa, &c.

CAPUT SECUNDUM.

DE SIGNIS SPECIEI MORBI.

Int. EX quibus ſignis dignoſcitur *morbus*?

R. Dignoſcitur I. ex *eſſentialiter inhærentibus*. II. Ex *cauſis*. III. Ex *excretorum ſpecie*, ut conſtitutio calculoſa ex arenulis in urina. IV. Ex *juvantibus*, & *lædentibus*.

Int. Quibus ſignis dignoſcitur *pars affecta*?

R. Dignoſcitur I. Ex eſſentialiter inhærentibus, ut per *intemperiem*. II. Per duritiem, vel mollitiem. III. Ex tumore, viſu, vel tactu perceptibili. IV. Ex ſitu mutato. V. Ex figura vitiata. VI. Ex propriis accidentibus, ut ex anxietate noſcitur affectus ventriculus, & ex ſyncope cor affectum. VII. Ex excretis, ut affectus pulmonum ex particula ſpongioſæ carnis, tuſsi excreta. Ex fœcibus per vulnus abdominis exeuntibus noſcitur inteſtina eſſe affecta. VIII. Ex cauſis, ſic cantharides aſſumptæ veſicam, lepus marinum pulmones lædit. IX. Ex actione læſa, ut noſcitur affecta auris ex læſione auditus, &c. X. Ex proprietate doloris; qui ſi gravativus ſit indicat partem ex ſe minus ſenſilem, ut viſcus inflatum à pituita, ſanguine, ſero, aut lympha; ſi punctorius, membranam affectam, & quaſi convulſivo ſpaſmo criſpatam à materia acri; ſi terebrans oritur ex impacto viſcido acido plus minùs acri

par-

parti infixo; ſi rodens indicat membranam ab acri ſalſo affectam; ſi pulſatorius, inflammationem ex compreſsione arteriæ à nimia partis dolentis repletione, ejuſque fibrarum ſtrictura, vel fortiorem membranarum tenſionem; ſi oſtocopos, aut contundens, Perioſtium ab acri viſcido affectum arguit; ſi diſtendens, membranas à flatu, vel materia diſtentas, ſeu dilatatas ſignificat.

Int. Quibus ſignis dignoſcitur *pars affecta* per *ſympathiam*?

R. Dignoſcitur I. Ex illius diſpoſitione ad ſympathiam, ut ſi ſit calidior, rara, mollis, partibus aliis laborantibus vicina, vel ſub eodem genere, vel officio poſita, vel directa ſuperjacens, vel ſubjecta, vel communionem per nervos habeat. II. Si à nulla cauſa evidente læſa ſit: benè tamen alia, cum qua conſenſum habet. III. Si medicamenta alteri parti affectę applicata etiam hanc juvent.

Int. Quibus ſignis cognoſcitur *plethora*?

R. Cognoſcitur tum ex cauſis prægreſsis ſanguinem copioſum generantibus, tum ex ſignis temperamenti ſanguinei; ſi ſit ad vires ex gravitate, pulſu inæquali, cruditatis, & putredinis ſignis; ſi ad vaſa ex nimia diſtenſione vaſorum.

Int. Quibus ſignis dignoſcitur cacochymia?

R. Dignoſcitur ex ſignis prægreſsis temperamenti, vel bilioſi, vel pituitoſi, vel melancholici.

Int. Quibus ſignis dignoſcitur *cacochymia bilioſa*?

R. In bilioſa adeſt cruditas nidoroſa, ſitis, oris amaritudo, urina flava, ſeu rubra, & ſplendens, excrementa bile tincta, juvamen à frigidis, & læſio à calidis.

Int. Quibus ſignis dignoſcitur *cacochymia pituitoſa*?

R. In cacochymia pituitoſa adeſt appetitus dejectus, ſitis pauca, excrementa pituitoſa plurima, urina alba, pallida; nunc tenuis, nunc craſſa, & turbida, alvi dejectio cruda, juvamen à calidis, & læſio à frigidis. In abundantia pituitæ ſalſæ adeſt ſitis, ſapor ſalſus, excreta cruda; ſed ſimul mordacia.

Int. Quibus ſignis dignoſcitur cacochymia melancholica?

R. In *cacochymia melancholica* datur appetitus major, ſitis deffectus, ſalivæ abundantia, urina copioſa, nunc tenuis, & alba, nunc craſſa, & nigra, hæmorrhoides fluunt, vel ſupprimuntur flatus plurimi, & ructus acidi. In atrabiliaria per mixtionem bilis flavæ, & melancholiæ ſunt ſigna, atque illa dum excernitur, ex atro ſplendido colore, & ſumma acrimonia dignoſcitur.

Int. Quibus ſignis dignoſcitur *cacochymia ſeroſa*?

R. In ſeroſa corpus pallidum, & præcipuè tumidum quoad abdomen, adeſt, urina cruda, & aquoſa, multum ſeri, ſanguini extracto, ſupernatat. In flatulenta apparent dolores tenſivi, mobiles, & ſine ſenſu gravitatis; adeſt *tinnitus aurium, palpitatio partium, oſcitatio, pandiculatio, ructus, rugitus, borborygmi, crepitus, &c.*

CAPUT TERTIUM.

DE SIGNIS MORBI MAGNI, PARVI, longi, & acuti.

Int. QUæ ſigna ſunt morbi magni?

R. Sunt illa, quæ primo ſumuntur ab eſſentia morbi, v.g. à magna intemperie, inflammatione, tumore, ulceræ, &c. II. Quæ ſumuntur á cauſis tam internis, quàm externis, quæ magnam nos afficiendi vim habent. III. Quæ ſumuntur à dignitate partis affectæ, ut ſi princeps, vel præſtans pars, ut poſt publicum plus minus exercens officium, eſt affecta, ut *cor, hepar, pulmo, &c.* IV. A juvantibus, & lædentibus, ut ſi plura nocent, & pauca proſunt. V. Si actiones multum recedant à ſtatu naturali, ut eſt *delirium, ſopor, vigilia, &c.*

Int. Quæ ſunt ſigna morbi *longi*?

R. Illa ſunt, quæ denotant, morbum oriri, ab humo-

moribus frigidis, craſsis, vel lentis, acceſsiones longas producentibus, vel ordinatè, vel inordinatè redeuntes, cum ſympthomatum incremento, quæ quotidie, vel nocte, vel de quarto, in quartum, vel circa veſperam infeſtant.

Int. Quæ ſunt ſigna morbi *brevis*?

R. Illa, quæ iis immediatè dictis contraria ſunt.

Int. Quæ ſunt ſigna morbi *acuti*?

R. In genere eſt primò motus morbi celer. II. Gravia à principio ad finem uſque durantia ſympthomata. III. Sunt illa, quæ ſignificant cauſam eſſe, vel ſanguinem, vel bilem flavam, vel atram, &c.

Int. Quæ ſunt ſigna morbi *maligni*?

R. Sunt I. Vires vitales, ſeu animales læſæ pluſquàm magnitudo morbi expoſtulat. II. Magnæ ſine vehementi febre inquietudines. III. Urina in inſigni febre cum pravis ſympthomatibus ſanorum ſimilis. IV. Color faciei lividus, lingua nigra, cum exigua ſiti; exanthemata in febribus, ut *carbunculi*, *bubones*, *parotides*, *petechiæ*, &c.

Int. Quæ ſunt ſigna morbi benigni?

R. Quæ contraria ſunt morbi maligni aſsignatis.

Int. Signa quæ ab urina, & pulſu ſumuntur, quæ locum merentur?

R. Primum merentur locum tam pro dignitate, quàm pro pronogſi.

Int. Quid eſt *Urina*?

R. Eſt ſerum humorum à renibus attractum, indeque per ureteres ad veſicam percolatum, ut fiat ſanguis utile animalibus nutrimentum.

Int. Ex qua materia fit *urina*?

R. Ex latice aquoſo, ſeu ex materia potulenta ſero, & ſale ſalſo maxima ex parte volatili, & quaſi nitroſo, vel ammoniacali, ex ſalinis eſculentorum particulis elicito, ac per coctionem, & circulationem ulterius exaltato, & imprægnato cum junctis particulis ſulphureis, ſeu oleoſis.

Int. Cujus coctionis eſt excrementum?

R.

R. Juxta AA. ſecundæ coctionis.

Int. Quot ſunt conſideranda in urina?

R. Tria, *ſubſtantia*, *color*, & *contentum.*

Int. Quot ſumuntur differentiæ urinarum ratione ſubſtantiæ?

R. Tres, *tenuis*, *craſſa*, & *mediocris.*

Int. Quid eſt urina mediocris?

R. Illa eſt, quæ reperitur in homine ſano.

Int. Quid eſt urina *tenuis*?

R. Illa eſt per quam facilè tranſeunt radii viſorii; ita ut objecta oppoſita videantur.

Int. Quot ſunt cauſæ urinæ *tenuis*?

R. Multiplices ſunt, nempè largus potus aquæ, & vini albi, alimenta magna quantitate aſſumpta, imaginatio, vigilia, cruditas humorum, & obſtructio viarum per quas tranſit.

Int. Quotuplex eſt urina *tenuis*?

R. Duplex, alia, quæ mingitur tenuis, & permanet tenuis; & alia, quæ poſtea incraſſatur, vel ſtatim, vel longo poſt tempore.

Int. Quid eſt prædicendum de urina tenui?

R. Si appareat cum virium robore morbi longitudo; ſin minus mors. Urina tenuis cum bono colore in morbis acutis ſalutaris, licet longiori tempore ſalutem prænuntiet; urinæ tenues diſcolores & aquoſæ in morbo difficili, exitioſæ, denotant, vel ſummam cruditatem, vel bilis translationem ad alias partes. Urinæ tenues poſt criſim, diu redditæ; recidivæ certiſſimum ſignum ſunt. Urina, quæ mingitur tenuis, hinc poſt aliquod tempus turbida, vel craſſa reddita, bona: Signum enim eſt inchoatæ coctionis. Urina tenuis in morbis acutis, & inflammatoriis prædicit peſſimam conditionem viſcerum, deliria, phrænitides, convulſiones, & mortem ex gangræna: in morbis autem diuturnis abſceſſum in partibus internis. Urina tenuis,& limpida, inſtar aquæ, ſignum ſemper eſt læthale; præcipuè ſi morbus jam ſit provectior. Urinæ tenues diù perſeverantes, ſi alia criſis non venerit, in magno

hu-

humorum apparatu ad abſceſſum in inferiora deſinit morbus. Ultimo urina tenuis, quæ qualis mingitur talis perſeverat extremam cruditatem ſignificat.

Int. Quid eſt urina *craſſa*?

R. Eſt per quam difficulter, aut non tranſeunt radii viſorii.

Int. A quibus cauſis fit urina craſſa?

R. Primò fit ab imperfecta coctione. II. Ab imbecillitate caloris hepatis. III. Ab humorum craſſorum permixtione. IV. Ab obſtructione vaſorum. V. Denique ab intemperie frigida, & debilitate renum.

Int. Quotuplex eſt urina *craſſa*?

R. Alia eſt clara, ſeu perſpicua dependens ab exacta unione particularum ſalinarum, ſulphurearumque cum poris liquoris aquei, quas radii luminoſi æqualiter ferè permeant; & alia turbida, ſeu opaca.

Int. Hęc urina turbida quotuplex adhuc eſt?

R. Duplex, alia, quę turbida mingitur, alia, quæ poſt mictionem turbatur, & alia, quæ ſubſidentibus partibus craſsioribus ſponte clareſcit.

Int. A quà cauſa turbatur urina in ſanis?

R. Turbatur à commotione, & evacuatione crudorum humorum, minus tamen à calore ſubactorum, aut ſero incoctorum: unde vel per ſe, vel à frigore poros liquoris conſtringente turbatur, contentaque ad fundum præcipitantur.

Int. In ægrotis quid denotat urina craſſa?

R. Aliquam coctionem, ac admixtionem materiæ vitioſæ, ipſi urinæ; unde bonum ſignum, præſertim ſi appareat poſt morbi principium cum bona conſiſtentia, & turbetur à cauſa interna, quod patebit, ſi enim turbetur in aere, vel loco calido.

Int. Urina turbida, quæ in ægris ſponte clareſcit à quà cauſa oritur?

R. Oritur à craſsis humoribus eam conturbantibus; hinc gravitate ſua fundum vaſis petentibus, ceſſante fervore, & calore eam confundente.

Int. Urina ſemper turbida manens à quà oritur cauſa?

R. Oritur, vel à defectu ſpirituum partes liquoris in fermentationis motum compellentium; vel ab humorum levium, & viſcidorum confuſione, & à turbata ſanguinis fermentatione, à calore præternaturali; unde mala apparens in principio, vel etiam poſtea morbo ingraveſcente, & viribus debilitatis.

Int. Quid prædicendum eſt de urina craſſa?

R. Si cum virium robore excernatur, morbi longitudo; ſin minus mors; ſi valdè craſſa ſit veluti jumentorum, dolorem capitis prenuntiat; ſi poſt ſigna coctionis appareat, ſalutem; ſi poſt mixtionem attenuatur morbi ſecuritatem denotat, innuit victoriam naturæ, ætherogenea ſeparantis. Urina craſſa, turbida, taliſque permanens, ut igni appoſita clareſcere non poſſit, mala: oſtendit, ſi vires adfuerint, morbum longum; ſi debiles, mortem. Urinæ turbidæ, taleſque permanentes cum fœtore inſigni, peſsimæ. Urina craſſa apparente, ſi adſint vigiliæ, ſitis, dolor capitis, delirium denotat; ſi ſopor, capitis gravitas cum pulſu parvo, letargum prædicit. Craſſæ urinæ, & lixivioſæ, cum ſedimento limoſo copioſo in hydrope, peſsimum indicant ſtatum.

Int. A colore, quæ differentiæ urinarum ſecundum naturam ſumuntur?

R. Tres ſcilicet, *ſubpallida*, *ſubrufa*, & *ſubflava*.

Int. In quibus temperamentis reperiuntur hæ urinæ?

R. *Subpallida* in naturis frigidis, *ſubflava* in naturis calidis, & *ſubrufa* in temperatis.

Int. Quot ſunt differentiæ urinarum præter naturam ratione coloris?

R. Octo, *alba*, *pallida*, *rufa*, *flava*, *rubra*, *livida*, *viridis*, & *nigra*.

Int. Quotuplex eſt urina *alba*?

R. Duplex, craſſa, & tenuis; hæc etiam vocatur *perſpicua*.

Int. Cur?

R. Quia caret colore.

Int. Cur caret colore?

R.

R. Quia cum ea non eſt permixta bilis, à quâ ſemper tingitur urina.

Int. Cur non tingitur à bile?

R. Quia non generatur, aut licet generetur ad aliam partem rapitur, ut quando confluit ad cerebrum in febribus ardentibus.

Int. Cur bilis non generatur?

R. Non generatur, aut propter aliquam cauſam externam, ut refrigeratione facta à largo potu aquæ gelidæ, aut ab alimentis frigidis, aut nimia vigilia, vel propter ætatem, ut in ſenibus, vel propter humorum craſſorum, & frigidorum copiam; vel licet generetur bilis non poteſt cum urina permeare, quoniam viȩ ſunt obſtructȩ; & ita ſola aqua percolatur ſubſiſtente bile cum reliquis partibus craſsioribus. Juxta RR. ut plurimum in affectibus ſpaſmodicis, ut in ſuffocatione uterina, & inflammationibus internis, frequenter apparet urina alba tenuis, quia nimis per ſpaſticas ſtricturas, coartatis, & anguſtatis ductibus renum ſecretoriis, non niſi id, quod valdè tenue eſt, & diametro canaliculorum reſpondet, admittunt; unde craſſæ, ſeu bilioſæ molleculæ remanent.

Int. Quibus in partibus eſt neceſſaria obſtructio, ab humoribus, vel ſtrictura, ſeu ſpaſmodica contractio, ut urinæ reddeantur tenues albæ?

R. In renibus, vel ureteribus, vel in uretra.

Int. Quid prædicendum de urina tenui alba?

R. Si in febribus ardentibus appareat raptum bilis ad alias partes denotat, cum timore alicujus inflammationis internæ futuræ, vel factæ.

Int. Cur timenda in acutis inflammatio futura, vel facta ex hac urina?

R. Juxta AA. quia cum bilis ſit acris, & mordax, ſi intra corpus ſubſiſtit, facili negotio potens eſt, aliquod viſcus inflammare. Juxta RR. vero, ob ſpaſticas nervearum partium ab acrimonia bilis ortas, ſanguinis impetus urgetur ad interiora, ac ſuperiora; quo fit ut is in tunicis cerebri, & ventriculi firmiùs im-

pac-

pactus ſubſiſtat, & inflammationes præcipitis periculi pariat. Denotat etiam in chronicis, affectus animi ænormes, inſultus hyppocondriacos, aut hyſtericos, viſcera coctioni imparia, cruditates, pituitam, frigus, & alia.

Int. Quid eſt urina *alba craſſa*?

R. Illa, quæ donatur albo colore.

Int. A qua cauſa fit?

R. A permixtione ſubſtantiæ albæ, ſive ſit chylus non ritè aſsimilatus, ſive pituita, ſive ſemen, ut in fluore albo; gonorrhæa; ſive pus, ut in ulceribus renum, veſicæ, & meatus urinarii.

Int. Quomodò cognoſces, quod urina ſit craſſa alba à permixtione puris, & non ab alia cauſa?

R. Ob fœtidum odorem, & quia præceſſerunt ſigna ſupurationis in partibus per quas tranſit, quæ expurgantur per urinam.

Int. Quid prędicendum ex tali urina?

R. Si cum virium robore appareat, morbi longitudo eſt prædicenda; ſi verò languidæ fuerint vires, mors, niſi ſigna coctionis præceſſerint; ſi autem poſt coctionem appareat, victoriam naturæ oſtendit.

Int. Quid eſt urina *pallida*?

R. Quæ vino albo tenui aſsimilatur.

Int. Quotuplex eſt urina *pallida*?

R. Triplex, *pallida* abſolutè, *remiſsè* pallida, ſeu ſub pallida, & *intensè pallida.*

Int. A quà cauſa fiunt hæ differentiæ urinæ pallidæ?

R. Fiunt à permixtione bilis pallidæ; ita ut ſi magna quantitas bilis pallidæ permiſceatut cum ſero ſanguinis fit urina abſolutè pallida; ſi in majori quantitate, fit urina intensè pallida; ſi verò in minori, fit urina remiſsè pallida, ſeu ſub pallida.

Int. Quid prædicendum eſt de urina pallida?

R. Quod ſi in naturis frigidis appareat denotat exceſſum caloris, ſeu exaltationem ſulphuris, & ſalis; ſi vero in temperatis, vel calidis, receſſum caloris, ſeu deffectum ſulphuris, & ſalis in ſanguine, ſicque prę-

ter-

ternaturalis eſt, & cruditatem oſtendit, non verò omnimodam.

Int. Quid eſt urina *ſubrufa*?

R. Illa dicitur, quæ auro aſsimilatur.

Int. A quà cauſa oritur?

R. A permixtione bilis rufæ.

Int. Quotuplex eſt urina rufa?

R. Triplex, rufa *abſolutè*, *intenſè* rufa, & *remiſsè* rufa, ſeu *ſubrufa*; quæ quidem differentiæ ortum ducunt à majori, vel minori quantitate bilis rufæ cum ſero ſanguinis permixtæ.

Int. Quid denotat?

R. In naturis frigidis, & temperatis exceſſum caloris, ſeu exaltationem, aut majorem productionem ſulphuris, & ſalis; ſicque in iis naturis eſt præternaturalis; in naturis vero calidis, defectum caloris, ſeu ſalis, & ſulphuris denotat.

Int. Quid eſt urina *flava*?

R. Eſt illa, quæ aſsimilatur croco.

Int. A quà cauſa fit?

R. A permixtione bilis flavæ.

Int. Quotuplex eſt urina flava?

R. Triplex, flava *abſolutè*, *ſubflava*, & *intensè flava*.

Int. A quà cauſa oritur urina ſubflava?

R. A permixtione bilis flavæ debita quantitate.

Int. Flava abſolutè à quo provenit?

R. A flava bile craſsiore, & uberiore, ſeu à ſale, & ſulphure aduſtis, ac ſero uberrimè commixtis.

Int. Intensè flava, ſeu flammea à quà cauſa fit?

R. A bile flava tenuiori, ſeu à particulis quibuſdam ſanguinis, & humorum retorridis, & aduſtis, ſero incoctis.

Int. Urina flava, & intensè flava, quid denotant?

R. Magnam humorum agitationem, mixturæ ſanguinis turbationem, & cauſæ morbificæ vehementem inſultum.

Int. Quid eſt *urina rubra*?

R. Eſt, quæ rebus rubris aſsimilatur, aut ſanguini aſsimilatur.

Int.

Int. Quotuplex eſt?

R. Triplex eſt, præ rubra, ſeu intensè rubra, quæ ſanguini; ſub rubra, quæ bolo Armeno, & rubra abſolutè, quæ ceraſis acidis aſsimilatur.

Int. A quá cauſa fit urina rubra?

R. Juxta AA. omnes differentiæ urinæ rubræ à majori, vel minori quantitate ſanguinis cum ſero permixta; ita ut ſi magna ſanguinis quantitas admiſceatur, fit urina prę rubra; ſi minor, rubra ſimplicitèr; ſi adhuc minor, ſub rubra, ſeu remiſsè rubra. Juxta RR. hæc urina fit, vel à commixtione ſanguinis, & propriè dicitur cruenta, quæ non ſplendet, ſed loturæ carnium ſimilis, vel à bile aduſta, ſeu à particulis ſalinis, acidis cum fœculentis terreis ubertim reſolutis, & ſero dilutis, ut in Scorbuto, Artritide, Hydrope, vel in Phthiſi ob efferveſcentiam febrilem.

Int. Quid prædicendum eſt de urina rubra?

R. Juxta AA. omnes differentiæ urinę rubræ morbi longitudinem, & ſecuritatem demonſtrant, quia fiunt â ſanguine, qui ex ſua natura familiaris eſt, & benignus, comparatuſque cum reliquis humoribus faciliùs vincitur, & ſuperatur à natura, quàm illi: attamen urina rubra pejor eſt ſub rubra, quia fit à majori copia ſanguinis ſeroſi; & pejor iis eſt præ rubra, qui à majori ſanguinis copia ortum ducit.

Juxta RR. tamen urina rubra ſine ſedimento apparens in morbis acutis docet I. motum validum inter partes ſanguinem componentes. II. Intimam, & tenacem permixtionem olei, ſeu ſulphuris, ſalis terræ, & aquæ in humoribus. III. Cruditatem magnam morbi. IV. Longam durationem, ingenſque periculum. Urina antem flammea tenuis ſine ſedimento denotat eadem; unde præſagium idem eſt, ſed longè periculoſius. Urina vero rubra cum ſedimento copioſo, lateri rubro contrito ſimili, denotat: I. ante greſſam fermentationem vehementem. II. Vaſa eſſe laxata. III. Cruorem ſalinum ſolutum nutritioni ineptum. IV. Febres intermittentes valido paroxiſmo defunctas. V. Scorbutum.

Int.

Int. Quid eſt urina *viridis*?

R. Illa quæ viridi colore donatur.

Int. A quà cauſa oritur?

R. A permixtione bilis porraceæ, ſeu æruginoſæ cum ſero.

Int. Quid denotat urina viridis?

R. Si hæc urina in febribus appareat, ſignificat, I. magnam aduſtionem, & malignitatem humorum. II. Si cum ſedimento craſſo, temperiem attrabiliariam. III. Ejuſque materiam jam ſolutam excerni. IV. Anxietates præcordiorum, perturbationes alvi, dolores iliacos, & colicos. V. Infinita acuta ſæpè mala denotat.

Int. Quid eſt urina *livida*?

R. Eſt illa, quæ plumbo aſsimilatur.

Int. A quà cauſa oritur?

R. A duplici: ab extinctione caloris nativi; vel à permixtione humoris melancholici in pauca quantitate.

Int. Quibus ſignis dignoſcitur quando oritur ab extinctione caloris nativi, & quando à mixtione humoris melancholici?

R. Dignoſcitur ex ſignis ſalutis, & mortis; nam ſi adſunt ſympthomata læthalia, ut ſyncopes, anxietates, convulſiones, & alia, & urina appareat livida, certè oritur ab extinctione caloris; ſi verò ſympthomata non ita læthalia appareant, tunc à permixtione humoris melancholici fit livida.

Int. Quid prædicendum de urina livida?

R. Si urina livida oritur ab extinctione caloris nativi, mortem; ſi verò à permixtione humoris melancholici in pauca quantitate, non eſt læthalis, ſed mala; quia indicat languidam eſſe facultatem expultricem, quæ non poteſt totum humorem expellere, ſed diminutè eum evacuare: ſi in morbis acutis ſine ſignis coctionis appareat, ſemper eſt peſsima; extra febres vero, demonſtrat affectus ſpleneticos, & ſucci pancreatici vitium.

Int. Quid eſt urina *nigra*?

R. Eſt, quæ atramento aſsimilatur.

Int. A quà cauſa fit?

R. A permixtione humoris nigri, qui eſt vel atra bilis, vel ſuccus melancholicus.

Int. Quid prædicendum eſt de urina nigra?

R. Si fiat à permixtione atræ bilis, ſemper eſt læthalis; ſi ab humore melancholico ante ſigna coctionis, ſemper eſt mala; poſt ſigna autem coctionis apparens, optima eſt, & ſalutaris.

Int. Quibus ſignis dignoſcitur, quod urina fit nigra à permixtione atræ bilis, vel humoris melancholici?

R. Ex ſympthomatibus, nam ſi læthalia ſigna præceſſerint, & urina appareat nigra, & perlucida, tunc oritur à permixtione atræ bilis; ſi vero læthalia ſigna non præceſſerint, nec ſplendens, ſed opaca appareat urina, tunc à melancholico humore fieri certiſsimum eſt ſignum.

Int. Quæ differentiæ urinarum ſumuntur à quantitate urinæ?

R. Alia eſt copioſior reſpectu potus, alia paucior.

Int. Copioſior à quà cauſa oritur?

R. Oritur, vel à mixtione ſanguinis, laxata, ſeu debili diatheſi, vel à ſero in tubulis aliarum partium aliquamdiù ſtagnante, ac ſanguini denuò abſorto, vel ab evacuatione critica, vel ab uſu diureticorum, vel à potus copia, vel à renum atonia, ſeu fibrarum laxitate, ut in diabete, vel ab inſenſibili tranſpiratione impedita.

Int. Urina paucior à quà cauſa oritur?

R. Oritur, vel à ſero aliorſum tranſlato, ut vel per ſudores, vel per alvum foras eliminato, vel in cavitatem aliquam effuſſo, vel ob obſtructionem renum ad alias partes regurgitante.

Int. Quid prædicendum eſt de his urinis?

R. Urinæ multæ, & concoctæ decretorio die apparentes, bonæ, laudabileſque ſunt, denotant victoriam naturæ. Urinę multæ, tenues, aquoſæ ſine contentis nihil juvantes, malæ; urinę paucæ, & tenues aſſumpto po-

potui non reſpondentes in quolibet morbo, malæ; ſubſiſtentes verò in morbo acuto, perniciosę ſunt.

Int. Quæ differentiæ urinarum ſumuntur ab odore?

R. Tres, alia, quæ fœtet, alia, quæ benè olet, & alia, quæ nihil olet, vel inodora eſt.

Int. A quà cauſa oritur urina, quæ fœtet?

R. Oritur, vel ab aſſumptis, ut ab allio, aſparragis, balſamo ſulphuris, & aliis; vel ob putredinem in febribus malignis, abſceſsibus, ulceribus circa renes, veſicam, vel meatus urinarios, vel ex retentione diuturna; vel ob ſulphur aculeatum ſalibus copioſis acidis, ut in ſcorbuticis, hyſtericis, & hydropicis.

Int. A quà cauſa oritur illa, quæ benè olet?

R. Ab aſſumptis, ut à therebinto, junipero, nuce moſchata, & aliis.

Int. Inodora urina à quà oritur cauſa?

R. A deffectu ſalium, & ſulphuris, vel horum fixitate.

CAPUT QUARTUM.

DE CONTENTORUM ESSENTIA, *differentiis, & cauſis.*

Int. Quid eſt urinarum *contentum*?

R. Eſt quod continetur in urina præter colorem, & ſubſtantiam.

Int. Ex quà materia fit contentum?

R. Juxta AA. in ſanis fit ex portione chyli crudi ſubterfugientis hepatis coctionem; vel juxta RR. ex particulis alimenti reſiduis à nutritione omnium partium.

Int. Quare ex his alimenti particulis generatur contentum in ſanis?

R. Quia quęlibet pars noſtri corporis invenit in materia alimenti aliquam portionem improportionatam ad ſuſcipiendas conditiones ſuæ naturę proprias, ideóque ſimul cum urina rejicitur.

Int. Cur hoc contentum in ſanis eſt album?

R. Quia unà cum materia utili partis influxus recipit, & ab eo alterationem quamdam, per quam colorem album, vel lævitatem adquirit, vel texturam diſsimilem ab ea, quam in ſanguine recipiebat, ſuſcipit.

Int. Cur contentum urinę ſanorum poſt refrigerationem ſeparatur à liquore urinoſo?

R. Quia particulę ſedimenti ſero ſunt graviores, quę invicem ſibi cohęrentes ſedimentum componunt, & hoc, fundum vaſis petit, ſi gravitas particularum componentium ſuperet gravitatem cujuslibet partis ſeri. Si autem earum gravitas ſit minor gravitate partium ſeri, fundum vaſis occupantis, in medio vaſis detinetur ſedimentum; in ſumitate vero urinę colligitur quando dictæ particulę minorem, quam ſerum habent gravitatem.

Int. Ex qua materia fit ſedimentum in ægrotantibus?

R. Sedimentum in febricitantibus fit ex particulis alimenti reſiduis, & ex materia morboſa à ſanguine ſegregata.

Int. Cur ſedimentum in urinis febricitantium apparens eſt ſignum coctionis?

R. Quia oſtendit, vel materiam morboſam, & fermentativam maſſæ ſanguineæ ab hac paulatim ſecerni, & per urinam expurgari; vel oſtendit, partes noſtri corporis opus nutritionis modo naturali perficere: contrà, ſedimentum in urina deficiens, humorum cruditatem in febribus arguit, oſtendendo, à maſſa ſanguinea excrementa, & materiam febrilem non ſegregari, nec partes nutritionem peragere, ob depravatas ſanguinis qualitates.

Int. Quid eſt coctio materiæ, ſeu cauſæ febrilis?

R. *Eſt actio naturæ, qua mediante in febribus, præcipuè acutis materiam morbificam ita præparat, ut ſubacta, vel correcta è corpore expelli queat.*

Int. Quid eſt cauſa efficiens coctionis?

R. Eſt ipſa natura ſola, quæ mediantibus motibus (fermentativo, & circulari) materiam crudam, conti-

tinuò per varias partes tranſpellendo, ſenſim, ſenſimque ita alterat, ut ſine ulteriori noxa tandem, vel ſubitò per criſim, vel lentè è corpore expelli queat.

Int. Hęc materia febrilis, vi hujus coctionis redigi poteſt in materiam nutritivam?

R. Quod non. Quia talis vitioſus humor numquam reducitur, ut cum reliquis humoribus vitalibus, in gratiam reddire queat: quare expulſione ejus opus eſt.

Int. Concurrit ne ars medica ad hanc coctionem?

R. Duplici modo ars medica concurrit ad coctionem materiæ morbificæ: ſcilicet, vel imminuendo quantitatem humorum per convenientes evacuationes; vel corrigendo qualitatem, coctionis opus turbantem.

Int. Quotuplex eſt coctio?

R. Coctio, alia eſt debilis, & obſcura, alia magis manifeſta, quę potiſsimum in morbi augmento occurrit; alia eſt perfecta, quæ in ſtatu morbi deprehenditur.

Int. Quot ſunt ſigna coctionis?

R. Signa coctionis alia ſunt univerſalia, quę potiſſimum deſumuntur ab urina: alia particularia, quę in morbis pectoris à ſputo, in abſceſsibus à purè, in affectibus vero primarum viarum, ab excrementis.

Int. In homine ſano poteſt urina ſine ſedimento apparere?

R. Quod poteſt: ut poſt longam inediam, vel labores, aut ſudorem copioſum; vel quando exacta fit coctio: ideòque in naturis temperatis, quę non appetunt pluſquam concoquunt, nullum eſt ſedimentum; ſicque ſi urina optimum colorem habeat, & bonum ſubſtantię modum, cocta erit, licet careat ſedimento.

Int. Quot ſunt capita ex quibus, differentiæ contentorum ſumuntur?

R. Quatuor, I. Ex *loco*. II. Ex *tempore*. III. Ex *colore*. IV. Ex *conſiſtentia*.

Int. Quæ differentiæ ſumuntur *ex loco*?

R. Tres, vel contentum ſtat in ſuperficie urinæ, & dicitur *nubes*, ſeu *nubecula*; vel in parte media, & vocatur *enæorema*, *ſuſpenſum*, ſeu *appendiculum*; vel in fundo matulę, & dicitur *ſedimentum*, ſeu *hypoſtaſis*.

Int. Quę differentiæ contentorum ſumuntur ex *tempore*?

R. Duę, ſcilicet *æquale*, & eſt illud, quod dum incipit apparere, omnibus diebus ſimile apparet, & *inæquale*, quod è contra eſt.

Int. Quę differentiæ deſumuntur ex *colore*?

R. Multæ, nam poteſt ſedimentum eſſe *album*, *pallidum*, *nigrum*, *lividum*, *&c.*

Int. Quæ differentię deſumuntur ex *conſiſtentia*?

R. Duæ, videlicet *læve*, *&* *divulſum*.

Int. Quid eſt ſedimentum *læve*?

R. *Eſt illud, quod omnes ſuas partes habet æqualiter elaboratas, permixtas, & continuas*: *divulſum* vero è contra ſe habet.

Int. Quæ conditiones requiruntur, ut optimum ſit ſedimentum?

R. Quatuor: I. Quod ſit *album*. II. Quod ſit *læve*. III. *Æquale*. IV. Quod in fundo matulæ appareat.

Int. Cur optimum ſedimentum debet eſſe *album*?

R. Quia à partibus ſolidis elaboratur, quę cum albæ ſint, materia vero ſedimenti valdè diſsimilis ſit illis, natura faciens, quod poteſt, cum non poſsit illam convertere in alimentum partium ſolidarum, ei ſaltim ſuos characteres imprimit, ſicque album apparet, oſtendendo victoriam naturæ.

Int. Cur optimum ſedimentum debet eſſe *læve*?

R. Quia ejus materia omni ex parte debet eſſe æqualiter devicta, ſeu à natura ſuperata, ut ſubſtantia ſedimenti æqualiter permixta, & conjuncta appareat, & non divulſa.

Int. Cur debet eſſe *æquale*?

R. Quia æqualitas denotat robur naturæ, quæ ſingulis diebus potuit æqualiter concoquere materiam morbificam.

Int.

Int. Quare optimum ſedimentum debet in profundo matulæ apparere?

R. Quia ut urina ſit optima requirit, quod depurata ſit ab omni recremento, gravitatem inferente ſubſtantiæ urinę; tunc enim ſedimentum gravitat, & ad fundum matulæ pręcipitatur. Hęc ultima conditio venit intelligenda in morbis à materia craſſa oriundis; non autem à materia tenui dependentibus, nam in his neceſſarium non eſt, ut ſedimentum ad fundum decidat, quia licet urina debitè depurata ſit, cùm materia ex qua fit ſedimentum ſit tenuis, non gravitat ſupra ſubſtantiam urinæ; ideòque Galenus nos monet, quod in morbis bilioſis, non eſt neceſſarium ſedimentum ſpectare.

Int. Quid denotat ſedimentum album læve, & in profundo matulæ, non tamen æquale?

R. Indicat naturæ imbecillitatem, quæ non potuit totam cauſam morbificam æqualiter vincere, ideòque hodiè coctum apparet, cràs vero non.

Int. Propter quas cauſas accidere poteſt hęc inęqualitas?

R. Evenire poteſt, vel propter inæqualitatem cauſæ morbificę, ita ut una portio craſsior ſit alia; vel propter humorem de novo ad focum fluentem, vel propter vitiatum partis temperamentum ab aliqua cauſa externa, ut ab immoderata vini potione, à vigilia, vel ab aliquo animi pathemate.

Int. Si ſedimentum eſt album, & in profundo loco, non tamen læve, ſed divulſum, & inæquale, quid denotat?

R. Hoc ſedimentum deteriùs eſt priori: nam cum ſit divulſum denotat, quod natura non potuit æqualiter vincere eam portionem humoris, quam unica vice concoquendam ſuſceperat; quod accidit propter majorem humoris inæqualitatem, quam in priori.

Int. Si ſedimentum appareat album, æquale, & divulſum, quid denotat?

R. Majorem denotat debilitatem naturæ, ac in dua-

bus convinationibus dictis; quia quamvis natura aliquantulum materiam ſuperet, non tamen valet coctionem abſolvere, ut reddat illud læve.

Int. Si contentum album, læve, & æquale ſit, non tamen in fundo matulæ ſubſidit, ſed in medio, quid denotat?

R. Denotat optimam fieri materiæ peccantis coctionem; non tamen perfectam: non enim occupat locum, quem obtinere debet, quia liquor urinæ adæquatè depuratus non eſt ab omni materia aliena, quod neceſſarium eſt ut urina ſit perfectè cocta, & contentum fundum petat.

Int. Ex loco, quem contentum occupat, poſſumus colligere morbum eſſe malignum, aut benignum?

R. Quod non. Benè verò ſi contentum malignitatem, aut benignitatem indicet, ex loco in quo eſt, majorem, vel minorem malignitatem, aut benignitatem oſtendet: v.g. contentum nigrum, quod ſemper eſt malum, minus vero malum eſt, ſi ſit in parte media, & multò adhuc minus, ſi ſit in parte ſuperiori; quia ſi ſubſederit denotat, quod nihil materię excrementitię ſeparatur à conſortio ſanguinis, quę gravitatem tribuat liquori urinę, ſicque omnimodam cruditatem ſignificat.

Int. Quid eſt contentum *orobinum*?

R. Eſt illud, quod orobo rufo aſsimilatur.

Int. À quà cauſa oritur contentum *orobinum*?

R. Oritur à ſanguinis aſſatione, vel carnis colliquatione.

Int. Quid prędicemus ex hoc contento?

R. Si cum bonis ſignis appareat, non poſſe breviter ægrum à morbo, ſed longo poſt tempore liberari; ſi vero prava ſigna ei adjungantur, tunc mortem pręnuntiant.

Int. Quid eſt contentum *farinaceum*?

R. Illud dicitur, quod parti farinæ craſsiori aſsimilatur.

Int. A quà cauſa oritur?

R. Ab eadem, ac orobinum, nam farinaceum, & orobinum ab eadem cauſa fiunt, idemque ſignificant.

Int. Quid eſt contentum *laminoſum*, *foliatum*, ſeu *ſquammoſum*?

R. Eſt illud, quod foliis aſsimilatur.

Int. Quid eſt contentum *furfuraceum*?

R. Eſt illud, quod furfuri aſsimilatur.

Int. Quid denotat contentum *ſquammoſum*?

R. Denotat exulcerationem veſicæ, vel urethræ, vel vaſorum.

Int. Quid denotat ſedimentum *furfuraceum*?

R. Scabiem veſicæ, vel vaſorum.

Int. A quà cauſa fiunt?

R. Ab humoribus acribus, ſeu corroſivis.

Int. Quomodò diſtingues, an hæc contenta à veſica, vel ab aliis vaſis procedant?

R. Ex urina; nam ſi cocta appareat cum iis contentis, ulcus in veſica eſſe demonſtrant; ſi autem cruda excernatur affectum in vaſis eſſe colligimus.

Int. Quid ſignificant ſanguis, pus, carunculæ, filamenta, grumi, arenulæ, partes calculi, & mucus in fundo matulę?

R. Denotant vitia renum, ureterum, veſicæ, teſtium, veſicularum ſeminalium, proſtatarum, & glandularum uretrę.

Int. Contentum mucoſum, ſeu craſſum, & tenax, inſtar muci narium, fundo matulæ tenacitèr adhæreſcens, cum dolore excretum, quid denotat?

R. Denotat calculum veſicæ grandiorem inæqualem, vel aculeatum, qui membranam ejus lædens, & irritans, nutrimentum membranæ copioſius affluens, quoad aſsimilationem pervertitur, & in mucum craſsiorem degenerat.

Int. Contentum rubrum inſtar pulveris laterum, aut boli Armenæ, quid denotat?

R. Nimiam partium ſalſarum, & terreſtrium exaltationem ſignificat, quod non rarò obſervatur in febribus intermittentibus.

Int.

Int. Si vermes cum urina excernantur, quid denotant?

R. Ulceris ſordidi verminoſi propè partes urinarias latitantis indicium ſunt.

Int. Urina *cruenta* in variolis, & morbilis, quid denotat?

R. Nimiam acrimoniam fermenti varioloſi ſanguinem diſſolventis ſignificat; ideòque læthalis eſt.

Int. Quid eſt urina *ſpumoſa*?

R. Eſt illa, in cujus ſuperficie ſuprema conſpiciuntur, nunc bullæ, nunc ſpuma conſtans ex bullis congregatis, & cohærentibus.

Int. A quà cauſa oritur?

R. Oritur à flatuum copia incluſa in viſcosà, & craſsà materià.

Int. Quid denotat?

R. Denotat morbos graviores à muco acido viſcido oriundos; tum etiam capitis dolorem à flatibus ad caput aſcendentibus. Corona, ſeu circulus, qui in ſuperficie urinæ ex ſpuma conficitur, eamdem cauſam, eaſdemque ſignificationes obtinet.

Int. Urina, quæ agitata ſpumam diu retinet, quid denotat?

R. Denotat olea, & ſales in lixivium ſaponaceum mixta, atque ſoluta; adeòque tenacitatem miſcellæ arctæ, difficilem coctionem, & criſim.

Int. Quid eſt urina *oleoſa*?

R. Illa dicitur, quæ oleo ſimilis eſt, vel in colore, vel in ſubſtantia.

Int. Quotuplex eſt urina *oleoſa*?

R. Triplex eſt, una, quæ colorem olei repræſentat, & dicitur *elæoctiroa*; alia, quæ refert ſubſtantiam ſimilem oleo, *elæophanes* dicta; altera, quæ ſubſtantiam, & colorem ſimul habet ſimilem oleo, *elæodes* appellata.

Int. Quid hæc urina ſignificat?

R. Si cum ſignis coctionis appareat, denotat coctionem; ſi vero cum ſignis cruditatis pernicioſa non eſt, ſed

ſed cruditatem ſignificat; non enim (ut creditur) ſoboles eſt colliquationis, imò fit à mixtione bilis cum urinæ ſero.

Int. Quid eſt urina *pinguis*?

R. Eſt illa, in cujus ſuperficie ſupernatat telis aranearum ſimilis, ut in jure refrigerato ſolet apparere, vel guttæ olei ſimilis.

Int. A quà cauſa oritur?

R. A colliquatione adipis ſolet fieri, vel ab admixtione materiæ pinguis, aut oleoſæ.

Int. A quà cauſa fit colliquatio?

R. Colliquatio accidere ſolet ob ingentiſsimum, & ardentiſsimum calorem; vel ob acredinem nimiam humorum.

Int. Quà autem ratione diſtinguemus urinam pinguem ortam à colliquatione totius corporis, ab illa, quæ ſolummodò à colliquatione alicujus partis fit nempè à renibus?

R. Si urina nimis pinguis apparet, à colliquatione adipis renum oritur; ſi verò non ita, ſoboles eſt colliquationis totius corporis.

Int. Urina pinguis ſemper eſt productum colliquationis?

R. Quod non, nam aliquandò coctionem craſſorum humorum denotat, quorum portio pinguis cum urina excernitur; ut videre eſt, ſi in homine ſano appareat.

Int. Si in urina arenulæ minimæ appareant viſcido cuidam annexę, ſicque effingentes ſpeciem membranulæ oleoſæ, quid denotant?

R. Denotant abundantiam terrę, & ſalis hebetioris in ſanguine: præſagint hinc ſcorbutum, calculos, & ſimilia.

Int. Quid eſt urina *naturalis*?

R. Eſt illa, quę mediocris eſt in ſubſtantia, in colore ſubrufa, ſubpallida, vel ſubflava; & ſedimentum obtinet album, læve, & æquale; ac tandèm in quantitate reſpondet aquæ epotæ.

Int. Quid obſervandum venit in urinæ inſpectione?

R.

R. Primò obſervandum venit, urinam variare quoad colorem, conſiſtentiam, & contenta, quoad temperamentum, ætatem, ſexum, graviditatem, tempus anni, regionem, ſex res non naturales, prout calidos, vel frigidos producunt effectus, cruditatiſque copiam, vel inopiam. II. Excipiendam eſſe manè, coctione ſcilicet abſoluta. In paroxiſmis febrium nihil exinde judicare licet ob durantem adhuc fermentationem. III. Obſervandas cauſas extrinſecas urinam mutantes; ſic Rhabarbarum, & crocus flavam, caſsia vero nigram reddere obſervatur. IV. Una vice emiſſam ſimul excipiendam. V. Integrum judicium de ea non afferendum, niſi ſubſederit. Ex *Avicena* ante horam non inſpicienda, uti nec poſt horas ſex.

VI. Cavendum ne à frigore, vel calore turbetur, turbata in aqua calida ſolvenda, & inquiete relinquenda, utile eſt etiam turbatam inſpicere. VII. Inſpiciendam urinam, nec in loco nimis luminoſo, nec nimis umbroſo; utile eſt locum, & ſitum vitri quandoque mutare, nec nimis longè amovere. VIII. Soli urinæ inſpectioni non fidendum eſſe; uti nec uni teſti in civilibus. IX. Ex ejuſdem inſpectione colligi. I. Rationem chylificationis, ſeu digeſtionis in ſtomacho, ac perfectionem in inteſtinis. II. Statum ſanguinis, prout ex fermentatione reſultat; ideòque recrementa, vel naturalia ſulphureo-ſalina, vel præternaturam multifaria ſeparat, & præcipitat. III. Diſpoſitionem renum, & meatuum, per quos defluit. IV. Affectus quandoque partium mittentium materiam ſuam ad urinam, vel partium, ad quas transfertur, vel regurgitat urina. V. Coctionem, vel cruditatem, præſertim in febribus: tum etiam ſtatum ſecretionis, & criſeos. Cætera, ſi ſola ex urina conjiciuntur admodum incerta, & ferè ridicula ſunt.

CAPUT QUINTUM.

DE SIGNIS DIAGNOSTICIS, *& prognoſticis, quæ deſumuntur ex pulſu.*

Int. QUid eſt *Pulſus?*

R. Eſt actio peculiaris, præcipuè cordis, deinde arteriarum, quæ dilatatione, & compreſsione moventur à facultate vitali, quo caloris nativi mediocritas retineatur, generenturque in cerebro ſpiritus animales. Vel juxta RR. *Eſt motus arteriæ, potiſsimum in carpo manus, digitis perceptibilis, dilatatione, & contractione conſtans, provenienſque à ſpiritibus animalibus influentibus, cor, & arterias ritè moventibus.*

Int. Facultas movens cor, & arterias, quæ vocatur pulſatilis, eſt animalis, vitalis, aut naturalis?

R. Juxta AA. referenda eſt ad facultatem naturalem compoſitam ex facultate attractrice, & expultrice, vitalis non princeps appellata, quæ utitur pro inſtrumento, ſiniſtro cordis ventriculo, & arteriis ipſis, ut dilatatione attrahat, & media contractione expellat. Juxta RR. vero communis fert opinio, quod cor movetur à facultate animali; ab influxu nempè ſpirituum animalium, à cerebro ad cor per nervos, ut cæteri muſculi moventur.

Int. Cur *pulſus* à natura conſtat duplici motu, dilatatione, ſcilicet, & compreſsione?

R. Juxta AA. quia cor petit attemperari, fuliginoſa excrementa debent expelli; ſicque à natura media dilatatione attrahitur aer ab arteriis, tranſpiratione per cutim facta, qui perveniens ad cor ipſum quodammodò refrigeratur: media vero compreſsione fuliginoſa excrementa ex corde foràs expelluntur. RR. vero aſſerunt, quod cum vita animalis in motu circulari ſanguinis conſiſtat, cum iſte vero ſine ſyſtole, & diaſtole ullo modo fieri poteſt; ideò à natura neceſſa-

ſa-

ſarii ſunt ad ſubſtinendam vitam, & præſervandas partes à corruptione.

Int. Syſtole, & Diaſtole, ſeu dilatatio, & compreſsio fiunt à duplici facultate, vel ab una tantùm?

R. Ab una ſolùm facultate fiunt motus hi; nam licet ſint actiones, ſeu motus contrarii, una, & eadem facultas circa diverſa inſtrumenta, diverſas efficere poteſt actiones: cum enim dilatationi cordis fibræ rectæ deſerviant, compreſsioni vero fibræ obliquæ, inde eſt, quod ab una fieri poſſunt facultate. RR. vero aſſerunt, quod hi duo motus, ſyſtole nempè, & diaſtole à duplici fiunt cauſa; ſyſtole ab ſpiritibus animalibus per nervos confluentibus in fibras cordis, & arteriarum, illas dilatando, brevioreſque efficiendo; diaſtole verò à ſanguine in ventriculis cordis, & cavitatibus arteriarum ingrediendo, nam cor, & arteriæ dilatantur, quia implentur; minimè verò implentur, quia dilatantur.

Int. Quando cor dilatatur, ſimul dilatantur arteriæ, vel compreſſo comprimuntur?

R. Ex AA. aliqui ſentiunt, quod dilatato corde, arteriæ dilatantur; alii vero contrariam tuentur ſententiam. Juxta RR. vero valdè receptiſsimum eſt, quod dilatato corde, comprimuntur arteriæ, & eo compreſſo arteriæ dilatantur, quod variis experimentis ſtabilitum habent.

Int. Quot ſunt fontes, ex quibus ſumuntur differentiæ pulſuum?

R. Septem ſunt, nam cum pulſus ſit motus localis, quidquid de hoc in univerſum negari, & affirmari poſsit, illud etiam de pulſu negari, & concedi debet: Ad motum enim localem requiruntur I. *Movens.* II. *Spatium*, per quod fiat motus. III. *Tempus*, quod inpendunt corpora in ſpatii tranſitu. IV. *Quies*, ſi motus eſt compoſitus ex contrariis. V. *Inſtrumentum*, ſeu *mobile*, per quod motus perficitur. VI. *Proportio.* VII. denique, *ordo*, ſeu *ordinis perturbatio*, ſi motus eſt compoſitus ex contrariis.

Int. Quæ differentiæ ſumuntur à *motore*, ſeu *qualitate ictus*?

R. Duæ, ſcilicet *vehemens*, & *languidus*.

Int. Quid eſt pulſus *vehemens*?

R. Ille dicitur, qui tangenti digitos validè ferit.

Int. Quomodò cognoſcitur pulſus *vehemens*?

R. Cognoſcitur ex eo, quod ſi arteria firmiter comprimatur, tangenti digitos impellat, & quo magis comprimitur, eo magis tactum impellit, & vehementiùs percipitur, dummodò compreſsio modum non excedat.

Int. Pulſus *vehemens* dicitur etiam fortis?

R. Quod dicitur *fortis*, quia in utroque pulſu ſanguis intrà arterias cum multo motus gradu impellitur.

Int. In quo ergo differunt pulſus *vehemens*, & *fortis*?

R. In eo, quod licet in utroque adſit validius arteriæ ictus, attamen in vehementi præter fortiorem hunc impulſum, ſimul aliquam celeritatem involvit; ſicque omnis pulſus vehemens eſt fortis, ſed non omnis fortis eſt vehemens.

Int. Quid requiritur ad pulſum vehementem?

R. Requiritur valida facultas, hoc eſt ſufficiens ſanguinis quantitas, & valida cordis ſyſtole, vel contractio; nam licet adſit ſufficiens ſanguinis copia, ſi cor validè non contrahitur, arteria validè non ferit tactum; & nec contra, licet cor validè conſtringatur, ſi ſanguinis copia deficiat, arteria valido ictu non ferit tactum, ſicque vehemens non erit.

Int. Quid pulſus vehemens denotat?

R. Significat vim validam cordis contracti muſcularem; adeóque etiam valorem cauſæ contrahentis, id eſt validum, ſatiſque copioſum influxum ſpirituum è cerebro in fibras cordis. II. Copiam ſanguinis, multas particulas volatiles, fermenteſcibiles, facilèque rarefacibiles in ſe continentis. III. Circuitum, & ſecretionem humorum benè procedere.

Int. Quis eſt pulſus *languidus*, ſeu *debilis*?

R.

R. Ille, qui imbecilliter, ſeu remiſsè digitos percutit.

Int. A quà causà oritur?

R. A parſimonia ſanguinis, & ſpirituum; vel à ſanguine inepto ad fermentationem ob particularum terreſtrium craſsitiem.

Int. Quid denotat?

R. Languentem, vel minus potentem fermentationem, ſpirituum deffectum, & humoris acido-auſteri, & ſalini abundantiam.

Int. Quis eſt pulſus *magnus*?

R. Eſt ille, qui magnum occupat ſpatium, vel qui in trinam dimenſionem augetur, nempè in longitudinem, latitudinem, & profunditatem.

Int. A quà causà oritur pulſus *magnus*?

R. Pulſus magnus fit à ſanguine, vel immoderata quantitate, admodùm verò turgefacto, ſive eximiò orgaſmo conſtituto; vel à majori quantitate intrà arterias à corde impulſa: adeòque magnum ſpatium ſub digito explorante opplet.

Int. Quid denotat pulſus *magnus*?

R. Denotat I. Copiam ſanguinis. II. Vim cordis. III. Arteriam liberam, & contractibilem eſſe. IV. Circulationem, & debitam humorum ſecretionem.

Int. Quis eſt pulſus *parvus*?

R. Eſt ille, in quo arteria dum dilatatur in trinam dimenſionem minuitur, vel qui minus occupat ſpatium.

Int. A quà cauſa oritur pulſus *parvus*?

R. Oritur, vel à jactura ſanguinis arteriam non dilatante, vel à debili ſyſtole cordis, ob debilem influxum ſpirituum animalium, vel ob atoniam fibrarum ejus.

Int. Quid denotat pulſus *parvus*?

R. Significat omnia contraria, quæ pulſus magnus.

Int. Quis eſt pulſus *plenus*?

R. Ille dicitur, qui ob copioſiorem ſanguinis impulſum in arterias, & tranſitum per illas, admodùm eaſdem extendit, atque opplet, ſed paulò tardius ſub digito decurrit.

Int. Quid eſt pulſus *vacuus*?

R.

R. Ille eſt, qui ſubtiliter per arterias repit, & communiter cum debilitate conjungitur; adeóque ægrius percipitur: qualis obſervatur poſt gravem ſanguinis jacturam.

Int. Pulſus magnus, & plenus in quo differunt?

R. In eo, quod magnus ordinariam rationem temporis, quoad tranſitum ſuum ſub digito non excedit: Plenus verò paulò tardiùs ſub digito decurrit.

Int. Si arteria tribus donatur dimenſionibus, quæ differentiæ pulſuum ab illa ſumuntur?

R. Novem, nempè, ex longitudine, *longus*, *brevis*, & *mediocris*. Ex latitudine, *latus*, *anguſtus*, & *mediocris*. Ex profunditate, *altus*, *humilis*, & *mediocris*.

Int. Quid eſt pulſus *longus*?

R. Eſt ille, qui ferit très, aut quatuor digitos, quando arteria dilatatur.

Int. Quid eſt pulſus *brevis*?

R. Eſt ille, in quo arteria ſolùm attingit unum, vel alterum digitum. Juxta RR. vero pulſus longus ille dicitur, in quo cor ſub longiori mora contrahitur, neque ſanguis ſimul, & ſemel in arterias effunditur; adeòque ſub digito longiùs, & diutiùs percipi queat; qualis interdùm occurrit in ſubjectis melancholicis, in vera melancholià, in polipo cordis, in vomica pulmonum, &c. Brevis tamen, contra ſub digito transfugit, neque ullam moram nectit, ſed quaſi ſemel in initio impulſus ſui perceptus, mox fugit, atque deperditur.

Int. Quid eſt pulſus *latus*?

R. Ille eſt, in quo arteria plures partes digitorum attingit; ita ut ferè totam pulpam eorum adimpleat.

Int. Quid eſt pulſus *anguſtus*?

R. Anguſtus contrario modo ſe habet; hoc eſt, *quàm pauciores partes pulpæ digitorum arteria ferit.*

Int. Quid eſt pulſus *altus*?

R. Ille dicitur, quando arteria gibboſa, ſeu convexa tactui ſe offert.

Int. Quid eſt pulſus *humilis*?

R. Eſt ille in quo arteria percipitur plana, & non convexa.

Int. Quæ differentiæ pulſuum ſumuntur à *qualitate motus?*

R. Sumuntur tres, ſcilicet *celer*, *tardus*, & *mediocris.*

Int. Quid eſt pulſus *celer?*

R. Ille dicitur, qui breviori tempore æquale ſpatium percurrit; vel *qui æquali tempore majus percurrit ſpatium*; vel ſecundùm *Fernelium*, *ille eſt, qui brevi tempore arteriam diſtendit.*

Int. Quid eſt pulſus *tardus?*

R. Eſt ille, in quo arteria longiori tempore æquale ſpatium; vel *æquali tempore minus ſpatium percurrit*; vel *qui longo tempore arteriam dilatat.*

Int. Quid eſt pulſus *mediocris?*

R. Ille dicitur, qui mediocritatem ſervat.

Int. Si difficilè eſt dignoſcere proportionem, quæ reperitur inter tempus, & ſpatium, quoniam ſpatium tactu cognoſci non poteſt, ex quo alio capite dignoſcemus pulſum celerem, & tardum?

R. Dignoſcemus has ſpecies pulſuum, ex impetu ſcilicet, & exſolutione ipſius arteriæ, quando movetur; nam ſi arteriam magno cum impetu moveri perceperimus, talem pulſum, celerem eſſe judicamus: quod ſi arteriæ motus fuerit exſolutus, & remiſſus tardus appellabitur pulſus.

Int. Quæ differentiæ pulſuum ſumuntur à *qualitate corporis arteriæ?*

R. Tres, ſcilicet, *durus*, *mollis*, & *mediocris.*

Int. Quid eſt pulſus *durus?*

R. Ille dicitur, in quo arteria durior, rigidiorque tactui ſeſe offert.

Int. Quid eſt pulſus *mollis?*

R. Eſt ille, in quo arteria blanda, ac mollis tactui ſeſe offert.

Int. Quid eſt *mediocris?*

R. Qui medio modo ſe habet inter duritiem, & mollitiem.

Int. Ex quo dignoſcuntur pulſus *durus*, & *mollis?*

R. Ex eo, quod in pulſu duro, arteria tangentis digitorum pulpam excavat; in molli vero arteria excavatur à tactu.

Int.

Int. A quibus cauſis fieri poteſt pulſus *durus*?

R. Fieri poteſt, I. propter tenſionem arteriæ: quandocumque enim à nimio dolore, ſpaſmo, vel convulſione nimis tenſæ, duræ, & renitentes arteriolarum evadunt tunicæ, ut renitentia quadam, ſenſum tactus feriant, dicitur pulſus durus, II. Maximam exſiccationem, ut in hectica, & maraſmo. III. vero, ob arteriæ refrigerationem. Mollis autem fit pulſus, ſi fibræ tunicarum in arteriis, flacidæ, remiſſæ, humidæque ſint.

Int. Quid pulſus durus ſignificat?

R. Denotat I. Membranam arteriæ, ſicciorem naturali conſtitutione. II. Obſtructiones in vaſis minimis, membranas arteriarum contexentibus. III. Arterias plenas eſſe. IV. Vaſa capillaria, inflammatoria tenacitate eſſe obſtructa. V. Cruorem valdè denſum, & compactum. VI. Circulationes, ſecretiones, & excretiones tardas.

Int. Quid ſignificat pulſus *mollis*?

R. Mollis autem pulſus omnia contraria ſignificat; ſed tamen in *Peripneumonia* maximè fallit.

Int. *A tempore*, quo quieſcit arteria, quæ differentiæ pulſuum ſumuntur?

R. Tres, *frequens*, *rarus*, & *mediocris*.

Int. Quot ſunt quietes in pulſu?

R. Duæ, una *interna*, quæ eſt illud ſpatium temporis, quo quieſcit arteria poſt compreſsionem: alia *externa*, quæ eſt illud ſpatium temporis, quo quieſcit arteria poſt dilatationem.

Int. Quid eſt pulſus *frequens*?

R. Eſt ille, in quo quietis tempus breve eſt.

Int. Quid eſt pulſus *rarus*?

R. Eſt ille, in quo quietis tempus longum eſt.

Int. Quotuplex eſt pulſus *frequens*, vel *rarus*?

R. Duplex, *ſimpliciter*, vel *ſecundùm quid*.

Int. Quid eſt pulſus *frequens ſimpliciter*?

R. Eſt ille, in quo quietis tempus in utraque quiete breve eſt: Secundùm quid verò, *in quo quietis tempus, in unâ ex quietibus breve eſt.*

Int. Quid eſt pulſus *rarus ſimpliciter*?

R. Ille dicitur, in quo quietis tempus, in utraque quiete longum eſt: Secundùm quid autem, *in quo in una tantum quiete longum eſt, in alia vero breve.*

Int. Quibus in morbis reperitur pulſus frequens in quiete internà.

R. Juxta AA. in illis in quibus maximè urget uſus refrigerationis, ut in morbis oriundis à nimià intemperie calidà; nam in iis arteria parum detinetur poſt compreſsionem, ut aer frigidus attrahatur, qui calorem nimium temperare valet.

Int. In quibus morbis fit pulſus frequens in quiete externà?

R. Illis in quibus urget uſus expellendi fuliginoſa, putridaque excrementa, ut in febribus putridis; nam in his parum detinetur arteria poſt dilatationem, ſtatimque natura apponit compreſsionem, ut ſe liberet à fuliginibus tetris.

Int. Ex quo ſigno dignoſcitur pulſus *frequens*?

R. Dignoſcitur ex eo, quod inter utrumque arteriæ ictum parum temporis comprehendatur; ſi verò, multum, rarum eſſe judicandum.

Int. Quid ſignificat pulſus *rarus*?

R. Denotat I. Tardiores contractiones cordis. II. Tardiores influxus ſpirituum animalium per nervos in fibris cordis. Pulſus autem frequens deſignat contraria, ut acrimoniam humorum, ſpiritus animales agitatos, febres, phrenitidem, &c.

Int. Quibus notis differt pulſus *fortis* à pulſu *impetuoſo*?

R. Differt in eo, quod pulſus impetuoſus non modò quo ad gradum validus, & potens eſt, ſed ſimul eſt repentinus, atque velox, ita ut de forti, & celeri participet, quod non evenit forti, cùm celer non ſit, & ſolum ictum validum obtineat.

Int. In quo differt pulſus *fortis à magno*?

R. In eo, quod magnus propriè verſatur circa ſpatium, quod movetur arteria; fortis vero circa gradum

mo-

motus, ſive valorem, & vigorem; unde pulſus fortis eſſe poteſt, qui neque impetuoſus, neque magnus ſit; ſicut etiam magnus interdum eſſe poteſt, qui non fortis ſit.

Int. In quo differt pulſus *magnus* à *pleno*?

R. Differt in eo, quod plenus communiter conjunctus eſt cum aliquali arteriæ tenſione, ſeu duritie: magnus vero cum mollitie apparet.

Int. In quo differt pulſus *fortis* à pulſu *celeri*?

R. In eo, quod *fortis* dicitur ratione virium, à quibus fit: *Celer* vero infert tempus, quod inſumit arteria in ſuo motu: hinc *celer* pulſus eſſe poteſt, qui ſimul debilis ſit, & *fortis* eſſe poteſt, licet *tardior* exiſtat.

Int. In quo differt pulſus *debilis* à pulſu *molli*?

R. In eo, quod pulſus debilis, virium ſive activitatis deffectum involvit: mollis vero ſufficienti ſæpè robore præditus eſt.

Int. In quo differt pulſus *durus* à pulſo *valido*, vel *vehementi*?

R. In eo, quod pulſus *vehemens*, digitos arteriam prementes repellit, validuſque incurſus in eis percipitur, ſi magis prematur: in *duro* verò, licet reſiſtentia inveniatur, non tamen repulſus, aut incurſus reperitur.

Int. Quæ differentiæ pulſuum ſumuntur ab *æqualitate*, vel *inæqualitate*?

R. Duæ, nempè *æqualis*, vel *inæqualis*.

Int. Quid eſt pulſus *æqualis*?

R. Ille dicitur, in quo omnes pulſationes, ordine ſe conſequentes, paritatem ſervant in gradu impetus, & ſpatio temporis, quod inter duas quaſque pulſationes excurrit.

Int. Quid eſt pulſus *inæqualis*?

R. Ille eſt, in quo omnes pulſationes mutuò ſe ſubſequentes æqualitatem non ſervant in impetus gradu, in ſingulis ictibus, neque inter duos quoſque ipſorum idem tempus excurrit.

Int. Quotuplex eſt *æqualitas*, vel *inæqualitas* in pulſu?

R. Duplex, aut fit in una pulſatione, quæ caret nomine, vel fit in pluribus, quæ *collectiva* vocatur.

Int. Pulſus *æqualis*, aut *inęqualis*, *æqualitate*, vel *inæqualitate collectiva*, quotuplex eſt?

R. Duplex, *ſimpliciter*, & *ſecundùm quid.*

Int. Quid eſt *pulſus æqualis æqualitate collectiva ſimpliciter*?

R. Eſt ille, qui in omnibus ſuis pulſationibus, & differentiis pulſuum æqualitatem ſervat.

Int. Quid eſt pulſus inæqualis inæqualitate *collectiva ſimpliciter*?

R. Ille dicitur, in quo non ſolum inæquales ſunt omnes differentiæ pulſuum, ſed etiam omnes pulſationes.

Int. Quid eſt pulſus æqualitate collectiva *ſecundùm quid*?

R. Ille dicitur, qui in omnibus differentiis, aut pulſationibus non ſervat æqualitatem.

Int. Quid eſt pulſus inæqualis inæqualitate collectiva *ſecundùm quid*?

R. Ille eſt, qui in pluribus pulſationibus ſervat æqualitatem; in una verò inæqualitatem.

Int. Pulſus inæqualis inæqualitate collectiva quotuplex eſt?

R. Duplex eſt, *æqualiter inęqualis*, & *inęqualiter inæqualis.*

Int. Quid eſt pulſus *æqualiter inæqualis*?

R. Eſt ille, qui in ſua inæqualitate aliquam ſervat æqualitatem in tempore ictuum; ita ut paulatim ſuam amittat magnitudinem, & ad ſummam deveniat parvitatem.

Int. Quomodò vocatur hic pulſus?

R. Dicitur *miurus*, *mutilis*, vel *decurtatus.*

Int. Si hic pulſus ad tantam perveniat parvitatem, ut ſenſum eludat, vel verè deficiat, quomodò vocatur?

R. Dicitur *minutus*, *decurtatus*, & *deficiens.*

Int. Si pulſus non deveniat ad tantam diminutionem,

nem, ut planè deficiat, ſed in poſtrema parvitate perſeveret, quomodò vocatur?

R. Hic pulſus nomine caret.

Int. Quotuplex adhuc eſt pulſus, qui ad extremam parvitatem devenit?

R. Duplex eſt, vel enim ſervat paritatem in ea parvitate, quam adquiſivit, vèl augetur: ſi augeatur, vocatur *decurtatus reciprocus.*

Int. Si pulſus planè deficiat, cæterum poſt aliquod tempus iterum appareat, quomodò vocatur?

R. Dicitur *pulſus recurrens.*

Int. Quid eſt pulſus *inæqualitèr inęqualis*?

R. Eſt ille, qui in ſua inæqualitate nullam ſervat æqualitatem.

Int. Quotuplex eſt pulſus *inæqualitèr inęqualis*?

R. Duplex eſt, *intercurrens*, & *intermittens.*

Int. Quid eſt pulſus *intercurrens*?

R. Ille eſt, in quo inter duas pulſationes naturales una prętêr naturam reperitur.

Int. Quid eſt pulſus *intermittens*?

R. Eſt ille, in quo poſt aliquod temporis intervallum quo quievit arteria iterùm movetur.

Int. Quotuplex eſt pulſus *intermittens*?

R. Duplex, *reciprocus*, & *non reciprocus.*

Int. Quid eſt pulſus *reciprocus*?

R. Ille eſt, in quo etiam ſi arteria quieſcat, iterùm ad ſuum motum revertitur.

Int. Quid eſt *non reciprocus*?

R. Eſt in quo nullomodò revertitur arteria ad ſuum motum.

Int. Quid eſt pulſus *ordinatus*?

R. Eſt ille, qui in ſua inæqualitate ordinem ſervat in circuitibus.

Int. Quid eſt pulſus *inordinatus*?

R. Eſt ille, qui in ſua inęqualitate nullum ſervat ordinem in circuitibus.

Int. Quotuplex eſt inæqualitas, quæ in uno ictu, vel pulſatione reperitur?

R. Duplex eſt; prima enim accidit in una parte arteriæ, conſideratis partibus illius motus. Secunda accidit in diverſis partibus arteriæ.

Int. Quotuplex eſt inæqualitas, quæ in diverſis arteriæ partibus accidit?

R. Duplex eſt, prima fit, quia arteria diverſum ſitum obtinet in motu; ſecunda, quia in diverſis partibus arteriæ variæ differentiæ pulſus inveniuntur, ſi arteria diverſimodè moveatur.

Int. Quæ differentiæ inæqualitatis oriuntur à diverſo modo motus arteriæ?

R. Sex oriuntur differentiæ, ut ſi una pars arteriæ ſurſum feratur, alia deorſum, una antrorſum, alia retrorſum; una dextrorſum, alia ſiniſtrorſum moveatur.

Int. Inæqualitas, quæ accidit in uno pulſu, & in una parte arteriæ quotuplex eſt?

R. Triplex, vel enim ex ea naſcitur pulſus *intercisus*, ſeu *interruptus*, qui idem ſunt; vel naſcitur pulſus *recurrens*, vel pulſus *continuus diſpar.*

Int. Quid eſt pulſus *interruptus*?

R. Ille dicitur, qui non poteſt unica vice ſuum motum abſolvere, ſicque ejus motus in medio itinere interrumpitur, iſte etiam dicitur *caprizans*, *dicrotus*, & *imparcitatus*, quia omnibus his commune eſt, ut in unica pulſatione videatur bis in digitum incurrere.

Int. A quà causà fiunt hi pulſus?

R. Fiunt quoties obſtructio datur in omnibus arteriis capillaribus, quæ ſanguinem affluentem derivationem in venas impedit, & reliquę canales non ſunt ita infarctæ, ut dilatari ulteriùs non poſsint; tunc etenim ſtatim, ac ſanguis pervenit ad obſtructionis obicem, refluit per reflexionem in canales ampliores, qui cum adhùc extendi poſſunt, ipſum admittunt: unde quemadmodum in influxu ſanguinis á corde verſus ſummas arterias fit pulſus, ita etiam ipſe refluxus pulſum excitat: Cum enim non refluit in eodem puncto temporis, quo affluit, videtur arteriam vis pulſare.

Int. Quid eſt pulſus *recurrens*, ſeù *repetens*?

R.

R. Ille dicitur, in quo variæ, & multæ fiunt mutationes in una pulſatione, ipſas tamen nulla manifeſta dirimit quies.

Int. Quid eſt pulſus *dicrotus?*

R. Ille dicitur, qui bis pulſat, ſeù bis ferit.

Int. Quid eſt pulſus *continuus diſpar?*

R. Ille eſt, in quo prima pars dilatationis celeriùs, ſecunda tardiùs, aut è contra movetur arteria.

Int. Quot differentiæ pulſuum ſumuntur ab inæqualitate compoſita?

R. Quatuor ſunt, quæ quidèm hæc nomina obtinent pulſus *undoſus*, *vermicularis*, *formicans*, & *hecticus.*

Int. Quid eſt pulſus *undoſus*, ſeu *undulatorius?*

R. Ille dicitur, qui tardiùs arteriam diſtendit, & undarum inſtar progreditur; qui oritur à ſpiſſa ſanguinis conſiſtentià, quando ſanguis ſub paulò impeditiori ſuo progreſſu latera arteriarum durius attingit, eadem magis elevat, & undulationis motum præſentat.

Int. Quid eſt pulſus *vermicularis?*

R. Ille dicitur, qui magnitudine ab undoſo differt, vermi proreptanti ſimilis.

Int. Quid eſt pulſus *formicans?*

R. Ille dicitur, qui tam frequens, & debilis eſt, ut videatur frequentiam ſimilem eſſe brevitati temporis, quo formicæ progredientes, alternè pedes ſuos agunt.

Int. Quid eſt pulſus *hecticus?*

R. Ille dicitur, qui in ſua inæqualitate perpetuò ſibi ſimilis perſeverat, & numquam immutatur.

Int. Quid eſt pulſus *tremulus?*

R. Ille dicitur, qui formicante minor, atque frequentior eſt, obſervaturque quandò cor ſimili motu tremulo affectum eſt: ut in gravi terrore, profundo timore, & angore, internis convulſionibus, cordis polipo, &c.

Int. Quid eſt pulſus *ſerratus?*

R. Ille eſt, qui inæqualiter ſerræ inſtàr, pulpam digitorum ferit.

Int. Quid eſt pulſus *Rhythmus?*

R. Ille dicitur, qui ſervat proportionem inter dilatationem, & compreſsionem.

Int. Quid eſt pulſus *Arhythmus*?

R. Ille eſt, qui talem proportionem non ſervat.

Int. Quid tenendum eſt circa has numeratas pulſuum differentias?

R. Magna in Scriptoribus circa hanc materiam invenitur varietas opinionum. AA. innumerabiles pulſuum differentias inſinuant, quæ planè inutiles, & ſubtilitatibus multis metaphyſicis refertæ ſunt; quarum plurimæ ſpecies, nec tactu percipi, nec intellectu poſſunt comprehendi. Alii ex adverſo, nimium conſtringunt pulſuum differentias, & duas, vel tres tantum in praxi admittere volunt. Nonnulli certas pulſuum ſpecies pro una, eademque habent, cum alij contra diſtinctionem harum in praxi perneceſſariam urgeant.

Res eſt clara in pulſu *celeri*, & *frequenti*, ubi plurimi Recentiorum, unum, eumdumque pulſum ſic dici poſſe, firmiter aſſeruerunt: Alii, in praxi maximum momentum in horum diſtinctione verſari contendunt. Alii pulſum vehementem, fortem, magnum, & celerem pro una, eademque ſpecie habent, quas tamen ſeparatas ſpecies eſſe, alii volunt. Origo, ac fons harum diſſenſionum ex eo provenire videtur, quod veteres ſanguinis circularem ignoraverint motum, & pulſuum differentes ſpecies excogitaverint, deſumpſerintque illas ex ſpeculativis differentiis corporis cujuſdam ſolidi impulſi, ſeu moti.

Ex RR. aliqui pulſuum differentias ſecundùm mechanicas rationes, & leges breviter enumerant, quo liquidò appareat, quàm paucæ pulſuum ſint, & reverà exiſtant ſpecies, unde ſuam appetant originem, & quàm maximum uſum eorum exactior notitia in praxi obtineat. Sentiunt itaque, quod quemadmodum in mechanicis non niſi duæ ſpecies ſimplices, & genericæ motuum dantur; motus nempè magnus, & celer, cui parvus, & tardus opponuntur: ita etiam duo tantum in genere pulſus, magnus ſcilicet, & celer,

ler, hiſque oppoſiti tardus, & parvus præſtò ſunt.

Stabiliunt igitur, pulſum magnum eſſe appellandum, quandò ab inſigni copia ſanguinis, à contractione cordis in arterias intruſa, arteria amplius diducitur, ac elevatur; parvus viciſsim, ubi ab exigua portione immiſsi cruoris non adeò ampliatur. Celer verò pulſus eſt dicendus, quandó brevi temporis ſpatio, arteriæ dilatatio perficitur; tardus contrà, ſi longior temporis intercapedo ictus intercedit. Ex binis his ſpeciebus compoſitis, alia emergit, vehementia nempè, atque debilitas; ita quidem, ut celeritas cum magnitudine conjuncta, vehementiam; parvitas verò, & tarditas debilitatem conſtituat.

Frequentia vero, & raritas, itèm æqualitas, & inæqualitas non ſunt eſſentialitèr affectiones motus, eo quod non de ſingulis motibus, ſed tantummodò de ſucceſſu, & ſerie eorumdem prædicari queunt; & frequentia quidèm de numero majori ictuum, raritas de minori, æqualitas, & inæqualitas, itèm intermiſſio de ordine, & ſucceſſu motuum. Neque etiam durities, & mollities de eſſentia motuum eſt, ſed tantummodò diſpoſitionem corporis, quod movetur denotat. Reliquę omnes pulſuum ſpecies ſunt fictitiæ, quæ reverà non dantur, neque mente concipi, neque explicari poſſunt; licèt minimè negandum diverſos magnitudinis, & parvitatis, item celeritatis, & tarditatis, vehementiæ quoque, & debilitatis, eſſe gradus.

Proindè vehementèr utique ii errant, qui diſcrimen comminiſcuntur inter pulſum parvum, humilem, contractum, obſcurum, latentem, anguſtum, conciſſum, & profundum, quam non niſi una ſpecies ſit, & à parva elevatione arteriæ proveniat; & ſiquidèm diſtinctio facienda, parvus minor, & minimus, rectiùs dicetur. Ejuſdem notæ eſt diſcrimen, quod nonnulli inter magnum, plenum, amplum, & manifeſtum, necnón vehementem, impetuoſum, robuſtum, fortem, & valentem eſſe volunt, utpotè priores denominationes, omnes non niſi magnam, vel

ma-

majorem arteriæ expanſionem, & poſteriores, amplam cum celeritate factam dilatationem produnt.

Illi verò Galenicorum pulſus, Myurus, formicans, vermicularis, tremulus, caprizans, ſerratus, dicrotus, & undoſus, non niſi ſpecies ſunt pulſuum magis, vel minus inæqualium, qui pro varia mixtione, ordine, & ſucceſſu variant; ita ut mox parvus, mox magnus, poſt celer, vèl tardus ictus percipiatur. Secundùm verò doctiſsimum *Bellinum*, hæ ſpecies pulſuum, potiùs ſunt opus digitorum inæqualiter arteriam præmentium, quàm alteriùs cauſæ.

AA. fideliter tam numeroſas, confuſas, vix explicabiles, & conceptibiles pulſuum ſpecies in ſcripta ſua ex *Galeno* tranſtulerunt, quæ non niſi ad ingentem tyronum Medicinæ confuſionem facere poſſunt; quodquidem ipſe *Galenus lib.* 1. *de Pulſuum doctrina*, pronuntiare non veritus eſt: totam in pulſibus addiſcendis eſſe difficultatem, obſcuritatem, ut tota hominis vita illorum cognitioni, atque exercitationi tribuenda videatur. Poſteà autem factum eſt, ut cùm has non in praxi deprehenderent, propterea multas rejiciendas eſſe ſolidè, ac doctè monuerint. Ita *Joan. Bapt. Montanus*, *conſil.* 256. de minoribus pulſuum differentiis in genere fatetur, ſe eas cognoſcere non potuiſſe, atque ſe credere ait, *Galenum*, cum iſta ſcripſerit riſiſſe; poſteaque addit, quod iſtæ differentiæ ratione, atque intellectu colligi poſſunt; tamen omnes tactu perceptibiles non ſunt.

Bartholomæus Schrvvalbus, dum valdè ſenex, & expertiſsimus eſſet, aſſerebat, contentum ſe eſſe tribus differentiis pulſuum, æquali, & inæquali, veloci, & tardo, valido, & debili. *Pemplius* in *Fundam. Medic.* docet, multa de pulſibus Medicos nugari, multaque mentem ingenioſam fingere, quæ ſenſus nequeant aſſequi. *Sylvius* pauciſsimo numero incluſit prolixas differentias pulſuum, & ad tria tantùm reduxit capita, nimirùm ad pulſus robur, magnitudinem, & frequentiam.

CAPUT

CAPUT SEXTUM.

DE CAUSIS PULSUUM.

Int. QUot ſunt cauſæ pulſuum?

Reſp. Aliæ ſunt primariæ, ſeu *generationis*, alię ſecundariæ, ſeu *alterationis*, & mutationis.

Int. Quę dicuntur cauſæ *generationis*?

R. Illæ, ex quibus tota pulſuum generatio, atque natura dependet.

Int. Quę vocantur cauſę *alterationis* pulſuum?

R. Illæ, quæ variare, non tamen generare valent pulſum.

Int. Quot ſunt cauſæ *alterationis* pulſuum?

R. Hæ, aliæ ſunt *prochatarthicæ*, ſive externæ, quia extrà corpus exiſtunt, ut aer, balneum, exercitatio, & id genus, quas Medici non naturales vocant; aliæ ſunt antecedentes, ſive internę, quę in noſtris corporibus inveniuntur, ut acrimonia humorum, multitudo, craſsities, item morbi, & ſympthoma.

Int. Quot ſunt cauſæ *generationis* pulſuum?

R. Tres, *facultas*, *inſtrumentum*, & *uſus*: *facultas* enim eſt illa virtus, à qua pulſus fiunt; inſtrumentum, eſt arterię corpus, quod denſis conſtat tunicis, & intùs cavum eſt; uſus denique, finis eſt, cujus gratia pulſus fit.

Int. Quotuplex eſt *uſus* pulſus?

R. Duplex eſt, alius caloris nativi conſervatio, alius verò ſpirituum vitalium, & animalium generatio: calor nativus conſervatur dilatatione refrigerante, ac flabellante; contractione verò, quod fuliginoſum eſt excernitur: ſpiritus autèm generantur ex aere, tanquam ex materia idonea, per dilatationem attracto.

Int. Quot ſunt differentiæ pulſuum, quæ à cauſis continentibus, ſeù generationis oriuntur?

R. Duæ, aliæ propriæ, & inſeparabiles ſunt, quæ ſem-

ſemper ab eadem cauſâ proficiſcuntur; aliæ veró familiares ſunt, quæ à pluribus cauſis fieri poſſunt : v.g. ex facultate, duplex naſcitur differentia pulſus, *vehemens* ſcilicet, ſi facultas eſt robuſta; familiaris verò, *magnus*, *celer*, & *frequens*. Imbecilla facultas proprium efficit pulſum *languidum*; familiarem verò pulſum edit, nempè *parvum*, *tardum*, & *crebrum*. Durum inſtrumentum, generat proprium pulſum *durum*; familiarem verò *parvum*, *tardum*, & *crebrum*. Uſus auctus, id eſt calor in corde auctus, nullum edit proprium pulſum familiarem tamen habet *magnum*, *celerem*, & *frequentem*. Uſus diminutus; proprium nullum itidèm obtinet, ſed familiares ei ſunt *parvus*, *tardus*, & *rarus*.

Int. Quænam ſunt cauſæ pulſuum generantes immediatè ex RR. mente?

R. Tres ſcilicet, primò ſpiritus animales in fibrillas cordis, & arteriarum influentes, haſque magis, vel minus contrahentes, ut cauſæ efficientes. Secundò, ſanguis plus minus mobilis, cor, & arterias diſtendens, ſicque ad contractionem irritans. Tertiò cor, & arteriæ, tamquam inſtrumenta.

Int. In omnibus individuis obſervatur unus, idemque pulſus?

R. Quod non. Quoniam pulſus à tono fibrarum muſculoſarum, à ſpirituum influxu, à ſanguinis natura, & temperie pendet, & hæc univerſa mirum variant in corporibus humanis ratione *ſexus*, *ætatis*, *temperamenti*, *temporum anni*, *regionum*, *vitæ generis*, *ſomni*, & *animi pathematum*; hinc etiam pro diverſa harum rerum conſtitutione variat, & differt multum inter ſe pulſus.

Int. Quò gaudent pulſu viri?

R. Ordinariò viri, mulieribus pulſum habent longè majorem, & vehementiorem; fœminę autem tardiorem, & debiliorem, utpotè viri firmioribus fibris, & ſanguine calidiori præ fœminis inſtructi ſunt.

Int. Infans, ſenex, & juvenis, quò donantur pulſu?

R. Infantis pulſus creber, atque mollis eſt, ob fibra-

brarum teneritudinem, & laxitatem: Senis contra, tardus, ac durus eſt, quia craſſum fovent ſanguinem, & rigidiores habent fibras: juvenis autèm pulſus, magnus, & vehemens eſt, ob ſpirituum copiam, & ſanguinis rarefactionem.

Int. Quis pulſus proprius eſt unicuique temperamento?

R. Pulſus temperamento calido proprius, ſolet eſſe *magnus*, & *frequens*: temperamento frigido, *parvus*, & *debilis*: Temperamento ſicco, *rarus*, & *duriuſculus*: Deniquè temperamento humido, *rarus*, *magnus*, & *mollis*.

Int. Quis pulſus accidere ſolet in *anni temporibus*?

R. In verè, *magnus*, & *vehemens*; in æſtate *celeriores*, & *debiliores* ſunt, quoniam à nimio calore langueſcit virtus, à nimio ſanguinis motu, & rarefactione: in autumno autem, pulſus *tardiores*, *molliores*, & *debiliores* fiunt. In hyeme, *duriores*, paulò *vehementiores*, & *tardiores*.

Int. Quem pulſum cient animi paſsiones?

R. Ira, *magnum*, *validum*, & *frequentem*: triſtitia, *parvum*, *debilem*, & *rarum*: Lætitia, *magnum*, *debilem*, & *æqualem*: Terror, *frequentem*, *parvum*, & *inæqualem*.

Int. Quam mutationem ſuſcipit pulſus à cauſis non naturalibus?

R. Exercitatio, pulſum edit *magnum*, *vehementem*, *celerem*, & *frequentem*, quia exercitatio juxtà AA. uſum adauget; juxtà RR. verò, circulum ſanguinis intendit: Otium autem *tardum*, *debilem*, ac *ſegnem* facit pulſum, quia otium uſum minuit juxta AA. Ex RR. verò doctrina ſanguinis circulum imminuit. A vigilia evidentior arteriarum ictus ſentitur; in ſomno verò tardior, & languidior eſt. Poſt ſumptum potum calidum, necnon poſt ingeſtum cibum, frequentiores fiunt pulſus. Regnante aere frigido, mox major tenſio arteriarum fit, major quoque vigor, & magnitudo in pulſibus cognoſcitur. Contrà verò, ſi atmoſphæra eſt den-

denſa, humida, pluvioſa, & auſtrina langueſcit pulſus, & minor redditur, ſimulque ſanguinis circuitus cum excretionibus impeditus ſuccedit.

Int. In medicamentis adeſt virtus, ſeu vis immutandi pulſum?

R. Quod vim habent immutandi pulſum: nàm fortiori purgante, pulſum duriorem, frequentiorem, & debiliorem reddi, quotidiana obſervatio docet. Medicamenta martialia, ſuo ſulphure metallico egregiè fibrarum, & canalium elaterem firmant, atque intendunt; unde ex eorum uſu, pulſus major, & robuſtior percipitur. Ab uſu corticis Kinę in intermittentibus die vacuo, ob arteriarum percuſſus, ſolet eſſe valdè tardus, parvus, & debilis: hoc propinato vegetius, & robuſtius micare incipiunt. Pharmaca, quæ ſale volatili oleoſo, & acri turgent, amplificant, & augent pulſum, atque cordis, & arteriarum diaſtolem, ob principium ſulphureum volatile, & expanſivum.

In imminente animi deliquio, arteriarum motus languidus, tardus, & parvus eſt, adhibitis autem balſamicis, & ſpirituoſis aromaticis mox immutantur, & augentur. Acida, & nitroſa, ſulphur ſanguinis figendo, corpus refrigerant, & reddunt arteriarum motum pacatiorem. Narcotica, pulſus ictum valdè parvum, & debilem efficiunt, ac vires proſternunt; quia ſulphure ſuo ſubtili vaporoſo, liquidum ſpirituoſum, quod vehunt nervi, figunt. A balneis tam ſiccis, & vaporoſis, quàm humidis, pulſum vehementer augeri certiſſimum eſt; etenim in ejuſmodi balneis à calore externo humido, major ſanguinis proritatur expanſio.

Int. Quiſnam pulſus ſignum pathognomicum *febris* eſt?

R. Non levem hac de re, intèr Medicos tam veteres, quàm recentiores vigere diſſenſum: dùm alii pulſum celerem, alii frequentem, alii cum *Galeno* pulſum celerem, & frequentem ſimul pro pulſu febrili, ſivè ſigno genuino febris venditant. Veriùs ita ſentiunt, qui pulſum frequentem, pathognomonicum febris ſignum

num eſſe aſſerunt; nam ex *Sylvio* in ſua Praxi, hoc unicum febri omni ſoli, & ſemper competens, ſignum eſt. Idem inſtituit *Etmullerus*, dum inquit: *Pulſus naturaliter frequentior rectè ſtatuitur ſignum pathognomonicum febrium.*

Int. Si frequentia eſt ſignum pathognomonicum *febris*, ſemper ac obſervatur frequentia, concludere debes, adeſſe *febrem*?

R. Si pulſuum frequentia orta eſt à cauſa externa, & aliunde non adſunt alia ſigna eſſentialia febris, ut horror, refrigeratio extremorum, neque aliqua arteriarum durities apparet, tunc pronuntiare debemus, talem frequentiam non eſſe ſignum febris; benè tamen ſi hæc dicta eam comitentur, aut præceſſerunt.

Int. Pulſus *undoſus* à quà oritur cauſa?

R. Juxta AA. oritur ab imbecillitate facultatis, ex humorum copia, vel à ſumma arteriarum mollitie.

Int. Pulſus *vermiculans*, à quà fit cauſá?

R. Fit ab imbecilli facultate, quæ arteriam uno, eodemque tempore totam attollere nequit, ſed attollit partem poſt partem, eamque exiguam, non ſicut in undoſo magnam.

Int. Pulſus *formicans* à quà oritur causà?

R. Formicantis eadem eſt cauſa, quæ *vermicularis*, ſed auctior, & gravior.

Int. Pulſus *caprizans* à quà fit cauſa?

R. Oritur à facultate validà, impeditâ, aut copià humorum, aut compreſsione, vel obſtructione arteriarum, ut continuum motum efficere nequeat.

Int. Pulſus *ſerratilis* à quà cauſa provenit?

R. Provenit à triplici causà, nempè à facultate oneratà, ab uſu adaucto, & ab inſtrumento duro.

Int. Pulſus *convulſivus* à quà naſcitur causà?

R. Naſcitur à convulſione nervorum; nam dum nervi contrahuntur, contrahuntur ſimul arteriæ, quia magna eſt nervorum, & arteriarum ſocietas, ob fibras nerveas, quas arterię à nervis ſuſcipiunt.

Int. Vibratus pulſus à quà causà fit?

R. Fit à tribus cauſis ſimul concurrentibus, ſcilicet; facultate valida, inſtrumento duro, neceſsitate ingenti, ideſt, uſu aucto.

Int. Quæ ſunt requiſita ad pulſum cognoſcendum neceſſaria?

R. Sex.

I. Ut Medicus pulſum ægroti non tangat, priuſquàm non omnia ex eò perceperit, & circa hunc contemplatus fuerit; nam pulſus res àdmodùm fallax eſt, atque ad corporis, & animi motus, ſubitò mutabilis; unde malè facit Medicus, ſi mox, ac ægrum accedit: pulſum ejus exploret, quia ſola ſolicitudo ægri dubitantis, quid Medicus de eo ſit judicaturus, pulſum immutat.

II. Medici manus ſit temperata, & ſæpiùs pulſum in utroque brachio exploret, quia obſervatum eſt in carpo dextro, pulſum fuiſſe optimum, & in ſiniſtro peſsimum.

III. Brachium ægri modicè contractum ſit, ſitum ſuper thoracem, nec moveantur reliquæ corporis partes.

IV. Carpo tres, vel quatuor digiti applicentur, ad ſtatum, & differentias pulſuum ritè explorandas: ſubinde etiam in temporibus tangendus, ad majorem ſecuritatem: caveat præterea Medicus, ne arteriam nimis comprimendo, ſeipſum decipiat.

V. Triplex tangendi modus notetur, ſcilicet comprimens pro vehementi, & duro, ſuſpenſus, pro debili, mediocris, pro mediocribus ſpeciebus cognoſcendis.

VI. Pulſus ſani ſæpè explorentur, & differentiæ pulſuum ſint notę, nec lateat, quoſdam homines à primo ortu obtinere monſtruoſum pulſum, v.g. intermittentem, vel aliter depravatum, vel in loco inſueto.

Int. Quid obſervandum circa pulſuum differentias?

R. I. Obſervandum, alterationes in pulſu non ſemper eſſe indicia ſtatus præternaturalis, ſed ſæpiùs ab animi affectibus, aut aliis rebus non naturalibus, originem trahere.

II.

II. Pulſus fortis, magnus, & æqualis ferè in omnibus morbis ſalutaris eſt, ſi reliqua conſentiant.

III. Pulſus *fortis* in morbis acutis ſi ad debilitatem deflectat, periculum minatur.

IV. *Debilis* pulſus ſemper eſt malus, in primis, ſi in morborum principio appareat: in morborum tamen fine periculum non portendit.

V. Quo magis *celer*, & *frequens* eſt pulſus in acutis, eò breviori tempore finiuntur.

VI. Pulſus moderatè celer, raro periculoſus eſt, ubi verò modum excedit, ac ſimul magnus, plenus, & durus redditur, plerumque inflammationis internæ prodromus eſt.

VII. *Tardus*, & *rarus* pulſus in acutis, ubi celeritate, & frequentia ob morbi magnitudinem opus erat, virium poſtrationem inſignem indicat, & hinc peſſimus eſt.

VIII. *Pulſus celer*, & *debilis*, ſi poſt modum durus cum aliqua tenſione redditur, podromus eſt, aut inflammationum, aut convulſionum læthalium, quod in febribus petechialibus ſæpius obſervatur.

IX. *Pulſus plenus* humorum abundantiam, & ebullitionem indicat.

X. *Pulſus* vacuus ſemper malus eſt.

XI. *Magnus pulſus* raro periculoſus eſt, & ſi durities ei jungitur, inflammationes imminentes portendit.

XII. *Pulſus durus* in acutis, ut plurimum inflammationum index eſt, quod in pleuritide obſervatur. Aliàs etiam abundantiam humorum, eorum ſpiſsitudinem, ſtagnationem, & infartum indicat.

XIII. *Pulſus mollis* ſæpius in morbis ſeroſis obſervatur: in acutis interdum criſim per ſudorem indicat, ſi alia conſpirant.

XIV. Omnes *pulſus inæquales* mali ſunt, peſsimus vero *Myurus*: naturę enim debilitatem indicant.

XV. *Pulſus* intermittens cum aliis ſignis interdum indicat *Hydropem pectoris*: iſte in tertianis plethoricorum, ac in hypochondriacis ſæpius obſervatur.

XVI. *Pulſus tremens* maximam virium proſtrationem, & mortem inſtantem, ut plurimum indicat.

XVII. Pulſus *undoſus* in *vermicularem*, aut *formicantem* degenerans peſsimum eventum prænuntiat.

XVIII. *Caprizans pulſus* plerumque prodromus eſt convulſionum.

Atque hæc ſunt, quæ de pulſibus, & judicio rectè ex iiſdem formando, in ampliſsimum uſum breviter dicta ſunt. Tironibus tamen moneo, ut proſequantur *Celſi* doctrinam, qui in tractatu de *Medicina generatim*, confitetur plura eſſe, quę nec dici poſsint, nec ſcribi, monendi utique ſunt artem exercituri, ut experientia duce eandem maturè addiſcere laborent, & exquiſito ſtudio in cognoſcendis, ac dijudicandis pulſibus verſentur.

CAPUT SEPTIMUM.

DE SIGNIS PROGNOSTICIS ex actionibus læſis deſumptis.

Int. QUid prædicendum ex actionibus animalibus læſis?

Reſp. Prædicendum:

I. In *quovis morbo mente conſtare, & rectè ſe habere ad ea, quæ offeruntur bonum: contra verò ſe habere, malum*, ex Hypp. 2. *Aphor.* 33.

II. Delirium, nullum bonum, ſed non omne æquè periculoſum.

III. Tutiùs, quod contingit die critico cum bonis ſignis.

IV. Quod fit cum riſu, per totum morbi decurſum, ex Hypp. 6. *Aphor.* 53.

V. Quod per ſomnum ſedatur, bonum, ex Hypp. 2. *Aphor.* 2.

VI. Periculoſius eſt delirium, quod continuò perſeverat.

VII. In quo cum febre continua ſimul accidit ſpirandi difficultas, ex Hypp. 4. *Aphor.* 68.

VIII. Quod oritur à profluvio ſanguinis, Ileo, Pleuritide, Perineumonia, ut conſtat ex Hypp. 7. *Aphor.* 10. & 13.

IX. Quod ſtatim apparet circa initium morbi.

X. Quod verſatur circa res neceſſarias, ut ſi quis cibum, & potum averſetur.

XI. Quod ſit cum memoriæ abolitione.

XII. Quod ſuccedit viribus debilitatis.

XIII. Cui ſupervenit ſilentium, tremor, & convulſio.

XIV. Mala eſt Phrenitis in lethargum mutata.

XV. Conjuncta cum urinis albis pellucidis, ex Hypp. 4. *Aphor.* 72. & 20.

XVI. Cui ſuccedit Aphonia, & inſcia excrementorum dejectio.

XVII. Delirium melancholicum recens, facilè: inveteratum, & ab animi pathematibus, vel inmodicis ſtudiis exortum, vel hæreditarium, difficultèr curatur, ac quandoque mutatur in convulſiones.

VIII. Maniacum diuturnum, curatur difficilè, præſertim hæreditarium.

QUOAD SOMNUM, ET VIGILIAM.

I. *Utraque ſi modum exceſſerint, malum*, ex Hypp. 2. *Aphor.* 3.

II. Malæ, & valdè periculoſę vigiliæ continuæ in febribus; ex eodem 2. *Progn.* Deliria tamen, ex eodem, & convulſiones accerſentes, 7. *Aphor.* 18.

III. Magis periculoſę in juvenibus, & ſexu muliebri.

IV. Minus in affectibus chronicis, & ſpeciatim melancholicis.

V. Minimè, quæ fiunt inſtante cryſi, ex Hyp. 2. *Aphor.* 13.

VI. *Somnus, in quo morbo laborem affert, læthalis*, ex eodem 2. *Aphor.* 1.

VII. Somnus comatoſus in febre acuta, pernicioſus, & malignitatis index.

VIII. *Excitationes à ſomno cum pavore, & turbulentia factæ in febribus, periculoſæ*, ex eodem 4. *Aphor*.67.

IX. Inſomnia, quæ in phrenitide memorantur, bona ſunt.

X. Vertigo, & incubus gravior, & diuturnior, citra cauſam externam, in junioribus, epilepſiæ, in ſenibus appoplexiæ certus podromus eſt.

XI. Oculi caligantes,& lucem refugientes in morbis acutis, periculum minantur.

XII. *In febre non intermittente, ſi æger nec videat, nec audiat, imbecillo jam exiſtente corpore, mors in propinquo eſt*, ex Hyp. 4. *Aphor*.49.

XIII. Surditas in principio morborum acutorum, periculoſiſsima.

XIV. In ſtatu morbi apparens, ſalutem portendit, prçcipuè in febribus malignis.

XV. Bona etiam, ſi poſt phrenitidem, aut alium morbum gravem capitis, ſuccedat.

XVI. *Sonitus aurium in acutis, læthalis*, ex Hypp. *in Coac.*

XVII. Si cibi, & potus, atque medicamenta oblata, putrida, & grave olentia videantur, malum.

QUOAD DOLORES.

I. *Dolores capitis vehementes, & continui cum febre acuta, alioque ſigno difficili, læthale ſignum*, ex Hypp. *in Progn.* præſertim ſi urinæ ſint crudę, & albæ.

II. Iidem in morbo acuto ſubitò deſinentes, non ſequente alleviatione per cryſim, etiam læthales.

III. *Capite dolente, aut vehementer laborante, pus, aqua, vel ſanguis, per nares, os, aut aures effluens, morbum ſolvet*, ex Hyp. 6. *Aphor*.10.

IV. Dolores capitis poſt ſudores criticos evenientes, ut plurimum læthales.

V. Dolores cervicis in principio, vel augmento morbi acuti affligentes, mali.

VI. *Quæ ex dolore dorſi, principia morborum ducuntur, difficilia*, ex Hyp. *in Coac.*

VII.

VII. *Fauces dolorificæ in acuta febre periculoſę, & frequentes malignitatis comites*, ex Hyp. *in Coac.*

VIII. *In febribus acutis convulſiones, & circa viſcera vehementes dolores, malum portendunt*, ex Hypp. 4. *Aphor. 66.*

IX. Dolor valdè acutus, diutiùs in aliqua parte perſeverans, tandem abſceſſum futurum indicat.

X. Periculoſi, & læthales ſunt dolores apparentes in principio, aut cum aliis malis ſignis, præſertim etiam ſi citò evaneſcant, vel occultentur ſine cauſa manifeſta.

XI. Boni ſunt dolores à ſuperioribus partibus ad inferiora deſcendentes, & è contrà, mali.

QUOAD DECUBITUM, ET MOTUM.

I. In quovis morbo, ſalutare, ſi æger facilè ſurgat, erigat ſe, ſi de latere in latus facilè convertatur, ſi obſervet decubitum naturalem in latus dextrum, vel ſiniſtrum, brachiis, cervice, & cruribus paululum reductis, reliquo etiam corpore molliter jacente.

II. Mala in febre multa, corporis jactatio, anxietates, & inquietudo.

III. Peſtifera ex Hyp. *in Coac.* gravitas totius corporis, manuum item, ac pedum, dum nimirum æger in lecto vix ſe movere, & ad latera convertere valet.

IV. Malum eſt ſupinum jacere extenſis cruribus, manibus, & cervice.

V. Malum, ſi æger ſe ipſum continere haud valens, ſubinde ad pedes delabatur.

VI. *Malum, cubare in ventrem, qui non eſt ſolitus*, ex Hyp. *in Coac.*

VII. Malum ex eodem, ſi æger dormiat in morbo acuto ore hiante, niſi ſanus etiam ſic dormire conſuevit.

VIII. Læthale ex Hyp. 1. *Progn. text. 23. Si quicumque graviter ægrotantes manus in vanum jactent, feſtucas carpant, floccos à veſtibus, aut paleas à parietibus avellant, vel lecti ſtragula quaſi ſarcinas colligant.*

QUOAD TREMORES.

I. *Quibuſcumque morbo jam fractis, atque extenuatis, tremores accidunt, funeſtum*, ex Hyp. *in Coac.*

II. Funeſti etiam in morbis acutis, & malignis motus tremuli manuum, & linguę.

III. Periculoſi etiam ſunt tremores in principio morborum, citra cauſam externam apparentes.

IV. Mali ſunt omnes tremores, ſive in febribus ardentibus, ſive in cerebri inflammatione, ſive quocumque modo, læſo principio nervorum accidat.

V. Tremor paraliſi ſi ſuccedens, uti etiam ille, qui præcedit cryſim.

QUOAD CONVULSIONES.

I. In febre maligna contractiones, & ſubſultus tendinum, & membrorum, admodùm periculoſi, idque magis, ſi conjungantur cum delirio.

II. *Febrem convulſioni accedere, ſatius eſt, quàm convulſionem febri*, ex Hyp. 2. *Aphor.*26.

III. Convulſiones in principiis morborum acutorum apparentes, & non diù perſeverantes, minus periculoſæ, quam quę in ſtatu contingunt.

IV. *In febribus acutis convulſiones, & circa viſcera vehementes dolores, malum portendunt*, ex Hyp. 4. *Aph.*66.

V. Quæ in phreneticis convulſiones fiunt, proximum exitium ſignificant.

VI. *Convulſio ex vulnere, periculoſa*, ex Hyp. 5. *Aphoriſm.*2. *ex copioſo ſanguinis fluxu, periculoſa*, ex eodem 5. *Aphor.*3.

VIII. Ex *ſuperpurgatione, etiam*, 5. *Aphor.* 4.

IX. *A vigiliis*, 7. *Aphor.* 18.

X. *Ab ileo*, 7. *Aphor.* 10.

XI. Periculoſior eſt convulſio, in qua motus magis depravatus, contractio vehementior, ac diuturnior, quæ etiam plures partes occupat, & cerebro viciniores, quę reſpirationem difficilem, interruptam, & ſuſpirioſam reddit, quæ viribus debilitatis ſupervenit, ubi mortis podromus, ex Hyp. 4. *Aphor.*49.

XII.

XII. Convulſio, quæ fit per conſenſum, minùs periculoſa, quàm quæ fit per eſſentiam.

XIII. Epilepſia hæreditaria, incurabilis; ante pubertatem eveniens, curabilis: poſt annum 25. ad mortem uſque comitatur, ex Hyp. 5. *Aphor.* 7.

XIV. *Epilepſia laborantes juvenes, tum loci, & victus, tum maximè ætatis mutatio liberat*, ex eodem 2. *Aphoriſm.* 45.

QUOAD RIGORES.

I. *Rigores nihil ſignificant, qui in intermittentibus periodicè accidunt*, juxta Hyp. 4. *Aphor.* 62.

II. Neque mali ſunt in continuis, ſupervenientes die critico, prægreſsis ſignis coctionis, & ſubſequente inſigni evacuatione, ex eodem 4. *Aphor.* 58.

III. Mali ſunt rigores, à quibus corpora minimè, aut parum incaleſcunt.

IV. Qui die critico non contingunt, aut quos nulla, vel mala ſequitur evacuatio, boni non ſunt.

V. *Si rigor incidat, febre non deſinente, ægro jam debili exiſtente, læthale*, ex Hyp. 4. *Aphor.* 46.

VI. Rigores in morbo diuturno ſæpè advenientes, vel potiùs horrores ſine ordine, & typo, ſępè indicant ſupurationem internam, vel humorum pravorum, & acrium copiam.

VII. Horrores in principio febrium acutarum frequentèr apparentes, mali, & plerumque malignitatis comites.

VIII. *Horrores crebri ex lumbis cum cita caloris viciſsitudine, calamitoſi, neque etiam à ſudore horror, bonum*, ex Hyp. 7. *Aphor.* 4. *quia mala judicatoria, quę non judicant.*

QUOAD APHONIAM.

I. Periculoſa eſt illa, de qua Hyp. 5. *Aphor.* 5. ſi ebrius quiſpiam repente obmutuerit, convulſus moritur, niſi febre corripiatur, aut qua hora crapula ſolvitur, vocem recuperet.

II. *Quibus occaſione aliqua, cerebrum vehementer concuſſum fuerit, mutos fieri protinus neceſſe eſt*, Hyp. 7. *Aph.* 60.

III. Peſsimæ ſunt aphoniæ cum ſingultu, & virium exſolutione.

IV. Torpor ſemper malus; citra febrem apoplexiam præſagiens: in febribus caloris extinctionem, ac cerebri debilitatem innuens.

QUOAD CORIZAM, ET STERNUTATIONEM.

I. In morbis pulmonum præceſiſſe, vel ſubſequi, malum.

II. *In aliis vero morbis, etiam exitialibus, ſternutamenta ſpem ſalutis afferunt, præſertim autem mulieri hyſtericæ*, ex Hyp. 5. *Aphor.* 35.

Int. Quid prædicendum de actionibus vitalibus læſis?

R. I. Bona, & facilis reſpiratio maximam habet vim ad ſalutem in morbis acutis; ex Hyp. *in Progn.*

II. Reſpiratio præternaturalis, & ſi ſemper læthalis non ſit, tamen ſemper mala: peſsima vero ſi cum aliis malis ſignis conjungitur, ex Hyp. 4. *Aphor.* 50.

III. Reſpiratio magna, & tarda cum febre acuta, peſſima, oſtendens delirium præſens, vel imminens.

IV. Periculoſa etiam magna, & frequens, ob magnum, quod indicat incendium.

V. Frequens, & parva ſignificat diſpoſitionem dolorificam organorum reſpirationis.

VI. In febribus ſpiratio offendens (ideſt, interrupta, ſeu intercisa, in medio ſui ſubſiſtens) mala eſt; convulſionem enim ſignificat, ex Hyp. 4. *Apor.* 68.

VII. In morbis acutis cum febre, gementium ſuſpiria, mala, ex Hyp. 6. *Aphor.* 54.

VIII. Nocturna dyſpnæa in morbo chronico, hydropem minatur.

IX. Reſpiratio, quę maximè naribus editur, in qua pinnæ narium moveri videntur, exitioſa.

X. Spiratio frigida in morbis acutis, proximam mortem ſignificat.

QUOAD

QUOAD CORDIS PALPITATIONEM, lypotimiam, & ſyncopem.

I. Facultatis vitalis dejectionem, & ſummum periculum ſignificant, ſi fiant per eſſentiam: minùs, ſi per conſenſum, licet illud bonum non ſit.

II. Syncopizantes, ſi poſt exhibitionem ſpirituoſorum, irrorationemque faciei cum frigidis, ad ſe non redeant, in maximo verſantur periculo.

III. Quo ſudor frigidus copioſior, & frigidior, eo ſtatus periculoſior.

IV. Juvenes, aut in declinante ætate ſani, ſine ullo manifeſto ſympthomate, palpitatione cordis correpti, ante ſenectutem moriuntur, ex obſervatione Galeni.

Int. Quid prædicendum de actionibus naturalibus læſis?

R. I. Bona, & laudabilis in morbis appetentia, quæ ad bene valentium appetitum accedit, ſalutaris, teſte Hyppoc. 2. *Aphor.* 33.

II. Dejecta omninò in morbis appetentia, citra cauſam manifeſtam, vel oppreſsionem ſtomachi, valdè periculoſa.

III. In morbo diuturno, cibi faſtidium, & ſinceræ dejectiones, malum, ex Hyp. 7. *Aphor.* 6.

IV. In longis inteſtinorum difficultatibus, cibi faſtidium, malum, & cum febre, peſsimum, ex Hyp. 6. *Aphor.* 93.

V. Licet appetitus in principio, & ſtatu morborum dejectus non adeò ſit, malum ſignum in declinatione tamen poſtratus, præſertim poſt febres quaſcumque, recidivam, vel novum morbum preſagit.

VI. Si ægri in ſumma virium debilitate, ſubitò alimenta, quæ anteà faſtidiverunt, appetunt, ſignum fatale eſt.

VII. Fames intenſa, uti in morbis rara, ſuperveniens tamen quandoque morbis chronicis, nihil boni indicare poteſt, & ferè funeſta eſt, ex Hyp. 2. *Aphoriſm.* 4.

VIII.

VIII. Appetentia depravata, ſicut in gravidis, non valdè periculoſa, ita tamen mala in morbis chronicis.

QUOAD SITIM.

I. Sitis in febribus ardentibus, non adeò mala: benè tamen ſitis inexhauſta, quæ nullo potu expleri poteſt.

II. Suſpecta eſt ſitis nimis pauca.

III. Non ſitire in calidis, & ardentibus morbis, ubi lingua arida, os glutinoſum, aut exſuccum, æſtus inſignis corporis, &c. malum, niſi ſitis impediatur à lympha à capite, vel glandulis eo delata, ex Hypp. 4. *Aphor.*54. in quo caſu lingua erit mollis, & humida.

QUOAD SINGULTUM.

I. *Si quis in laborioſa febre, in ſtatu perſeveranter ſingultiat, morbo laborat peſſimo*, ex Hyp. *in Coac.*

II. Singultus admodùm periculoſus, ſuperveniens purgationi, Diarrheæ, aut præcipuè Dyſſenteriæ, herniæ contumaciori, aut ileo, aut inflammationi hepatis, ex Hypp.5. *Aphor.*58.

III. *A vomitu ſingultus, & oculorum rubor, malum*, ex Hypp. 7. *Aphor.* 3.

IV. *In diuturnis levitatibus inteſtinorum, ſi ructus acidus ſuperveniat, qui priùs non extiterit, bonum ſignum*, ex Hypp.6. *Aphor.*1.

Int. A quibus excrementis ſumuntur ſigna ſalutis, & mortis?

R. A ſequentibus.

QUOAD EXCREMENTA PER OCULOS.

Quibus in febribus, aut aliis morbis, voluntariè illacrimantur oculi, nihil abſurdi, quibus verò non voluntariè, abſurdiùs, ex Hypp. 4. *Aphor.* 52. ob athoniam ſolidorum.

QUOAD EXCRETA PER NARES.

I. *In gravi capitis affectu, ſi pus ex naribus effluat, fit ejuſdem ſolutio*, ex Hypp. 6. *Aphor.*10.

II. In puerulis humiditates per nares diù effluentes, ſalutares.

III. *Aurium ſordes natura ſua flavas, & amaras dulceſcere, aut colorem mutare, peſſimum*, ex Hyp. *in Epid.*

QUOAD EXCRETA PER NARES, UTERUM, & *hæmorrhoides.*

I. Sanguis benè, ac largitèr fluens è naribus die critico, ſalutaris eſt; die non critico ſine ſignis coctionis fluens, non omninò ſemper contemnendus, dummodò largè fluat.

II. Hæmorragiæ nimis copioſæ, & vehementes, peſſimæ.

III. Stilicidium ſanguinis, ſeu ſtillæ ſanguinis paucæ per nares effluentes, periculoſæ, præſertim aliis pravis ſympthomatibus conjunctæ, denotantes naturæ imbecillitatem, vel irritationem à malignitate, niſi die judicatorio apparens cum bonis ſignis, cryſim per eamdem viam futuram prænuntiet.

IV. Menſes fluentes in morbis acutis extra ordinem, & conſuetum tempus, metum ſiniſtri eventus non parum augent, licet conſueto etiam tempore erumpentes, non rarò funeſtum prædicant eventum: die critico fluentes, ferè ſemper ſalutares fuiſſe obſervavit Hyp.

V. Hæmorrhoidum fluxus limites non excedens in quocumque morbo eſt beneficium naturę.

QUOAD EXCRETA SPUTACEA.

I. *Sputum ſtatim initio morbi pectoris, aut pulmonis apparens, bonum*, ex Hypp. 1. *Aphor.* 12.

II. Salutaria ſunt ſputa alba, levia, æqualia, non admodùm tenuia, vel craſſa, quæ promptè, & facilè ſine dolore vehementi, aut multa tuſsi ejiciuntur.

III. Salutare quoque in pleuritide, ſputum leviter rubeſcens, ex ſanguinis, & pituitæ permixtione.

IV. Eodem modo ſalutare, flavum pauco permixtum ſanguine, innuente morbo, excretum: non verò poſt ſeptimum.

V. *Omnia ſputa mala ſunt, quæ dolorem non ſedant*, ex Hypp. *in Progn.*

VI. Mala quoque ſputa pauca, etſi concocta, ſi non pro ratione morbi excernantur.

VII. Perniciosum etiam, nihil omninò expuere in pleuritide, aut peripneumonia, progreſſo jam morbo.

VIII. Si ſputum, poſtquam apparuerit, ſupprimatur, & plenus pulmo ferveat in gutture, ac ſtertorem, ebullitionemque patiatur, omninò læthale, præſertim poſt morbi principium, præ languidis viribus redditis.

IX. Mala in pleuritide ſputa alba, & merè pituitoſa.

X. Sputa craſſa, viſcida, & glutinoſa, eo pejora, ſi cum raucedine ſint conjuncta, ex Hypp. *in Coac.* ob junctam viſciditati acrimoniam.

XI. Item rotunda; aut grandinis formam referentia, quæ duo extra pleuritidem, & peripneumoniam, phthiſim prænuntiant.

XII. *Qui pleuritide laborant, niſi intra dies* 14. *ſupernè repurgentur, iis in empyema fit mutatio*, ex Hyp. 5. *Aphor.*8.

XIII. *Qui autem ex pleuritide empyici fiunt, ſi à ruptione abceſſus intra dies* 40. *repurgentur, evadunt, alioquin tranſeunt in phthiſim*, ex Hyp. 5. *Aphor.*15.

XIV. Sputa flava, pallida, aut rufa in lanis apparentia, ſive amara illa ſint, ſive dulcia, phthiſim adfuturam prænuntiant.

XV. *A ſanguinis ſputo, puris ſputum; à puris ſputo phthiſis, & fluxio; cum vero ſputum retentum fuerit moriuntur*, ex Hypp. 7. *Aphor.*15.

XVI. Mala ſunt omnia ſputa viridia, eruginoſa, livida, nigra, ſincera, vel fœtida.

XVII. *Strangulati, & ſuffocati, nondum tamen mortui, ad ſe non redeunt, quibus ſpuma circa os collecta apparuerit*, ex Hypp. 2. *Aphor.*43.

QUOAD EXCREMENTA PER VOMITUM.

I. *In perturbationibus alvi, & vomitibus, qui ſpontè fiunt, ſi qualia opportet, purgentur, confert, & facilè ferunt; ſin minus, contra*, ex Hypp. 1. *Aphor.*2.

II.

II. Bonus vomitus ex bile flava, pituita mixtus, nec admodùm copioſus.

III. Salutaris, qui ex causà externà, vel à menſibus ſuppreſsis in gravidis, vel ſpontaneus in principio morborum, ut in pleuritide, & aliis, aut criticus in declinatione.

IV. *Longo alvi profluvio laboranti, vomitus ſponte ſuperveniens, morbum ſolvit*, ex Hypp. *6. Aphor.*15.

V. *Vomitus ſanguinis perſeverans, & frequenter repetens, funeſtus*, ex Hypp. 4. *Aphor.*25.

VI. Spleneticis tam vomitus cruentus, quàm non cruentus, periodicus, nec nimiùs, eſt ſalutaris.

VII. Vomitus paucus, & laborioſus in acuta febre, malus.

VIII. Mali item vomitus variegati, porracei, æruginoſi, lividi, nigri, aut fœtidi.

IX. Vomitus vermium in malignis, malus.

X. Mali quoque in febribus continuis, vomitus ſinceri, & inpermixti.

XI. *Morbis quibuslibet incipientibus, ſi atra bilis ſupernè, & infernè exierit, lethale*, ex Hypp. 4. *Aphor.*22.

QUOAD ALVI EXCREMENTA.

I. *Quibuſcumque per morbos acutos, vel diuturnos, vel vulnera, aut alium in modum extenuatis, bilis atra, aut veluti ſanguis niger per inferiora ſubſederit, poſtridie moriuntur*, ex Hypp. 4. *Aphor.*23.

II. Læthales ſunt dejectiones pingues, viſcidæ, & fœtidę.

III. Malę etiam ſunt in acutis dejectiones ſpumoſæ, item lientericę.

IV. Lumbrici in morborum principio prodeuntes, tam vivi, quàm mortui, mali; præſertim ſi ſoli, & ſine ſtercore exeant: exeuntes autem in declinatione morbi, cum excrementis, & coctione jam apparente, boni.

V. Copioſior alvi dejectio in quolibet morbo, mala; pręſertim ſi conjuncta cum ventre ſub tumido.

VI.

VI. Malæ quoque paucę dejectiones, vel quæ ſtatim, ubi inceperint, ſiſtuntur.

VII. Dejectio liquida, quæ cum morbo acuto incipit, & cum eodem perſeverat, mala.

VIII. *Pleuritide, aut peripneumonia detento, diarrhæa ſuperveniens, malum*, ex Hypp. *6. Aphor.16.*

IX. Mala excrementa alvi vitellina, viridia, ærugi-noſa, livida, nigra, variegata, aut valdè fœtida, ex Hypp. *in Progn.*

X. Malæ etiam, præſertim in acutis, dejectiones albę, vel icteri, vel colliquationis, vel bilis alio delatæ indices.

XI. Mala dejectio liquida, quæ non ſentientibus affertur.

XII. Mala excrementa alvi fluida cum dolore, aut laborioſa, & frequenti dejectione excreta; vel ſi inter excernendum, animi deliquium ſuperveniat.

XIII. In acutis, & præſertim in variolis, dejectiones cruentę per alvum, vel vomitum, vel urinam, ut plurimum læthales.

XIV. *Mulieri uterum gerenti, ſi alvus multum fluat, vel teneſmus ſupervenerit, periculum eſt ne abortiat*, ex Hyp. 5. *Aphor.34.*

XV. *Difficultas inteſtinorum, ſi ab atra bile inceperit, exitioſa*, ex Hypp. 4. *Aphor.24.*

XVI. *Sic etiam ſi diſſenteria laboranti, veluti caruncula dejiciantur, læthale eſt*, ex Hypp.4. *Aphor.26.*

XVII. Diſſenteria periculoſa eſt, quæ febri juncta, cum vomitu affligit, vel ſingultu, in quà excreta viridia, nigra, fœtida ſi ſuperveniant, vel convulſiones, vel deliria, vel lienteria, vel aphtę, vel nigra macula, aut tubercula poſt aures, teneſmus cum hiatu ani, vel nimia adſtrictione, vel doloris præter rationem ceſſatio, ob necroſim.

XVIII. Dejectio optima eſt, quæ mollis, conſtans, & quę ciborum ingeſtorum copię reſpondet.

XIX. Bonus alvi fluxus, qui contingit cum facili tolerantia, ex quo æger levamen aliquod perceperit, ex Hypp. 1. *Aphor.2.*

XX.

XX. Bona alvi excrementa liquida, quæ in progreſſu morbi ſenſim craſeſcunt.

XXI. *Opthalmia laborantem, alvi profluvio corripi, bonum*, ex Hypp. 6. *Aphor.* 17.

XXII. Leucophlegmatia correpto, diarrhæa ſuperveniens, morbum ſolvit.

QUOAD ABSCESSUS.

I. Quicumque abſceſſus, poſt ſigna coctionis, & ſecundùm rectitudinem partis affectæ, & in loco ab illa valdè remoto, declivi, & capaci, non valdè exquiſito ſenſu donato apparent; qui magis ad exteriora eminent, & in acutum tendunt, qui citiſsimè ad ſuppurationem veniunt, qui extra rumpuntur, effundentes pus laudabile, album, leve, æquale, ac minimè fœtidum, ſalutare, è contrà verò periculoſum.

II. Sunt loci abſceſſus recipiendo ad magis idonei, crura, tibię, brachia, inguinas maxillæ, & articuli.

III. Si fiant in abdomine, ſunt periculoſi.

IV. Abſceſſus in principio morbi apparens, peſsimus, morborum, ut plurimùm malignorum, & peſtilentium comes.

V. Si abſceſſu in aliqua parte apparenre, æger non ſublevetur, ſed eadem ſympthomata perſeverent, læthale.

VI. Quicumque abſceſſus, poſtquam apparuerint, ſi retrocedunt, & occultantur, funeſti.

VII. Abſceſſus minores, vel majores, quàm par eſt, mali, cum illi non ſint ſufficientes pro cauſa morbifica ex toto recipienda: hi autem nimiam ejus copiam denotant, impediuntque coctionem.

VIII. Bubones, quò plures, ac boni coloris in peſte, eo magis ſalutares: è contrà carbunculi, quo plures, eo periculoſi.

IX. Anthraces in digitis erumpentes, periculoſi, ob multos recurrentes tendines.

X. Tumores deliteſcentes, periculoſi, uti etiam ſi ſint circulo livido circumdati.

XI. *Quæ dolenter ad aures aſſurgunt* (id eſt Parotides) *peſtiferæ*, ex Hypp. *in Coac.* Semper enim malignæ, tum ob loci anguſtiam, tum ob viciniam cerebri.

XII. Parotides, quæ cum urina cruda apparent, malæ. Item, quæ fractis jam viribus contingunt, non liberantur, niſi larga hæmorragia, aut copioſo alvi fluxu, aut urinæ craſſæ, & coctę profundantur: è contrà, bonæ, quæ magnitudinis moderatæ, ſine doloribus, integris viribus, die critico, & prægreſsis coctionis ſignis apparent.

QUOAD SUDORES.

I. Boni ſunt, quia apparent cum manifeſto coctionis ſigno, die critico, ex Hypp. 4. *Aphor.* 36. rigore pręcedente, ex eodem 4. *Aphor.* 58. ex toto corpore; calidi, copioſi, ſtillantes, & cum vapore erumpentes, & quibus febris, vel perfectè ſolvitur, vel admodúm imminuitur.

II. Sudor multus in febre acuta apparens, eamque non minuens, malus.

III. Sudores aſsidui, ſive modici illi ſint, ſive copioſi in febre acuta, mali.

IV. Sudatiuncula omnis, præcipuè, quæ circa caput, & cervicem apparet, mala.

V. Malus quoque ſudor, qui cum cœperit erumpere, ſtatim deſinit.

VI. Sudatiunculæ, & rigoris crebra viciſsitudo funeſta, empyema ſignificat.

VII. *Sudores frigidi, cum acuta febre, mortem; cum minori verò longitudinem morbi ſignificant*, ex Hypp. 4. *Aphor.* 37.

VIII. Sudores frigidi in morbo acuto, peſsimi.

IX. *Si inter ſudandum, horror, vel rigor ſæpiùs recurrat, malum*, ex Hypp. 7. *Aphor.* 4.

X. Sudor, qui non effluit, ſed inſtar granorum milii, in cute apparet, malum, utpotè virium exſolutionis comes.

XI.

XI. Sudores in principio morbi, vel die non critico apparentes, mali.

QUOAD EXANTHEMATA, ET PUSTULAS.

I. Periculoſæ ſunt, quæ apparent in morborum acutorum principio, quæ pauciores, minores, vel pravi coloris, quæ poſtquam apparuerint, retrocedunt, ex quarum eruptione nullum ſequitur levamen. Bonæ è contrá, quæ plures, majores, coloris benignioris, & criticè erumpunt.

II. Variolæ periculoſæ, quæ conjunctam habent febrem ingentem, & non imminutam poſt earum eruptionem, in quibus adeſt ſpirandi difficultas, ſitis ingens, alvi fluxus, vel diſſenteria, vel urina ſanguinea, quę tardè apparent, quæ multæ, & continuæ, quę depreſſæ, in medio maculam nigram habent, quæ virides, lividę, & nigræ, quæ ubi ægreſſę ſunt, confeſtim evaneſcunt, quę omnium peſsimę, uti quæ conjunctæ ſunt cum petechiis. Hæc enim omnia, vel materiæ morbificę copiam, pravitatem, malignitatem, contumaciam, vel naturæ expellentis imbecillitatem denotant.

QUOAD SONUM.

I. Stertor in acutis inter reſpirandum dormientibus, & vigilantibus accidens læthalis, denotans reſolutionem, & extinctionem facultatis, excrementa ab aſpera arteria, & faucibus expellere non valentis.

II. Stertor in principio pleuritidis, aut perineumoniæ apparens, ſenſim autem imminutus, ac deficiens non læthalis: benè tamen perſeverans, & ſenſim auctus.

III. Quibus cum ſtrepitu alimenta in ventriculum deſcendunt, ut in puteum projici videantur, malum, ob reſolutionem œſophagi.

QUOAD FACIEM.

I. Facies cadaveroſa mortifera, dicitur, & Hyppocratica, quia ab eodem adamuſsim deſcribitur *in Coac. & Prognoſt.* his verbis: *Oculi concavi, nares acutę, col-*

lapſa tempora; *aures frigidæ, & contractæ, cutis in fronte dura, & arida, color pallidus, vel niger, lividus, aut plumbeus*, quæ omnia, vel cauſas humidum abſumentes, vel calorem, & ſpiritus retrahentes arguunt. Interim facies Hyppocratica erit perniciosa, ſi oriatur à cauſis internis: minus ſi ab externis, ut vigiliis, fluxu alvi, &c.

QUOAD OCULOS.

I. Oculi tenebricoſi, turbidi, ſquallidi, ac minimè ſplendentes, malum, denotantes ſpirituum defectum, & arefactionem tunicarum.

II. *Si ægri apertis oculis dormiant, malum*, ex Hypp. 6. *Aphor.*52.

III. *Si in morbo acuto, oculus unus, altero major fiat, læthale eſt*, ex Hypp. *in Progn.*

IV. Si in morbo, oculi pervertantur indecorè, vel magis ſurſum, vel deorſum, vel in obliquum, vel inæqualiter moveantur, malum, ex Hypp. *in Progn.* quia ſunt motus convulſivi.

V. *Si in morbo acuto, album oculi rubrum appareat, pernicioſum*, ex Hypp. *in Progn.* futuræ phrenitides indicium.

QUOAD PALPEBRAS, NARES, ET LABRA.

I. Si inverſa fiat, aut livida, aut pallida palpebra, aut labrum, aut naſus cum aliquo alio ſignorum malorum, mors in propinquo eſt, ex Hypp. 4. *Aphor.* 49.

II. Læthale etiam, habere labia reſoluta, pendula, frigida, alba, quæ omnia, vel convulſionem, vel reſolutionem, vel extinctionem caloris denotant.

III. Nares præternaturam dilatatæ in morbo acuto malum: denotant ſummum incendium, & facultatis thoracem moventis imbecillitatem.

QUOAD DENTES.

I. Stridor dentium in febribus, quibus non eſt aſſuetus à pueritia, furibundus, & læthalis, ex Hypp. 1. *Progn.* denotans convulſionem.

II.

II. Quibus in febribus circa dentes lentores naſcuntur, iis febres fiunt vehementiores, ex Hypp. *Aphor.* 53. ob majus incendium, lympham, humoreſque crudos, & craſſos exſiccans, & exurens.

QUOAD LINGUAM.

I. Lingua nigra cum ſiccitate, ſcabritie, ſciſſuris, & uſtione in morbo acuto læthale: denotat maximum incendium.

II. Lingua ab initio ſtatim exuſta denotat viſceris alicujus inflammationem. Ex hypochondriorum dolore, duritiæ, tumore, & calore dignoſcitur eſſe hypochondria affecta.

III. Lingua tremula in acutis mortiferum. Indicat maximam facultatis animalis imbecillitatem, & læſionem cerebri.

QUOAD FAUCES.

I. Faucium exulceratio cum febre mala, & ſi aliud inſuper pravum ſignum appareat, mortis periculum minatur.

II. Dyſſenterici quoque de difficultate deglutiendi, & linguę tumore conquerentes, plerumque moriuntur.

QUOAD HYPOCHONDRIA.

I. Optima ſunt, quæ ſine dolore, mollia, & æqualia ſunt, quoad calorem, & mollitiem.

II. Hypochondrium exæſtuans, aut dolens, aut tenſum, aut inæqualiter affectum, dextris partibus ad ſiniſtras viciſsim, morbi eſt non manſueti, ex Hypp. *in Coac. & Progn.*

III. Hypochondria ſurſum revulſa, nullis criſis per hæmorrhagiam futuræ ſignis apparentibus, malum.

IV. Tumor in hypochondriis durus, & dolens peſſimus, inflammationis comes; ſi verò ad ſiniſtrum inclinaverit, minus periculoſus eſt.

QUOAD TUMORES PEDUM.

Tibiarum inflatio veſperè apparens, & manè diſ-

cuſſa cum bonis ſignis bona : apparens quandoque in convaleſcentibus, præmatura lautiori diæta utentibus, cum malis mala : præſertim morborum chronicorum pediſequa, ut hydropis, aſthmatis, phtyſis, &c.

QUOAD BILEM.

I. Morbis quibuſlibet incipientibus, ſi bilis atra, vel ſurſum, vel deorſum prodierit, læthale, Hypp. 4. *Aphor.* 22.

II. Quibuſcumque ex morbis acutis, aut ex diuturnis, aut ex vulneribus, aut aliter quocumque modò extenuatis, bilis atra, vel qualis ſanguis niger, prodierit, poſtridiè moriuntur, Hypp. *Aphor.*23.

III. Dyſſenteria, ſi ab atra bile incœperit, læthale, Hypp. 4. *Aphor.*24.

IV. Quo magis bilis atra, acris eſt, dum per partes excernitur, eò faciliùs, vel exulcerationem, vel inflammationem producit.

QUOAD LACTEM.

I. Inſignem ſæpè lactis copiam fœminę quædam abſque ulla noxa in mammis continent.

II. Abundantia lactis facilè viam ſternit variis mammarum tumoribus, in primis, ſi ſpiſſus evadit, vel prorſus coagulatur.

III. Lac in lactantibus ſine cauſa manifeſta ſubitò diſparens, infantis ſugentis mortem ſignificare, mulieres experientia edoctę aſſerunt.

IV. Lac tenue, & aquoſum ad nutritionem infantum ſæpiùs ineptum eſt.

V. Lac ſubcæruleum, aut ſubflavum, aut ſalſum ſæpiùs bilis abundantiam, aut viſcerum, ac humorum malum ſtatum indicat.

VI. Si mulier, quę nec prægnans eſt, nec peperit, lac habeat, ei menſtrua defecerunt, Hypp.5. *Aph.*39.

VII. Mulieri utero gerenti, ſi multum lactis ex mammis fluxerit, infirmum fœtum ſignificat. Hyp.5. *Aph.*52.

VIII. Mulieri utero gerenti, ſi mammæ ex improviſo

ſo graciles fiant; abortit. Hypp. 5. *Aphor.* 37.

IX. Mulieri utero gerenti, ſi altera mamma gracilis fiat; gemellos geſtanti, alterutrum abortit. Hypp. 5. *Aphor.* 38.

X. Quæ perdituræ ſunt fœtus, his mammæ graciles fiunt. Si verò rurſus duræ fiant, dolor erit, aut in mammis, aut in coxis, aut in oculis, aut in genibus, & non perdunt. Hypp. 5. *Aphor.* 53.

XI. Mammas tumidas, ac magnas habere, ad conceptionem bonum eſt. Hypp. 2. *Prorrhet.* XXXIII. 5.

QUOAD SEMEN.

I. Appetitus venereus auctus in maribus cum tentigine, frequens eſſe ſolet *calculoſis*, *arthriticis*, & elephantiaſi laborantibus.

II. Appetitus venereus in morbis, vel poſt hos obveniens, virium robur, ac reſtitutionem indicat.

III. Seminis frequentior emiſsio, in primis, quę nocte contingit, interdum ad tabem diſponit.

IV. Semen nimis ſpiſſum, aut tardius emiſſum, ranó ad generationem aptum eſt.

V. Semen involuntariè emiſſum, vel ejuſdem acrimoniam, vel partium ſemen continentium debilitatem indicat.

VI. Teſtis dexter frigidus, & convulſus, læthale, ex Hypp. 8. *Aphor.* 11.

VII. Flaciditas, ſcroti, & membri virilis impotentiæ ſignum eſt.

CAPUT OCTAVUM.

DE SIGNIS PROGNOSTICIS, ex qualitatibus corporis mutatis.

Int. QUid prædicendum eſt ex qualitatibus corporis mutatis?

R. I. Optimus eſt calor in febribus temperatus, ſuavis, æqualis in omnibus corporis partibus,

cum quodam humido, ac æquali totius corporis mollitie.

II. *Flammans cum ſudore facies in febre acuta, malum*, ex Hypp. 2. *Porreth.* Inflammationis cerebri indicium.

III. *In febribus circa ventriculum, vehemens æſtus, ac cordis morſus, malum*, ex Hypp. 4. *Aphor.* 65. denotans, vel inflammationem illius partis, vel humores acerrimos ibi detentos.

IV. *In morbis acutis partium externarum, frigus, malum*, ex Hypp. 7. *Aphor.* 1. denotans, vel inflammationem alicujus partis internæ, vel maximam exolutionem caloris nativi. Interdum frigus extremorum, non perſeverans, nec frequenter revertens, cryſim futuram ſignificat.

V. Frigiditas narium perſeverans per totum ferè morbi decurſum, in puerulis læthale.

VI. Frigiditas linguæ per aliquos dies perſeverans, læthale.

VII. *Qui frequenter refrigerantur, & vicißim incaleſcunt, ſunt in periculo*, ex Hypp. 2. *Porreth.*

QUOAD MOLLITIEM, ET DURITIEM.

I. Cutis faciei, & aliarum partium dura, ſcabra, aut ſquallida, mala, denotat magnam exſiccationem, & humidi conſumptionem: etiam mala, ſumma totius corporis mollities in quolibet morbo.

QUOAD COLOREM.

I. *Rubor faciei intenſus cum mæſtitia, malum*, ex Hyp. 2. *Porreth.* ob metum inflammationis cerebri.

II. Rubores intenſi, & quaſi eryſipelatoſi in manibus, & pedibus apparentes, in morbis acutis cum bonis ſignis, boni; cum malis, mali.

III. Pallor ingens, in facie potiſsimum, malum; denotat, vel caloris, & ſanguinis retractationem, vel defectum, vel ejuſdem caloris extinctionem.

IV. Lividitas, & nigrities totius corporis, cum frigiditate extremorum, malum.

V. *In ægrotante, caro livida, malum*, ex Hyp. 7. *Aphor.* 2. Denotat caloris extinctionem, vel gangrænam, ſeu ſyderationem à prava putredine.

VI. *Quibus in febribus, morbus regius ante diem* 7. (id-eſt ante materiæ coctionem) *ſupervenerit, malum*, ex Hyp. 4. *Aphor.* 62. quia ſympthomaticus: *E contrà, qui-bus die* 7. *vel* 9. *vel* 11. *vel* 14. *ſupervenerit, bonum* (quia criticum) *niſi dextrum hypocondrium, durum fuerit, alio-quin, minimè bonum*, ex Hypp. 4. *Aphor.* 64.

QUOAD ODOREM.

I. Fætor intenſus ab ægrotante corpore exhalans, malum; quia eximiæ putredinis ſoboles.

II. Quando æger in morbis acutis, odores non con-ſuetos ſentit, odorabili re nulla præſente, & mala ſig-na adſint, mors in propinquo eſt.

CAPUT NONUM.

DE CRISIBUS, ET DIEBUS CRITICIS.

Int. Quid eſt criſis?

R. Eſt repentina in morbo mutatio ad ſalu-tem, aut ad mortem.

Int. Si criſis motus eſt, aut ſaltem motu perficitur, quæ obſervanda ſunt in criſi?

R. Eadem, ac in aliquo alio motu; nempè *terminus à quo* incipit criſis, *terminus in quem, terminus per quem, movens, & mobile.*

Int. Quid eſt terminus *à quo* in criſi?

R. Eſt morbi augmentum. Terminus *ad quem, eſt ſa-nitas, aut mors, aut ſtatus proximus, aut tranſitus in aliam morbi ſpeciem.* Terminus *per quem, eſt totum illud tempus, quo coctioni, ſecretioni, & excretioni in-cumbit natura. Movens, eſt ipſa natura, quæ humorem morbificum coquit, ſecernit, & excernit. Mobile, eſt hu-mor noxius; nam in ſolis humoralibus morbis accidit criſis.*

Int. Quotuplex eſt criſis?

R. Duplex, alia *perfecta*, alia *imperfecta*.

Int. Quid eſt criſis *perfecta*?

R. Quæ perfectè judicat morbum; quæ duplex eſt, *ſalutaris*, & *læthalis*.

Int. Quid eſt criſis *ſalutaris*?

R. Illa dicitur, in qua ægrotantes à morbo liberantur: *læthalis vero illa dicitur, in qua ægrotantes intereunt.*

Int Quid eſt criſis *imperfecta*?

R. Eſt illa, quæ non liberat ægrotum à morbo, & hæc duplex eſt, una *ad meliùs, quę non omninò tollit morbum, ſed facit, ut æger, alacriùs morbum ferat*: altera ad *deteriùs, quæ non ſolùm, non tollit morbum, ſed deteriùs ſe habet æger poſt illam.*

Int. In quibus morbis accidere ſolent criſes?

R. In febribus acutis: & licet in aliis morbis accidere ſoleant excretiones cum euphoria, criſeos tamen nomen à Medicis, illis non tribuitur.

Int. Quo tempore morbi, fiunt criſes?

R. In *ſtatu.*

Int. Quæ conditiones requiruntur, ut perfecta, & ſalutaris ſit criſis?

R. I. Requiritur, *quod ſignis coctionis, in die indice appareant*: quia hæc, tempus criſis, ejuſdem celeritatem, & ſecuritatem denuntiant.

II. Quod ſit *manifeſta*, id eſt, cum cauſæ morbificæ, excretione, vel abſceſſu, ut docet Hypp. 3. *Aphor.* 22. *Quibus febres ceſſant ſine ſalutaribus ſignis, relapſus, ſubeſt periculum.* Sententia 16. ſect. 2. *Læthales morbi, qui ſine ſignis (id eſt, cauſis criticis) levationem habent, mortem ſignificant.* Et Aphor. 27. ſect. 2. *Iis, qui ſine ratione levant (id eſt ſine excretione, aut abſceſſu laudabilis) non eſt fidendum.*

III. Ut fiat *in die critico*, quia, quæ diebus non criticis contingunt, ſuſpectæ eſſe ſolent, ut docet Hypp. *Sentent.2.ſect.3. Prognoſt. Quæ febres diebus non criticis ſolvuntur, relapſum minantur.*

IV. Debet eſſe *fida*, hoc eſt, in qua nullæ ſuperſint mor-

morborum reliquiæ, ut non ſit recidivę metus; nam juxta Hypp. *Quæ relinquuntur in morbis, recidivas facere conſueverunt.*

V. Debet eſſe *ſecura*, hoc eſt, ſine periculoſis ſymptomatibus evenire debet, & cum ægri tolerantia.

VI. Debet perfecta cryſis fieri *pro morbi ſpecie, ægrotantis natura, ætate, & temperie.*

Int. Quænam criſis eſt perfectior, illa, quæ fit per *excretionem*, aut illa, quæ fit per *abſceſſum*?

R. Perfectior eſt criſis, quæ fit per excretionem; quia ſic materia morbifica è corpore eliminatur, ut nullam amplius conturbationem inſtituere valeat. Quæ vero per tranſpoſitionem, vel *abſceſſum* fit, bona, & tuta ſatis eſt; ſi præter perfectæ criſeos requiſita, in genere fit, vel ad locum idoneum, & convenientem, vel per abſceſſum laudabilium conditionum.

Int. Quot ſunt genera ſignorum criſis?

R. Tria, alia criſim præcedunt, alia concomitantur, & alia conſequuntur.

Int. Signa, quæ criſim præcedunt, quot ſunt?

R. Duo; quædam diem, & tempus prenuntiant criſis, ejuſdemque ſecuritatem, ut coctionis, & cruditatis ſigna, quę in excretis apparent: & quędam, ſpeciem criſis, ſudorem quippè jam futurum, inſtantem hæmorragiam, vomitum, alvi, & urinæ profluvium, quaſi digito indicant.

Int. Quæ ſunt ſigna criſim concomitantia?

R. Sunt ipſæmet cauſæ criticę, excretio quippè, & abſceſſus.

Int. Ut Optima ſit excretio, quas expoſtulat conditiones?

R. Quatuor, I. *Sufficiens materiæ quantitas.* II. *Debita ejuſdem qualitas.* III. *Tempus opportunum.* Et IV. *Excernendi modus naturæ familiaris.*

Int. Quę ſunt ſigna, quę criſim conſequuntur?

R. Ea ſunt, quæ facta jam criſi, nobis commonſtrant, an perfecta, vel imperfecta ſit.

Int. A quibus ſumuntur hæc ſigna?

R.

R. Ab actionibus *naturalibus*, *vitalibus*, *& animalibus, à qualitate corporis, & ab excrementis univerſalibus.*
Int. Quot ſunt ſpecies criſis?
R. Duæ, *excretio* nempè, & *abſceſſus.*
Int. Qui morbi terminantur per *excretionem*?
R. Morbi acuti.
Int. Quare?
R. Quia acuti morbi ortum ducunt ab humoribus tenuibus, & acribus.
Int. Qui morbi terminantur per *abſceſſum*?
R. Longi, ſeu *Chronici.*
Int. Quare?
R. Quia ortum ducunt ab humoribus frigidis, craſſis, viſcidis, & lentis.
Int. Quibus ſignis dignoſcitur futura hæmorragia?
R. Hæmorragia ſequentibus dignoſcitur ſignis:
I. Frigus extremorum, in primis pedum, aut ſaltem notabilis in iiſdem remiſsio caloris.
II. Alvi adſtrictio.
III. Urina tenuis.
IV. Murmura abdominis.
V. Tenſio hypocondriorum ſine dolore.
VI. Reſpirationis difficultas cum oppreſsione pectoris.
VII. Inflatio colli ejuſdemque vaſorum pulſatio.
VIII. Cervicis dolor.
IX. Rubor faciei.
X. Pulſatio vaſorum magna, & gravitas in temporibus.
XI. Tinnitus aurium, & ſibilus.
XII. Inſomnia turbulenta de flammis, aliiſque de rebus rubris.
XIII. Oculorum hebetudo, rubor, & dolor punctorius in meditullio bulbi.
XIV. Lucis averſio.
XV. Lachrymarum involuntaria profuſsio.
XVI. Dolor capitis gravativus circa radicem naſi.
XVII. Narium pruritus.

XVIII.

XVIII. Sanguinis guttæ die indice erumpentes.

Int. Quibus ſignis dignoſcitur futura criſis per menſes, aut per hæmorroides.

R. Criſes rarò contingunt per menſes, aut per hæmorroides; tamen in aſſuetis interdum fiunt, & ex ſequentibus præcognoſcuntur.

I. Tenſio in lumbis, & gravitas præcedit.

II. Æſtus circa ſpinam, & dolor dorſi, præcipuè circa os ſacrum.

III. Spaſtici dolores abdominis, pręcipuè hypogaſtrii.

IV. Tenſio in hypochondriis.

V. Teneſmus cum ſenſu quodam rei, ano inhærentis.

VI. Tempus menſium inſtans in ſexu fœmineo.

Int. Quibus ſignis dignoſcitur futura criſis per vomitum?

R. I. Adeſt ventriculi morſus.

II. Capitis dolor acris, vertiginoſus.

III. Caligo oculorum.

IV. Tremor labii inferioris.

V. Copioſa ſalivæ in cavitatem oris effuſio.

VI. Rigor, & frigus.

VII. Conſtrictio in hypochondriis.

VIII. Nauſea, ac faſtidium, &c.

Int. Quibus ſignis dignoſcitur futura cryſis per *diarrheam*?

R. In quibus futura eſt criſis per diarrhæam, adſunt;

I. Alvi libertas aſſueta.

II. Frequens ructus, & hoſce ſubſequens, inflatio abdominis cum borborygmis.

III. Tormina interdum abdominis cum lumborum dolore.

IV. Fluxus aliquis alvi, die indice, &c.

Int. Quibus ſignis dignoſcitur futura criſis per ſudorem?

R. Ex ſequentibus dignoſcitur:

I. Ex eſſentia morbi ad talem excretionem proclivi, uti ſunt febres acutæ.

II.

II. Subjectum, aliás ad ſudorem pronum, habitu ſcilicet laxo, & ſpongioſo præditum.

III. Cauſa morbi ſubtilior, ad excretionem per Peripheriam corporis apta.

IV. Tempus anni, aut conſtitutio calida, habitum corporis laxans, & ad faciliorem tranſpirationem diſponens.

V. Pulſus mollis, & undoſus.

VI. Alvi ſuppreſsio.

VII. Urinæ paucior excretio.

VIII. Rigor.

IX. Calor habitus corporis, & color faciei floridus.

X. Vapor ex habitu corporis circa dies criticos exhalans, & lenis mador, habitum corporis occupans.

XI. Deliria prægreſſa, &c.

Int. Quibus ſignis dignoſcitur futura cryſis per *urinam*?

R. Dignoſcitur: I. Ex abſentia ſignorum, alias excretiones indicantium.

II. Die indicatorio urinæ copioſiores cum ſignis coctionis ſolent apparere.

III. Tempus hybernum.

IV. Ætas ſenilis.

V. Habitus corporis conſtrictus.

VI. Frequens mictus, aut ſtimulus ad mictionem.

VII. Ardor ſub mictione in extremo urethræ, &c.

Int. Quibus ſignis dignoſcitur futura criſis per abſceſſum?

R. I. Ex naturà morbi ad eoſdem pronà, febres ſcilicet acutæ, peſtis, aut acutæ ex decidentià, ubi perfecta criſis, non ampliùs ſperari poteſt.

II. Ex abſentià ſignorum ad perfectam criſim tendentium.

III. Urinæ longo tempore tenues, & crudæ.

IV. Rigor, urinæ fluxum ſiſtens, ſopor, & alia parotidem futuram indicantes.

Int. Quis eſt dies criticus?

R. Ille dicitur, in quo mutationes contingunt plurimæ, ac firmæ.

Int.

Int. Quot ſunt differentiæ dierum criticorum?

R. Tres : alii ſunt verè, & *perfectè critici*, alii *indices*, & alii *intercidentes*, ſeu *intercalares*.

Int. Qui dicuntur verè, & perfectè critici?

R. Illi dicuntur, in quibus criſes, quę contingunt, omnes perfectę criſeos notas habent.

Int. Quot ſunt dies verè critici?

R. Sunt ſeptenarii tres, videlicet, *ſeptimus, decimus quartus*, & *vigeſsimus*, aut *vigeſsimus primus*; quo tempore, morbi acuti plerumque ſuum terminum abſolvunt : hiſce ab antiquis Medicis adhuc, in morbis ultra communem terminum extenſis, adduntur vigeſsimus ſeptimus, vel octavus, trigeſsimus quartus, aut quintus, quadrageſsimus, aut quadrageſsimus primus: ultra quem terminum rariſsimè ſe extendunt, ſed morbi potiùs, vel abſceſsibus, vel lento ſucceſſu finiuntur.

Int. Qui dicuntur dies *indices*?

R. Illi, in quibus apparent ſigna coctionis, indicantque, quid in die critico ſucceſſurum ſit : hi ſunt, *quartus, undecimus*, & *decimus ſeptimus*; quorum primus, ſeptimi, ſecundus, decimi quarti, & tertius, vigeſsimi, vel vigeſsimi primi eſt index.

Int. Qui dicuntur dies *intercalares*, ſeu *intercidentes*?

R. Illi dicuntur, qui inter verè criticos, & indices intercalantur, vel intercidunt. In prima ſeptimana ſunt *tertius*, & *quintus*, in ſecunda, *nonus*, & *decimus tertius*, & in tertia *decimus nonus*.

Int. Evenire poſſunt criſes in his diebus?

R. Interdum, ob naturæ errorem, vel ob humorum motum nimium, aut malignitatem, criſes eveniunt, tamen imperfectæ, quia à natura irritata, aut laceſsita fiunt; ideòque *provocatorii* appellantur.

Int. Reliqui dies, qui in tribus ſeptimanis reperiuntur, quomodò vocantur?

R. Vocantur *vacui*, quia nec decernunt, nec judicant, nec provocant.

Int. Quare vocantur etiam *medicinales*?

Reſp. Quia illis diebus, ægri medentur, eiſque ca-

thar-

thartica citra periculum exhibere Medicus poteſt.

Int. Unde numerus dierum criticorum ineundus?

R. Ab incipiente manifeſta febricitatione, cum manifeſta actionum læſione. In puerperis, ſi febris non multò poſt partum incipiat, à partu enumerandi; ſecùs ſi poſt 6. 7. vel 8. oriatur, ibi à die febris computatio facienda. Idem dicendum de febribus ſupervenientibus vulneribus capitis. In recidivis, ſi idem morbus ſit qui revertitur cum priori, & ex priori reliquæ ortum habeat, computatio dierum cùm priori morbo connecti, & conjungi debet; ſecùs tamen, ſi novus, aut ex alia cauſa ortus ſit.

Int. In quibus morbis timenda eſt *recidiva*?

R. I. In morbis malignis, natura admodum debilitata.

II. In morbis longioribus.

III. In morbis provenientibus ab atra bile.

IV. In morbis à variis, & mixtis humoribus viſcidis, & craſsis ortis.

V. In morbis, qui in autumno eveniunt.

VI. In corporibus mala, debilique conſtitutione præditis.

VII. In quibus die non critico febres ſolvuntur.

VIII. In quibus, poſt criſim peractam, urina diù tenuis redditur, & parum colorata.

Int. Quænam eſt cauſa materialis dierum criticorum?

R. Eſt potiſsimum humorum peccantium, & fermenteſcibilium peculiaris conditio, congeſtio, & turgeſcentia, expultricem irritans, cui à plurimis, pro cauſa adjuvante, adjungitur influxus Lunæ, & Syderum, criſim variè modificantes.

Int. Quænam eſt cauſa efficiens criſis?

R. Eſt natura, vitales actiones in corpore dirigens, quarum ope humores vitioſos, primis febris acutæ diebus, ſenſim, ſenſimque alterat, & ad excretionem, vel abſceſſum diſponit, quam etiam critico die, niſi cauſæ potentiores obſtent, perpetrat, & in actum deducit: cum vero ad hancce excretionem, inſignibus motibus opus ſit, inſignes etiam ante eruptionem motus

tus tales ſequuntur moleſtiæ, quæ mox cum ipſo morbo ceſſant; ut vigiliæ, deliria, ſomni graves, difficilis anhelitus, vertigines tenebricoſæ, dolor capitis, colli, ſtomachi, & in aliquibus, aurium ſonitus, ſplendores oculorum, lachrymę involuntariæ, urinæ ſuppreſsio, labii agitatio, tremor, oblivio, &c. ex Hyp. 2. *Aph.* 13.

Int. Quibus ſignis dignoſcitur imperfecta criſis?

R. Dignoſcitur ex eo, quod non præceſſerint ſigna exquiſitæ coctionis, neque fiat in ſtatu, neque die critico.

Int. Quibus ſignis dignoſcitur mala criſis?

R. Ex ſignis optimæ contrariis, & ex quà æger non levatur, vel ſi meliùs habere, & quieſcere videatur, id prẹter rationem, cui etiam non fidendum, ex Hyp. 2. *Aphor.* 27.

Int. Quid notandum, & firmiter in memoria tenendum de criſibus?

R. I. Quo magis activa eſt cauſa morbifica, eò citiùs etiam ſequitur criſis.

II. Quo major eſt apparatus ad criſes in morbis acutis, & tamen prorſus nulli per partes excretioni conceditur locus, eò faciliùs periculoſæ metaſtaſes ad alia loca metuendę ſunt.

III. Morbi acuti neque ad criſim, neque ad ſucceſſivam excretionem tendentes, vel diuturni fiunt, vel maturè ægrotos jugulant.

IV. Hæmorragiæ narium in variolis, & morbillis tam juniorum, quam adultorum, etſi reliquum morbi decurſum, juxta experientiam, ſæpiùs ſatis tranquillum reddiderint, minimè tamen pro verè criticis ſunt habendæ.

V. Signa coctionis die indicatorio apparentia ſemper ſunt bona, non tamen neceſſariò criſim die decretorio futuram indicant.

VI. Criſes per ſudorem in acutis, ſi malum in ſanguine hæret, ut plurimùm meliores ſunt reliquis.

VII. In morbis malignis, aut peſte non ſemper fidendum eſt *Parotidibus*, aut *Bubonibus*, niſi enim promp-

tè ad maturationem tendant, ſæpè funeſti eventus fiunt cauſa.

VIII. Opiata eo tempore (quo omnia ſympthomata, ob criſim inſtantem, graviora ſunt) exhibita, motus ſalutares ſiſtendo, & excretionem impediendo venena potiùs, quàm auxilia ſunt.

Int. Quid eſt *Lyſis* morborum?

R. Eſt ſucceſsiva morborum ſolutio, quà mediante, vel per certas periodos, vel lentè admodum, materiæ morbificæ fiunt excretiones, cum ſequenti euphoria.

Int. Quæ obſervanda ſunt in *lyſi*?

R. I. Uti criſes perfectæ, die indicatorio ſigna coctionis præſupponunt, ita quoquè *lyſes* ſine hiſce, in febribus acutis numquam ſunt ſalutares.

II. Niſi *lyſes* tales reſpondeant periodis morborum, vix aliquid boni ab iis eſt ſperandum.

III. Quemadmodum cryſes, ita & *lyſes* ſufficientem expoſtulant excretionem.

IV. Plures morbi per *lyſes*, quàm per cryſes ſolvuntur.

V. Uti criſes, ita *lyſes*, per imprudentem medicationem turbantur.

VI. Niſi talibus excretionibus alacritas animi, ſomnus magis placidus, & remiſsio pulſus, aliorumque ſympthomatum, ut in acutis ſequatur, meritò ſuſpectæ ſunt.

VII. Quò magis tranquillæ ſunt *lyſes* in febribus, eo temperatiora etiam ab initio exhibenda ſunt remedia.

VIII. Cum, die indicatorio ut plurimum incipiant lyſes, ſive placidæ excretiones, probè cavendum eſt, ne per malum regimen, aut inconvenientia remedia turbentur.

IX. Quo magis lenta eſt materia morbifica, eò tardiùs procedunt *lyſes*, & è contrà.

X. Quo magis læſa ſunt viſcera, eò minùs ſalutaris morbi ſperanda eſt ſolutio.

XI. Quamprimum in morbis chronicis excretiones apparent, ſolutionis ſpes eſt, & è contrà.

Int.

Int. Cur hodie non experimur criſes, ita frequentes, ac tempore Hyppocr. ?

R. Id evenit ab imprudenti medicatione, ordinarios, & criticos, ad excretionem cum ſalute tendentes in febribus, naturæ motus turbante, & impediente. Egregia ſunt, quæ hanc in rem refert Proſper Martianus *in Comment. lib.* 11. *de Morb.* Hipp. *ſect.* 11. *pag.* 174. inquiens: *Continuò medicamentorum refrigerantium uſu, propter febrem, incraſſatis humoribus, corporibuſque denſatis, ſpontaneæ evacutiones ſæpè prohibentur, ut hæc non ſit levis cauſa, cur noſtris temporibus tam rarò fiant criſes, quę frequentiſsimæ erant antiquis.* Neque minùs luculentum eſt *Baglivii* teſtimonium, qui in *Praxi, pag.* 254. ait: *Mirari deſinant practici, ſi hodie, nec frequentes, nec perfectæ ſuccedant criſes, uti olim in Gręcia; ſiquidem illi Græcorum legum, vel ignari, vel obtrectatores, à principio morbi ad declinationem uſque, purgantibus, diaphoreticis, phlebotomiis, ſpirituoſis, aliiſque imprudentèr, & intempeſtivè exhibitis medicamentis, ægrotantes ferè conficiunt; ideò impoſsibile eſt, ut humores per tam diverſas remediorum ſeditiones diſtracti, ad criticæ deſpumationis negotium ſtato tempore diſponantur.*

LIBER QUARTUS, DE QUARTA PARTE MEDICINÆ, QUÆ HYGIENE, SIVE DIÆTA VOCATUR.

CAPUT PRIMUM.

De Aere.

Int. QUid eſt *Hygiene*, ſeu *Diæta*?

R. Eſt pars Medicinæ principalis, modum ſanitatem conſervandi, & reſtituendi per ſex res non naturales tradens.

Int. Quotuplex eſt *diæta*?

R. Duplex eſt, nempè alia in ſanis, quatenus ſcilicèt monſtrat, quomodò per legitimum rerum ſex non naturalium uſum, ſanitas conſervari poſsit; & alia in ægris, quatenùs regimen certum, & uſum rerum non naturalium præſcribit, ut ità morbus eo faciliùs ſuperari poſsit.

Int. Quid eſt *aer*?

R. Eſt congeries particularum ramoſarum ætherearum, globum terraqueum ambiens, & varia in inferiori regione effluvia continens, & hinc ad ſanitatem, & morbos multum conferens.

Int. Quotuplex eſt *aer*?

R. Alius eſt calidus, alius frigidus, alius humidus, alius

alius ſiccus, alius eſt calidus, & ſiccus, ut *æſtivus*, alius calidus, & humidus, ut *vernalis*, alius frigidus, & humidus, ut *hyemalis*, alius frigidus, & ſiccus, ut *autumnalis*, alius meteoris, & ventis commotus, alius quietus, alius multis repletus eſt effluviis, & alius purior eſt, & ſerenus.

Int. Quid obſervandum erga *aerem*?

R. I. Quod calidus aer ſanguinem nimis ſolvit, habitum laxat corporis, inſignes excitat ſudores, ac corpus inſigniter debilitat, quare ad ſanitatis conſervationem minimè eſt idoneus.

II. Frigidus, habitum corporis nimis condenſat, & tranſpirationem impedit, humores ſpiſſos reddit, ac varios morbos internos à ſpiſsitudine ſanguinis oriundos, producit; minùs tamèn noxiùs eſt, quàm nimis calidus.

III. Humidus, habitum corporis nimis relaxat, undè humores, majori copia in partes exteriores ruentes, facilè ibidèm ſtagnat, & corrumpit, & varii affectus catharrales oriuntur.

IV. Si nimis ſiccus eſt, partes quoquè corporis nimis exſiccantur, & flexibilitas earum debita periit.

V. Omnium ferè peſsimus eſt, aer humidus, & calidus; hic enim graviſsimos, & contagioſos parit morbos.

VI. *Aer* nimis ſpiſſus, & multis effluviis repletus, inſpiſſat humores, & ad varias ſtagnationes diſponit, imó ſæpiùs homines ferè ſuffocat.

VII. Effluvia noxia, & maligna, in aere contenta, facilè putredinem inferunt humoribus, & morbos malignos producunt.

VIII. Omnes ſubitaneæ aeris alterationes, frigidi in humidum, calidi in humidum, &c. ſanitatem, humores, & tonum nimis ſubitò alterando, maximè lædunt.

IX. *Aer* ſubterraneus, ſanitati maximè contrarius eſt.

X. Magis ſalutaris eſt aer in locis ſuperioribus, & ventis aliquomodò expoſitis; quoniam effluvia noxia facilè tolluntur: ideò domicilia in ſuperioribus domuum, præinferioribus eligantur.

XI. Conclavia non ſemper clauſa teneantur, ſed ſæpiùs aperiantur, ut ab aere tranſeunte, effluvia expellantur.

XII. *Aer* liber in locis campeſtribus, maximè confert ad ſanitatem; in primis ſi corpus in illo commoveatur ſimul.

XIII. *Aer* in conclavibus recentèr calce obductis, propter effluvia varia, ad ſanitatem minimè confert.

XIV. *Aer* à ventis nimis commotus, ſanitati non rarò contrarius eſt.

XV. Ad depurationem aeris, graſſantibus morbis contagioſis, maximè confert ignis flammans, aut varia ſuffumigia in prunis injecta.

XVI. Optimus eſt ad ſanitatem conſervandam, *aer* temperatus, ſcilicèt, neque calidus, neque frigidus, neque humidus nimis; & ſerenus, pauca nimirùm effluvia in ſe continens.

CAPUT SECUNDUM.

DE CIBO.

Int. QUid eſt *cibus*, ſeu *alimentum*?

R. Eſt corpus mixtum à plantis, & animalibus petitum, à facultate nutritiva per calorem, vel per eſurinum fermentum immutatum noſtroque corpori aſsimilatum, ut quod conſumptum eſt, reſtituatur.

Int. In quo differt *alimentum* à *medicamento*?

R. In eo, quod medicamentum non alteratur à natura; imò potiùs natura alteratur ab illo, vicemque agentis ſubſtinet: alimentum verò ab ea alteratur, vinciturque.

Int. In quo differt *alimentum* à *veneno*?

R. In eo, quod hoc naturam deſtruit, illique ſit inimicisſimum.

Int. Quotuplex eſt *alimentum*?

R. I. Quoad differentias alimentorum: aliud eſt propriè tale, in qualitatibus nullum manifeſtum habens

ex-

exceſſum, & ſic naturam ſenſibiliter non alterans, ut *caro*, & *panis*.

II. Aliud eſt *medicamentoſum*, quod pręter vim nutritivam, maximà ſui parte corpus quoquè alterat.

III. Ratione qualitatum primarum, aliud calidum, vel frigidum, vel humidum, vel ſiccum eſt: ratione verò ſecundarum, aliud craſſum, tenue, durum, molle, ſolidum, liquidum, lentum, glutinoſum, viſcoſum, vel friabile eſt.

IV. Aliud eſt ratione ſaporum, dulce, vel amarum, &c. aliud *eupeptum*, ſeu facilis coctionis; aliud *diſpeptum*, ſeu difficilis; aliud firmum, & perſeverans, quod ægrè diſsipatur; aliud, quod facilè diſcutitur; aliud quod difficilè; aliud quod difficultèr corrumpitur; aliud ab effectibus, vel aperiens, vel attenuans, abſtergens, vel incraſſans, &c.

Int. Quomodò inveſtigantur alimentorum facultates?

R. Hoc fit, tum per rationes deſumptas ab odore, conſiſtentia, & potiſsimum à ſapore; tum maximè per experientiam habita etiam ratione diverſæ conſtitutionis, & conſuetudinis hominum.

Int. Ad quid confert diæta, ſeu ſobrietas in alimentorum uſu?

R. I. Hominem ab omnibus penè morbis defendit, tollendo cruditatem, omnium morborum ſeminarium.

II. Morbos contumaces profligat, vel ſaltim mitigat.

III. Adversùs morbos externos, ut *vulnera*, *luxationes*, *fracturas*, *&c.* defendit; corpus purum, citra metum affluxus humorum vitioſorum conſervando.

IV. Corpus reddit leve, agile, vegetum, & ad omnes ſuos motus expeditum.

V. Longævitatem vitæ affert, & vigorem præſtat ſenſibus externis, tollendo omnes vitioſos ſuccos, organa ſenſus infeſtantes. Memoriam incolumem conſervat, ingenium acuit, tollendo humorum impedimenta, ut nimiam cerebri humiditatem, vaporum, & fuliginum abundantiam.

VI. Mitigat paſsiones animi, præſertim iræ, melan-

choliæ, & libidinis. Hos omnes effectus producit, debitæ quantitatis alimentorum obſervatio, ut adeò, licèt alimenta in ſubſtantia, qualitate, aliiſque conditionibus, aliquantulùm aberrent, tamen ſi pauca ſit eorum quantitas, non adeò nocitura ſint.

QUOAD TEMPUS CIBANDI.

Int. Quid obſervandum venit circa *cibum*?

R. I. Obſervanda venit conſuetudo: numquam autèm cibus aſſumendus, niſi prior anteà ingeſtus, omninò coctus ſit.

II. Bis in die comedere, convenientiſsimum: frequentiores tamen epulę cruditatem pariunt.

QUOAD PRÆPARATIONEM ALIMENTORUM.

Elixa faciliùs chylificantur, quam aſſa; quę quidem utpotè ſucco nutritivo magis ſcatentia, plus nutriunt.

QUOAD CONSUETUDINEM IN DIÆTA.

I. Obſervandus textus Hypp. 2. *Aphor. Conſueta longo tempore, & ſi deteriora ſint, inſuetis, minus moleſtare ſolent.* Habenda autem ratio conſuetudinis, non ſolùm circa ſubſtantiam ciborum, ſed etiam circa quantitatem, qualitatem, & tempus, ex eodem 1. *Aphor.* 17.

II. Si conſuetudo videatur mutanda, id fiat ſenſim, & ſine ſenſu.

QUOAD DELECTATIONEM.

In uſu alimentorum ibidem obſervandus Hypp. 2. *Aphor.* 38. ubi ait: *Pauló deterior, ſed ſuavior cibus, & potus, meliori quidem, ſed ingrato præferendus*; quia alimenta non admodum nociva, cum voluptate aſſumpta, ventriculus avidiùs amplectitur, retinet, promptiùſque, & expeditiùs concoquit.

QUOAD TEMPUS COCTIONIS.

Licet autem communiter coctionem abſolvi, intra 7. horarum ſpatium dicatur, tamen hoc perpetuum non eſt, ob magnam ciborum, ventriculorum, & aliarum

rũm varietatem; tunc enim cibum concoctum eſſe conſtat, ſi nequè odoris, neque ſaporis ſui, ſenſum in ore præbuerit, ſi circa ventriculi regionem, nulla adfuerit ampliùs gravitas, nullaque diſtenſio; tandemque ſi appetitus redierit.

QUOAD ALIMENTORUM ELECTIONEM, ex ſuis qualitatibus, & effectibus petitam.

I. Cibi ex regno vegetabili deſumpti, quoniam ad putredinem non adeò proni ſunt, ac carnes, magis proſunt ad vitam longam, quàm cibi ex regno animali.

II. Optimum nutrimentum prębet panis fermentatus, ex tritico, & ſecali paratus, non adeò recens, nec etiam nimis ſiccus.

III. *Panis azymus*, ponderoſus, craſſus, glutinoſus, & difficilis coctionis eſt, crudorumque humorum parens.

IV. Optimè quoque nutriunt cibi ex *hordeo* excorticato, *oryza*, *avena*, *milioque* parati.

V. *Legumina* quoniàm copioſos flatus producunt, non adeò conveniunt ad ſanitatem, quarè durioribus laboribus aſſuetis ſunt relinquenda.

VI. Illa in genere plerumquè craſſos generant ſuccos, & ægrè conficiuntur, viſcera obſtruunt, & inflant, ſtomachum gravant, alvum ſiſtunt, &c.

VII. Inter hæc, deterioris conditionis ſunt, *fabæ*, & *lentes*, mediocris, *phaſeoli*, melioris, *piſa*: *Cicera*, medicamentoſa ſunt, prębentia juſculum abſterſivum, diureticum, & hæmanagogum.

VIII. *Olera*, & ſi multum aquæ in ſe contineant, & hinc multùm non nutriant, optimum tamen efficiunt nutrimentum, ſi cum carne coquuntur, aut aliis condiuntur.

IX. Quo majorem aquæ copiam, fructus continent, eò magis ad corruptionem proni ſunt, & hinc ſanitatem lædunt.

X. Fructus acidi optimè temperant nimium humorum calorem.

XI. Omnes ferè *fungi*, quoniam multum viſcidæ, & mucoſæ materiæ continent, parum nutriunt; imò ſæpiùs noxii ſunt, ſi condimentis non corrigantur.

QUOAD CARNES QUADRUPEDUM.

I. *Caro* recens genitorum, mucoſa, humida, & excrementitia: è contrà, ætate confectorum, dura, ſicca, concoctu difficilis, pauci, pravique alimenti.

II. Caro eorum, quæ paluſtria, & lacuſtria incolunt loca, humida, & excrementitia: E contrà, quę ſicca, & montuſa, excrementis vacua, & concoctu faciliora: eodem modo animalia ſilveſtria ſicciores ſuppeditant carnes, urbanis, & domeſticis.

III. Animalia caſtrata, teneriores, & ſapidiores carnes habent, non caſtratis.

IV. *Caro arietina*, valdè optima, quia facilis eſt coctionis, laudabile, & permanens præſtans nutrimentum.

V. *Caro bubula* recens, ac benè cocta, alimentum præbet bonum, firmum, ac durabile; ſi antiqua, difficilis eſt coctionis, alvum ſiſtit, obſtructionum, ac affectuum melancholicorum cauſa eſt.

VI. *Caro Suilla*, propter pinguedinem, & molliorem conſiſtentiam ad corruptionem, præ cæteris, magis prona eſt.

VII. *Caro agnina*, & *vitulina* optimè nutriunt; propter laxiorem tamen conſiſtentiam, facilè quoque corrumpuntur.

VIII. *Carnes ferinæ*, & ſi inſigniter nutriant, non tamen adeò facilè digeruntur, ac reliquæ.

IX. *Caro porcellorum*, præhumida, mucoſa, & magis excrementitia, minuſque nutrit, quàm *ſuilla*.

X. *Caro aprina*, ex junioribus apris deſumpta, melior carne porcorum domeſticorum, utpotè ſiccior, minuſque pinguis.

XI. *Caro ovilla*, ſucci lenti, viſcidi, & diſpepti; minùs tamen talis, ſi deſumatur ex junioribus.

XII. *Caro cervina* annoſa, ſicca, dura, craſſa, ægrè coctilis, ſuccique melancholici ferax, alvum indurat, viſ-

viſcera obſtruit, ac quartanam generat; ex hinnulis deſumpta, mollior, tenerior, concoctuque facilior, & ſalubrior.

XIII. *Caro caprarum*, ſalubritate ſucci, gratia ſaporis, facilitate digeſtionis, paucitate excrementorum, & virtute nutriendi, aliorum ſilveſtrium animalium carnibus antecellit.

XIV. *Caro leporina*, ſicca, craſſa, dura, ſuccumque melancholicum generat.

XV. *Caro cuniculorum* mediæ ætatis, ad leporinam propriùs accedit.

QUOAD CARNES VOLATILIUM.

I. *Gallina*, quæ juvenis, & mediocriter obeſſa eſt, carnem habet coctu facilem, ſucci boni, & multum nutriens.

II. *Pulli gallinacei* bimeſtres, & trimeſtres, carnem gallina humidiorem habent, liberaliter alunt, facilèque digeruntur.

III. *Gallus gallinaceus*, durior, ſiccior, coctioniſque difficilis eſt.

IV. *Capones ſaginati*, potenter alunt, facilèque digeruntur.

V. *Pulli collumbini* urbani, montanis quidem humidiores, & magis excrementitii, non tamen inſalubres, aut ægrè coctiles.

VI. *Pavones*, ſplendida potiùs, quàm utilia ædulia, carnem habent duram, fibroſam, & coctu difficilem.

VII. *Gallus indicus* juvenis, uno, vel altero die ante appoſitionem jugulatus, ſucci bonitate, & ſaporis ſuavitate, capone vix inferior.

VIII. *Anſer*, & *Anas* carnem habent craſſam, coctu difficilem, præſertim annoſi; meliores tamen ſunt, qui ætate mediocres, ſaginati, & aſſi.

IX. *Palumbes* carnem habent duriorem, & ad coquendum difficilem; boni tamen durabilis, & ſalutaris nutrimenti.

X. *Turtures*, palumbis minùs ſiccæ, & ſic facilioris coctionis.

XI.

XI. *Perdices*, præcipuè pulli, præſtantiſsimæ, & ſucci bonitate, & coctionis facilitate, nutrimenti multi, ac excrementi pauci; vetulla perdix, dura, lenta, & ægrè coctilis.

XII. *Phacianus*, gallinarum carne ſiccior, alimentum quoque omnibus modis præſtans exhibet.

XIII. *Cothurnix*, ſubſtantiæ tenuis, boni ſucci, ſaporiſque ventriculo grati.

XIV. *Turdus*, & *Merula*, carnem habent ſapidiſsimam, nutrimenti boni, & firmi.

XV. *Alauda*, ſapidiſsima, etiam facilè digeritur, bonum gignit ſanguinem, probèque nutrit.

QUOAD LACTEM.

I. *Lac* in activis temperatum, ad frigidum tamen potiùs inclinans, in paſsivis humidum, eſt ſucci optimi, facilè digeritur, ſufficienter alit, corpus roborat, & impinguat, carnes auget, & ventrem emollit.

II. *Vaccinum*, craſiſsimum, & pinguiſsimum, plus nutriens; ægriùs tamen coctile, minus alvum ſubducens, magis autem viſcera obſtruens, tardiùs deſcendens, ac facilè coagulabile.

III. *Camellinum*, & *aſsininum* priori contrarium, minùs alens, alvum plus movens, facilis tamen coctionis, & diſtributionis.

IV. *Ovillum* caprino craſsius, & plus caſei, quàm ſeri habens.

V. *Serum lactis*, medicamentum potiùs, quàm alimentum, & quidem aperiens, attenuans, abſtergens humores bilioſos, aduſtos, & craſos.

QUOAD OVA.

Ova gallinacea tremula, maximè nutriunt, ſimulque vim cibi, & potus habent: his virtute accedunt ſorbilia. Indurata ſunt coctionis difficilioris, tranſitus tardi, ſucci craſsi; his tamen deteriora, aſſa ſub cineribus, peſsima autem frixa.

QUOAD

QUOAD PISCES.

I. *Piſces* in genere, alimentum frigidum, & humidum, minuſque durabile præbent.

II. *Piſces* in limoſis, ſordidis, graviterque olentibus aquis degentes, carnem habent mucoſam, excrementitiam, facilèque putreſcibilem: præſtantiores è contrà, fluviatiles, & maximè petrei, ſive ſaxatiles in ſaxoſis aquis deliteſcentes, qui facilè coquuntur, ſanguinemque mediocrem gignunt.

III. *Lucius* fluviatilis carnem habet duriuſculam, & fabrilem, facilis coctionis, boni ſucci, & excrementis vacuam; lacuſtris verò limoſum virus redolet.

IV. *Perca* mediæ ætatis, ac fluvialis, coctu facilis, & ſalubris.

V. *Cyprinus* pinguis, dulcis, humidus, mollis, & excrementitia carne præditus eſt; ideò non admodùm ſalubris.

VI. *Barbus* carnem habet albam, mollem, non inſuavem, ſucci non adeò mali, faciliſque coctionis, & diſtributionis.

VII. *Anguilla*, guſtu quidem ſuavis, ſed cacochima, generans humores pituitoſos, lentos, & glutinoſos, & hinc obſtructiones, & febres.

VIII. *Tinca* mollis, glutinoſa, excrementitia, ſucci craſsi, impuri, ſaporis ingrati, putridis febribus occaſionem ſuppeditans.

IX. *Truttæ*, inter ſaxatiles principem ferè locum obtinentes, ſucci optimi ſunt, atque ſalubres, faciliſque coctionis.

X. *Salmunculi*, bonitate *truttas* æquant, vel etiam ſuperant.

XI. *Tymallius*, etiam apprimè delicatus, guſtu ſuavis, coctu facilis, ſucci boni, & nutrimenti mediocris.

XII. *Funduli* delicati, boni ſucci, facilis digeſtionis, atque adeò ſalubres.

XIII. *Capitones* itidem carnem habent mollem, ſuavem, & coctu facilem.

XIV.

XIV. *Gobbi fluviatiles* alimentum præbent tenue, ſucci tamen boni, coctu, & per meatu facilis.

XV. *Alburini*, piſciſculi viles, non tamen adeò inſalubres.

XVI. *Zampetra fluvialis*, delitioſæ magis, quam ſalubres.

XVII. *Salmo recens*, carnem habet teneram, fabrilem, dulcem, ſapidam, minimè excrementitiam, ſucci boni, & multi nutrimenti.

XVIII. *Zampetra marina* carnem habet mollem, & glutinoſam nocivam artrithicis, & calculoſis.

XIX. *Aſſellus marinus* recens carnem habet friabilem, ac teneram, boni ſucci, & facilis coctionis.

XX. *Sardina*, potiùs gulæ oblectamentum, & incitamentum ad bibendum, quàm ſalubris.

XXI. *Oſtres*, molles, viſcoſæ, phlegmaticæ, parum alentes, ac facilè corruptibiles.

XXII. *Ranæ*, lentum, craſſum, phlegmaticum, ac facilè putreſcibilem ſuccum ſuppeditant.

XXIII. *Teſtudines* carnem habent duram, coctu difficilem, validè tamen nutrientem.

XXIV. *Gummari* conſtant carne frigida, craſſa, duriori, & difficilioris coctionis; benè tamen nutriente, & ſanguinis acrimoniam temperante.

XXV. *Cochleæ terreſtres* carnem habent perduram, coctu difficilem, craſſorum ſuccorum genitricem, & obſtructionum matrem fœcundam.

QUOAD FRUCTUS ARBORUM.

I. *Ceraſa*, quæ ſi acida fuerint, melioris ſunt ſucci, nec tam facilè corruptibilia, ſitim ſedant, ac appetitum excitant: ſi dulcia, humida, mollia, ſunt mali ſucci, facilè corruptibilia, lumbricos, & febres putridas generantia.

II. *Pruna*, quæ ſi recentia, alvum laxant, alimentum paucíſsimum præbent; idque aquoſum, malum, ac facilè corruptibile diarrhæas, & dyſſenterias producens.

III.

III. *Morum* minimum alimentum præbet, alvum laxat, ſitim ſedat, appetitum reſtituit, ac bilis fervorem temperat.

IV. *Mala perſica* parum alunt, ſuccum aquoſum, ac facilè corruptibilem præbent.

V. *Mala armenica*, perſicis minùs humida, & ideò ſalubria.

VI. *Poma*, quę ſi auſtera, aut acerba fuerint, ventriculum roborant, & alvi fluxus ſiſtunt; ſi acida, craſſos humores incidunt, & ſubducunt.

VII. *Pira* prout earum diverſitate, varia, prout inſipida, vel auſtera, vel dulcia.

VIII. *Meſpillus* adſtringit, fluxus alvi ſiſtit, ventriculum roborat, appetitum excitat, nimis maturus faciliùs corrumpitur, & putreſcit; ejus oſsicula diuretica, & lithontriptica ſunt.

IX. *Mala cidonea* adſtringunt ventriculum, & cor confortant, vomitus, & alvi profluvia ſiſtunt.

X. *Mala punica*, maximè medicamentoſa, valent ſtomachum vomiturientem firmare, nauſeantem, & æſtuantem: utilia etiam in diarrhæa, & diſſenteria: dulcia calidiuſcula ſunt, & laxativa.

XI. *Mala citra*, *limonia*, & *aurantia*, condimenta, & medicamenta potiùs, quàm alimenta, appetitum excitantia, cordialia, & alexipharmaca.

XII. *Ficus*, ſi recentes, & maturi, naturę ſunt temperatæ in activis; at verò in paſsivis humidæ, præbentes ſuccum, plus reliquis fructibus nutrientem, penetrantem, & abſtergentem; ſi immaturi, ſuccum pravum, & facilè putreſcibilem: ſi ſicci ſunt, calidiores, & ſicciores, habentes vim majorem abſtergendi, attenuandi, ventrem ſubducendi, renes mundificandi, &c.

XIII. *Amigdalæ dulces* copioſè nutriunt, præbentes alimentum euchimum; craſſum tamen, & ægriùs concoquibile, detergunt, urinam cient, ſomnum conciliant, &c.

XIV. *Caſtaneæ* alimentum præbent ſatis copioſum, craſſum tamèn, difficilis coctionis, tardè deſcendens,

ven-

ventrem ſupprimens, flatus excitans, ac venerem ſtimulans.

XV. *Nuces juglandes* virides,& adhuc ſucculentæ parùm alunt,& ægrè conficiuntur; cum ſaccharo conditæ, ſtomachum corroborant: ſiccæ, & aridæ parciùs nutriunt, difficultèr coquuntur, ſtomacho nocent, bilem generant, capitis dolorem, raucedinem, & tuſsim excitant; lumbricos tamèn expellunt, & venenis reſiſtunt.

XVI. *Nuces avellaneæ* recentes, excrementitiæ, flatulentæ, coctioni rebelles; & largiùs comeſtæ vomitus, flatus, & dolores capitis excitant.

XVII. *Nuces pineæ* liberalitèr alunt, ſed non facilè concoquuntur, lac, & ſemen augent, utiles tuſsientibus, tabidis, phtiſicis, urinæ ardore, & calculo laborantibus.

XVIII. *Olivæ* immaturæ condimenta ſunt adſtringentia, ſtomachum roborantia; ac appetitum excitantia.

XIX. *Oleum* ex maturis expreſſum, emolliens, laxans, leniens, levigans, & acrimoniam contemperans: ex immaturis expreſſum, & omphancinum dictum, refrigerat, & adſtringit.

XX. *Fragaria*, conducibilia ſtomacho æſtuanti, ſitienti,& fervori viſcerum; alimentum conferunt exiguum, tenue, & aquoſum.

XXI. *Cucumis*, alimentum præbens exiguum, aperit, attenuat, & urinas movet.

XXII. *Cucurbita* parùm alit; cucumere tamen ſalubrior.

XXIII. *Melones* ſitim ſedant, urinam movent, facillimè autem corrumpuntur; corruptique, naturam veneni inducentes, choleram, aut febres malignas excitant.

XXIV. *Uvæ*, ut ficus inter fructus autumnales plurimùm nutrientes, minimum pravi ſucci obtinent, modò perfectę maturæ, præſertim dulces, corpus egregiè reficientes, & humectantes. Immaturę acidæ, auſteræ, atque acerbæ, flatulentę, alvum turbant, dolo-

res

tes cholicos, diarrhæas, & dyſſenterias excitant.

Uvæ paſſæ, ventriculo gratæ, tuſsi inſuper, faucibus, ac renibus proficuæ, detergendo, leniendo, contemperando, & humectando.

XXV. *Paſſæ chorintiacæ*, humectant, laxant, leniunt, ardoremque contemperant.

QUOAD CONDIMENTA.

I. *Cinamomum* coctionem juvat, flatus diſcutit, partes roborat, viſum clarificat, urinam, & menſes ciet.

II. *Chariophili*, cerebrum roborantes, ſpiritus reficientes, coctionem juvantes, flatus diſcutientes, uterum, & fœtus recreantes, ac viſum acuentes ſunt.

III. *Zinziber* ventriculum roborat, coctionem promovet, flatus diſcutit, appetitum à cauſa frigida languentem excitat.

IV. *Piper* eaſdem vires habet, ſed fortiores.

V. *Nux moſchata* adſtringit, roborat, coctionem juvat, flatus diſcutit, fluentem alvum ſiſtit, ac frigidis nervorum affectibus ſuccurrit.

VI. *Macis*, ſubſtantiæ ſubtilioris, calidior, ſiccior, omninòque nuci activitate excedens.

VII. *Crocus* intus aſſumptus, vi cardiaca pollet, putredini adverſa, menſes, fœtum, & ſecundinas educit.

VIII. *Synapis* ventriculum calefacit, pituitam ei adhærentem abſtergit, coctionem juvat, & appetentiam excitat.

IX. *Mel* juxta AA. alimentum purum quaſi incorruptibile præbet, abſtergit, mundificat, attenuat, incindit, ac putredini reſiſtit.

X. Saccharum abſtergit, putredinem arcet, alvum laxat, pectus lenit, benèque nutrit. Juxta RR. occulto ſuo acido volatili, fermentativo, inimicum ſanguini, nervis, & dentibus eſt.

XI. *Sal* optimum, uſsitatiſsimum, ſummèque neceſſarium ferculorum penè omnium condimentum, abſtergit, putredinem arcet, digerit, ſapida reddit edulia, appetentiam excitat, coctionem promovet, &c.

CAPUT TERTIUM.

DE POTU.

Int. QUid eſt *Potus*?

R. Eſt alimentum fluidum corporis nutritioni, & alimentorum reſolutioni inſerviens, ac fluxilitatem ſanguinis conſervans.

Int. Quotuplex eſt *Potus*?

R. Duplex, alius *naturalis*, ut *aqua*, & *vinum*: alius *artificialis*, ut *cerevicia*, *mulſa*, potus *theæ*, *caphea*, &c.

Int. Quid obſervandum venit circa *potum*?

R. I. Aquæ potus eſt maximè naturalis, & ad vitæ longævitatem inſigniter confert.

II. Quæ cryſtallini coloris, levis, & inſipida: quæ in glaciem non facilè vertitur: quæ igni admota, citò calefit, & remota citò refrigeratur: quæ aliarum reſpectu, citò concoquitur, promptèque hypochondria permeat, optima eſt.

III. *Aquæ paluſtres*, & ſtagnantes, peſsimæ, utpotè craſſę, limoſæ, crudæ, putridæ, viſcera obſtruentes, ac ad calculos, & febres malignas diſponentes.

IV. *Fluviatiles* prædictis meliores; præſertim quæ ex magnis, rapidis, dulcibus, & limpidis fluminibus per laudabiles terras fluunt.

V. *Marinæ* impotabiles ſunt.

VI. *Fontanæ* ex petris, & rupibus ſcaturientes, crudæ: optimæ autem, quæ ex locis ſublimibus terreiſque collibus manant.

VII. Quæ ad Solis ortum manant, ſapore gratæ, & ſuaves, puræ, lympidæ, hyeme calent, & æſtate frigent.

VIII. Bonitate ſuccedunt ſeptentrionales orientalibus; quia craſsiores, impuriores, & inſalubriores: peſſimæ, meridionales, utpotè ad mingendum difficiles, ægrèque permeabiles.

IX. *Puteales*, graves, terreæ, ægrè coctiles, alvum ſiſtentes, & obſtructiones in viſceribus producentes.

X.

X. *Ciſternales*, meliores, quæ ex aquis pluviis æſtate collectæ ſunt.

XI. *Pluviales*, licet ferè omnium ſint leviſsimæ, tamen ob vapores, & exhalationes permixtas, facilè ſunt putreſcibiles.

XII. *Nivales*, *&* *glaciales*, craſſæ, terreſtres, graves turbidæ, nimis frigidæ, crudæ, & incoctiles, ventriculum lædunt, coctionem impediunt, flatus, & tormina pariunt.

QUOAD VINUM.

Int. Quid eſt *vinum*?

R. *Eſt potus alimentoſus, & medicamentoſus, nectar generis humani ſuaviſsimum, triſtitiæ, & mœroris profligator, cordis amicus optimus, ventriculi debilioris, ac frigidioris medicina ſaluberrima, reparator ſpirituum, caloris nativi conſervator, ac promotor, viriumque omnium refocillator unicus.*

Int. Quibus donatur qualitatibus?

R. Quoad primas qualitates eſt potentia calidum, & ſiccum, ab ejus verò colore, ſapore, odore, conſiſtentia, ætate, virtute, loco natali, uvarum ſpeciebus, &c. multiplices ſumuntur differentię.

I. *Muſtum* occurrit, quod ventrem, & inteſtina flatibus implet, & niſi ocyus deſcendat, ac alvum ſubducat, colicum dolorem, inſomnia gravia, viſcerum obſtructiones, calculumque ciet.

II. *Vina alba tenuia*, diuretica, & hydroptica ſunt, nervos minimè ferentia, neque caput halitibus implentia, utilia proinde cholericis, ſanguineis, æſtate, & regione calida, ac potiſsimum litteratis.

III. *Vina alba craſſa*, plus quidem alunt, minùs tamen penetrant.

IV. *Vina flava* cæteris calidiora, ſenibus accommodata, naturiſque frigidis, pituitoſis, & ſedentariis.

V. *Vina pallida*, ſeu media inter alba, & flava, fortiora ſunt albis, debiliora tamen flavis.

VI. *Vina diluto, ac vermiculo colore rubentia*, non ad-

modum ſunt calida, ori, ut plurimum grata, minus caput ferientia, promptiùſque ad veſicam abeuntia.

VII. *Vina rubra*, albis calidiora, eòque magis, quò plus accedunt ad nigredinem, magis nutriunt, tardiús diſtribuuntur, & meraca caput feriunt, præſertim ſimul craſſa.

VIII. *Vina nigra, craſſa, & dulcia* ſanguinem gignunt celeriter, viſcera tamen obſtruunt, tardè diſtribuuntur, cerebrum citò tentant, alvumque adſtringunt.

IX. *Vina dulcia* benè quidem nutriunt, minús calida, minuſque caput, vel nervos feriunt, quia verò craſſa, obſtructiones pariunt.

X. *Vina auſtera, & acerba*, minùs calida, diutiùs in hypochondriis morantia, ac tardiùs ad vias urinæ petentia, noxia in affectibus pulmonum, utiliora fluxibus alvi, & reſoluto ſtomacho.

XI. *Vina accida* comparativè refrigerant, attenuant, humectant, inflant, ventrem turbant, ac tormina excitant.

XII. *Vina odora, & fragrantia*, cordi amica, ſpiritus reficiunt, vires etiam olfactu recreant, animum lætificant, totumque corpus confortant; capiti tamen, & nervis aliquantulum infeſta.

XIII. *Vina inodora* viliora, & imperfecta ſunt.

XIV. *Vina generoſa*, medicamenta potiùs, quàm alimenta, coctionem ciborum juvantia, vitanda tamen in iis, qui debili capite, & calidiori complexione ſunt præditi.

XV. *Vina novella, ſive recentia* aquoſiora, debiliora, & excrementitia ſunt, coctionis, & diſtributionis difficilis, hypochondria inflantia, viſcera obſtruentia, & calculos generantia.

CAPUT QUARTUM.

DE MOTU, ET QUIETE.

Int. QUid eſt *motus*, ſeu exercitatio?

R. Eſt translatio voluntaria corporis de loco in locum: iſte à Gal. *lib. de Succ. Bonis, &*

vit.

vit. cap. 2. ciborum parſimoniæ anteponitur, utpotè ſpiritus, & calorem excitans, poros aperiens, humores attenuans, eoſque per ſudores ſenſibiliter, inſenſibiliter per tranſpirationem evacuans, partes robuſtiores, & firmiores faciens, coctionem promovens, appetitum ciborum acuens, & alimenti diſtributionem adjuvans.

Int. Quotuplex eſt exercitatio, ſeu motus?

R. Alius eſt fortis, alius lenis, & alius continuatus; ſicque quies, vel eſt nimia, vel eſt ſufficiens ad reſtaurandas vires.

Int. Quid obſervandum venit circa motum?

R. I. Motus corporis non excedens, & legitima agitatio corporis, non ſolùm multum confert ad ſanitatem conſervandam, ſed etiam ad morborum chronicorum curationem.

II. Per motum corporis, fluxilitas ſanguinis, & calor conſervatur, & ſecretiones, ac excretiones optimè moventur.

III. Ejuſdem motus ope, abundantia ſanguinis ſenſim, ſenſimque conſumitur, roburque partium conſervatur.

IV. Motus ſemper continuetur, uſque ad placidam ſudoris excretionem.

V. Motus in aere libero magis confert ad ſanitatem, quàm in locis clauſis ſuſceptus.

VI. Equitatio hypochondriacis, & hæctica incipiente laborantibus, maximè ſalutaris eſt.

VII. Tempus ad motum optimum, eſt matutinum, jejuno ſtomacho: exercitatio poſt paſtum ſtatim inſtituta, peſsima, quod intelligendum de fortiori; cum levis deambulatio, nec calorem, & ſpiritus avocans, nec cibum incoctum rapiens, inſervire poſsit. Sicuti autem motus ſanitati plurimùm proficuus, ita immoderatus, ſpiritus exhaurit, calorem diſsipat, vires debilitat, muſculorumque robur diſſolvit.

VIII. Uti exercitium immodicum, ita & perpetua, ac immodica quies ſanitatem deſtruit, humorum cru-

dorum copiam producendo, calorem nativum ſuffocando, coctiones impediendo, animumque torpidum reddendo.

IX. Quies poſt motum fortiorem non ſtatim ſuſcipiatur, ſed corpus adhuc aliquandiù leniter moveatur, ut partes excrementitiæ ſanguinis, eó commodiùs per tranſpirationem expelli queant.

CAPUT QUINTUM.

DE SOMNO, ET VIGILIA.

Int. QUid eſt *ſomnus*?

R. Eſt ceſſatio ab actionibus animali bus ſenſu ſcilicet, atque motu, corporis, & inprimis ſolidarum partium reſtaurationi, & refocillationi inſerviens.

Int. A quà cauſa fit?

R. Juxta AA. à revocatione caloris ad interiora, ac exinde facta evaporatione, vaporibus frigiditate cerebri nonnihil condenſatis, nervos replentibus, & obſtruentibus. Juxta RR. vero à remiſsione, & ſubſidentia fibrillarum, pororum, ac tubulorum cerebri, oriunda ſpirituum animalium, vel defectu, vel torpore, ac fixatione, tubulos cerebri non ſatis inflantium, & expandentium.

Int. Quid obſervandum circa *ſomnum*?

R. I. Somnus organa ſenſoria, & motoria à laboribus fatigata, admodum refocilat.

II. Humidioribus ſubjectis majus tempus ſomni concedendum eſt, quàm ſiccioribus.

III. Somnus ſtatim poſt cœnam initus noxiùs eſt.

IV. Somnus diurnus, & præſertim meridianus, vitandus; minùs tamen nocivus erit, ſi ſit breviſsimus, ſi fiat erecto potiùs corpore, quàm decumbente, neque ſtatim à prandio, ſed intercedente aliqua mora, & levi deambulatione: attamèn infantibus, ſenibus, & debilibus non denegandus eſt.

V.

V. Somnus nimius corpus enervat, hominesque ſtupidos reddit.

VI. Intèr labores corporis, & ſomnum, continua debet eſſe proportio.

VII. Spatium ſomni ordinarium, ſeptem, vel octo horis definitur, convenit aliis brevior; longior pueris, ſenibus, biliosis, defatigatis, helluonibus, & ventriculum debiliorem habentibus.

VIII. Sicuti ſomnus moderatus vires, & actiones omnes roborat, corpus humectat, hilareſque reddit; ita nimiùs, ſpiritus reddit torpidos, cerebrum nimiùm humectat, & relaxat, calorem crudis humoribus cumulatis obtundit, mentique, & memoriæ, quaſi ſegnitiem, & ſtuporem conciliat.

IX. Nil magis corpus debilitat, quàm continuæ vigiliæ, exhauriendo ſpiritus.

X. Uti ſomnus nimius ſubjectis humidioribus nocet, ita vigiliæ moderatæ ipſis quám maximè proficuæ ſunt.

CAPUT SEXTUM.

DE EXCRETIS, ET RETENTIS.

Int. QUid intelligitur *per excreta*, & *retenta*?

R. Excreta, & retenta ſunt humores corporis inutiles, & utiles, quorum illi è corpore expelli, hi veró in eo retineri debent, ut ſanitas conſervetur. Sicque:

I. Urina ſuppreſſa hydropem, affectus ſoporoſos, & alia excitat ſympthomata.

II. Suppreſsio menſium fœminas reddit hyſtericas, & difficultèr ſpirantes; adeòque menſium fluxus, non turbetur per diætam inordinatam, ne hæc ſequantur mala.

III. Fluentibus menſibus, vitentur cibi acidi, malæ digeſtionis, flatulenti, refrigeratio corporis; quoniam talia menſium fluxus ſiſtere ſolent.

IV. *Tranſpiratio inſenſilis* (qua teſte *Santorio de Me-*

dic. Static. plura, & copioſiora excrementa evacuantur, quàm omnibus aliis evacuationibus ſimul ſumptis) *impedita* cutis defœdatione pruritum *ſcabiem*, *hydropem*, *febres*, *&c.* excitat: ſicque erumpentibus ſudoribus, corpus quietum in lecto contineatur, nec etiam finito ſudore, aeri ſtatim exponatur.

V. *Venus*, quæ legitimè, & debitè exercita ſanitati conducit; immoderata autèm, & intempeſtiva, plurimum *oculis*, *capiti*, *nervis*, *thoraci*, omnibus viſceribus, & artubus nociva.

VI. *Venus* hyeme non pernicioſa, vere tutiſsima: neque æſtate verò, neque autumno utilis eſt: exercetur tamen commodiſsimè ab iis, qui ſanguinolenti, & habitus pleni ſunt; & quidèm manè poſt ſomnum, facta alimenti digeſtione, & diſtributione.

VII. *Saliva* non ſemper expuatur, ſed maximam partem deglutiatur, ut ciborum digeſtio promoveatur, flexilitas fibrarum conſervetur, & excrementa alvi aliquomodò diluantur.

VIII. Qui ad alvi laxitatem proni ſunt, vitent refrigerationem corporis, & præcipuè pedum.

IX. Si excretiones alvinæ quotidiè non excernantur, excretio per lenia ſtimulantia, & lubricantia promoveatur.

CAPUT SEPTIMUM.

DE ANIMI PATHEMATIBUS.

Int. QUid ſunt animi pathemata?

R. Sunt motus ab objectis externis excitati corpus, & in primis ſpiritus animales maximè alterantes, & hinc ad ſanitatem, & morbos multum contribuentes. Juxta AA. cor, & ſpiritus vitales primariò in animi pathematibus afficiuntur. Juxtà RR. verò cerebrum potiſsimum, & ſpirituum animalium influxus læditur, hocque mediante, motus cordis, & ſanguinis circulatio perturbantur.

Int.

Int. Quot ſunt paſsiones animi?

R. Multiplices ſunt. I. *Timor*, ſeù animi demiſsio, ob apprehenſionem mali imminentis, in quo ſpiritus ſiſtuntur, in motu retardantur, ſanguis intrò reducitur, undè frigus, pallor, tremor, vocis interruptio, interdum alvi, vel urinæ ſolutio, & quandoque ab oppreſsione cordis, mors ipſa.

II. *Ira* ſeu appetitus vindictæ, ob injuriæ illatæ apprehenſionem, in qua ſanguis, & ſpiritus violentèr commoventur, efferveſcunt, & per vices è cerebro in nervos exploduntur; hinc quandoque febres, bilis commotio, accenſio, &c.

III. *Triſtitia*, ſeù dolor, ob malum præſens apprehenſum, in qua ſpiritus, & ſanguis debilitèr moventur, hinc à ſtagnatione, pectoris gravitas, ac quaſi ſuffocatio, & quandoque mors, hinc pulſus minor, extremorum frigus, & pallor, coctionum debilitas, &c.

IV. *Lætitia*, ſeù delectatio ob bonum adeptum apprehenſum, in qua, ſi moderata ſit, ſanguis, & ſpiritus grato, & æquali motu per totum corpus diffunditur, ut omnes partes blando calore ſuffundantur, & quaſi exultent, ſi nimis ſpiritus diſsipantur, cordiſque robur diſſolvitur adeò, ut aliqui etiam prægaudio nimio extincti.

V. *Pudor*, ſeù magna opinio, & ſcandali apprehenſio, in quo ſpiritus, & ſanguis inæqualitèr excurrunt, modò ad intra refugientes, modò rursùm affatim ad exteriora effuſi, unde facies modò pallet, modò rubet.

VI. *Spes*, ſeù appetitio boni futuri, adquiſitu quidem ardui, ſed etiam poſsibilis, in qua placidiſsimus ſpirat ventus ſpirituum.

VII. *Amor*, ſeu appetitus objecti, ut boni apprehenſi, in quo pulſus velocior inæqualis, corpus paululum fit calidius, ſanguis, & ſpiritus jucundo motu agitantur.

VIII. *Odium*, ſeù apprehenſio objecti, ut nocentis, vel inconvenientis, contrarium operatur.

IX. *Invidia* triſtitiæ, & lætitiæ affectus habet.

X. *Deſperatio* tandèm, ſeù affectio nata ex apprehenſione boni, ut quaſi impoſsibilis, in qua ſpiritus quaſi incarcerantur, ac cor non ſatis conſtringunt, undè ſanguis ſtagnans, ingentis cordis coarctationis, & puncturæ quaſi ſenſum facit.

CAPUT OCTAVUM.

DE DIFFERENTIA DIÆTÆ reſpectu ætatum, ſexus, & temperamentorum.

Int. Quid eſt *diæta* reſpectu *ætatum*?

Reſp. Eſt illa, quæ reſpectu certarum ætatum, unicuique competentes regulas diæteticas præſcribit.

Int. Quotuplex eſt?

R. Triplex eſt, alia reſpicit diætam à prima infantia, uſquè ad mediam ætatem.

Alia tractat diætam mediæ ætatis.

Alia ſenibus vivendi regulas præſcribit.

Int. Quid obſervandum venit pro præſcribenda debita diæta unicuique ætati?

R. I. Infanti in lucem edito, & à ſordibus purgato, cibi non ſtatim exhibendi ſunt, ſed potiùs meconium per lenia abſtergentia, uti eſt *butirum*, *ſacharum*, *ſirupi laxantes*, *oleum amigd. dulc.* evacuandum eſt.

II. Optimum infantum nutrimentum præbent lacticinia, & pultes ex illis paratæ.

III. Lac maternum magis illis convenit, quàm lac nutricum; ſæpè tamen ob vitium mammarum, matres coguntur, nutrices ſubſtituere, quod ſi ita evenit, eligenda eſt integrę valetudinis, ampli pectoris, grandioris ſtaturæ, medię ætatis, quę mediocriter ſit mammata, & ad minimùm ter pepererit, non ſalax, potatrix, ſordida, triſtis, vel melancholica.

IV. Ejus lac priùs examinari debet, nam lac optimum

mum excellere debet colore nimirùm albiſsimo, ſapore dulce, omniſque amaritudinis, acrimoniæ, ſalſedinis, & aciditatis experte, odore, ſuaveolens, aut boni ſaltem odoris quid ſpirans; conſiſtentia, moderatum, hoc eſt, nec nimis craſſum, nec nimis ſeroſum, ſibi ipſi continuum, cujus examen eſt, ſi ejus gutta ſtilletur ſuper unguem pollicis, vel terſum ſpeculum, & non defluendo, in rotunditate perſiſtat.

V. Si ab hac qualitate lac deflectat, coloriſque ſit flaveſcentis, lividiuſculi, odoris injucundi, vel ſubfœtidi, ſaporis nauſeoſi, inſueti, ſub amari, vel ſalſi, & facilè acceſcat, conſiſtentia promptiſsimè defluat, vel caſeſcat, tale lac minùs proſperè valere arguit, ac infanti noxam parit; nempè caſeoſum lac adſtrictam alvum, inappetentiam, & vomitiones; aquoſum verò, tormina, & flatus; flaveſcens, fluxum ventris, & puſtulas ardentes; ſalſum denique, ſcabiem, & pruritum.

VI. Reliqua potulenta, in primis quę flatus, & fermentationes excitant, ipſis minimè conveniunt.

VII. Abuſus ciborum, & dum quaſi infarciuntur cibis infantes; ad multos morbos diſponit.

VIII. Potus nocturnus, & frigidus infantibus maximè nocent.

IX. Primum lac, quamvis niſi ſit admodum ſeroſum, infantibus minimè eſt denegandum, quia Meconium optimè evacuat.

X. Cunarum nimia agitatio ad ſomnum conciliandum, infantibus magis nocet, quàm prodeſt.

XI. Quò magis infantes juniores primis menſibus dormiunt, eò meliorem eorum ſtatum indicat talis ſomnus.

XII. Si infantes nimis, & præter conſuetudinem vigilant, morbi imminent.

XIII. Aer calidus, & temperatus infantibus optimè convenit, frigidus verò ipſis nocet, & ad tuſſes, & diarrhæas diſponit.

XIV. Semper ad alvi libertatem reſpiciendum eſt: ni-

nimis ſiccam promovent butirum pulticulis additum, & manna eodem modo uſurpata.

XV. Infantibus maximè nocent matrum animi pathemata, quoniam lac maximè alterant, unde infantes ſæpiùs convulſionibus, diarrhæis, aliiſque malis corripiuntur.

XVI. Ablactatis infantibus carnes, & vinum non facilè concedantur, illud facilè corrumpitur, propter digeſtionem non ſatis fortem, ac vermes producit; hoc verò, propter calorem corpora nimis exſiccat, & auctionem impedit.

XVII. Infantum diæta quoad cibum, potum, ſomnum, &c. ſemper reſpiciendum eſt ad certum ordinem; & cibi non quavis hora ſunt ingerendi.

XVIII. Addephagia puerorum eſt multorum morborum fundamentum, unde lenia laxantia, & interdum blanda vomitoria ad removendas cruditates ex immoderata diæta natas, infantibus pueris proſunt.

XIX. Motus corporis pueris concedendus eſt ſufficiens, ut hoc modò ſecretiones, & excretiones promoveantur.

XX. Infantes pueri, præmaturè judicio pollentes, vel ſtupidi poſteà fiunt, vel maturè moriuntur.

XXI. Affectibus animi puerorum maturè frenum injiciendum eſt, ne iiſdem aſſueſcant, & multa damna exinde oriantur.

XXII. Adoleſcentes, juvenes, & viri, in cibo, & potu mediocritatis leges ſemper obſervent.

XXIII. Quò ſimpliciores ſunt cibi, eò meliores.

XXIV. Abuſus vini, & illius ſpiritus, ad multos affectus ſpaſmodico-artriticos diſponit.

XXV. Exceſſus in venere, corpora admodum enervat.

XXVI. Motus corporis laborioſus in hiſce ætatibus, optimus eſt, quoniam ſecretiones, & excretiones maximè promovet.

XXVII. Litteratis exceſſus in cibo, & potu nocet; magis verò ipſis convenit diæta mediocris.

XXVIII.

XXVIII. Illos,qui durioribus laboribus corpus exercent, plus alimentorum aſſumere neceſſe eſt, ut corpus laboribus ferendis par eſſe queat.

XXIX. Tales,potum frigidum,æſtuante corpore, maximè vitent, quoniam facilè diarrheæ, imò non rarò hæcticę, phtiſices,exinde originem trahunt.

XXX. A laboribus fortioribus ſtatim quieſcere, non conducit.

XXXI. Nimia quies, & nimiùs ſomnus homines laborioſos torpidos reddit.

XXXII. Senes, durioribus, vel mollioribus cibis aſſueti,eoſdem continuent, mutatio enim varia damna poſt ſe trahit.

XXXIII. Exceſſus in cibis facilè cruditates producit, quoniam digeſtio in ſenibus admodum debilis eſt.

XXXIV. Vinum eſt quidèm lac ſenum, & optimum confortans, ſed ejus abuſus ad varios catharros, calculum, arthritidem,vertiginem,& appoplexiam diſponit.

XXXV. Somnus, vires per labores deperditas in ſenibus, optimè reſtaurat.

XXXVI. Somnus meridianus aſſuetis,non eſt denegandus.

XXXVII. Venę ſectio, uti multis ad imminuendam plethoram, & pręcavendos morbos prodeſt, ita ſenes, eidem aſſueti, eamdem continuent.

XXXVIII. In hac quoque ætate, in animi pathematibus medium teneatur.

CAPUT NONUM.

DE DIÆTA RESPECTU SEXUS.

Int: QUid eſt *diæta* reſpectu *ſexus*?

R. Eſt quæ unicuique ſexui certas, & convenientes regulas præſcribit, ut ſanitas conſervetur. Hęc duplex eſt, alia, quæ reſpicit ſexum virilem, de qua maxima pars jam anteà acta eſt: & alia, quæ ſexum fœmineum reſpicit,de qua nunc ſermo erit.

Int:

Int. Quid obſervandum intereſt circa diætam mulierum?

R. I. Vita mulierum ſedentaria ad multos morbos diſponit : quatenùs ſanguis ob deffectum motus, nimis ſpiſſus redditur, ac neceſſariæ ſecretiones, & excretiones impediuntur.

II. Immoderatus alimentorum uſus faciliùs morbos producit in ſexu fœmineo, quàm maſculino.

III. Fœminas diætam magis colere neceſſe eſt; quoniam menſes facilè perturbantur.

IV. Potus ſufficiens, fœminis maximè neceſſarius eſt, ad fluxilitatem ſanguinis conſervandam, & excretiones conſuetas promovendas.

V. Inſtantibus, aut fluentibus menſibus, abſtineant à cibis flatulentis, & malæ digeſtionis, quoniam facilè ſequitur menſium perturbatio.

VI. Panis recens, & calidus, potus frigidus, refrigeratio totius corporis, & in primis pedum, facillimè menſium fluxum ſiſtunt.

VII. Hoc ipſo tempore, etiam quàm maximè vitent abuſum acidorum, & animi pathemata graviora.

VIII. Gravidæ exactam ſemper ſervare debent diætam, ne fœtus lædatur.

IX. In principio graviditatis, intemperantia in potu, quàm maximè nocet; quoniam per eam plethora, & omnia, gravidis aliàs conſueta, pathemata augentur.

X. Venæ ſectio in plethoricis, primò graviditatis tempore inſtituta, ſæpiùs conſueta ſympthomata mitigat.

XI. Appetitui perverſo in principio graviditatis non ſemper indulgendum eſt.

XII. Cibi flatulenti, & malæ digeſtionis, multa gravidis incommoda pariunt.

XIII. Quæcumque ſanguinem nimis commoventia, uti cibi largiter aromatizati, vinum generoſum, liquores ſpirituoſi, &c. noxia ſunt.

XIV. Motus moderatus gravidis optimè convenit; nimiùs verò abortum producit.

XV.

XV. Quis nimia, conſueta ſympthomata auget, ac arctiori ſecundinarum cum utero cohæſioni, & tumoribus pedum œdematoſis anſam præbet.

XVI. Animi pathemata graviora, non ſolùm nimis ſanguinem commovendo, abortum cauſant; ſed etiam (in primis ira) fœtum ad convulſiones diſponit.

XVII. Parturientes legitimum tempus partus expectent, & ante illud ad labores non adſtringantur.

XVIII. Cliſteres emollientes, & carminativi, dolores ſpurios tollunt, & partum promovent.

XIX. Parturientes ſint ſemper in loco calido, aut ad minùs, temperato; frigidus enim aer noxiùs eſt.

XX. Venæ ſectio in plethoricis, ante partum inſtituta, interdum inſignem habet uſum, ac nimium lochiorum fluxum præcavet.

XXI. Tranquillitas animi ſemper ſervanda eſt: per multos enim anxios clamores, dolores magis augentur.

XXII. Labores in partu non interrumpendi, ſed continuandi ſunt, ut partus eò meliùs procedat.

XXIII. Poſt partum, puerpera tranquillitati animi, & quieti corporis ſe offerat.

XXIV. Frigus externum, quàm maximè fugiatur: quoniam lochiorum fluxus facillimè ab eo ſiſtitur.

XXV. Primis diebus juſcula puerperis exhibeantur; ſecùs verò cibi ſolidioris conſiſtentiæ, & malæ digeſtionis fugiantur.

XXVI. Potus frigidus maximè noxiùs eſt, & non ſolùm tormina excitat, ſed & lochium ſiſtit.

XXVII. Sudores, tranſacto ſeptimo die, admodùm proficui ſunt puerperis.

XXVIII. Omnes animi commotiones vitentur; quoniam lochiorum fluxum, vel imminuunt, vel augent.

XXIX. Lactis proventum optimè promovent juſcula ex carne, & hordeo, gelatinæ, & emulſiones.

XXX. Cibi flatulenti, & malæ digeſtionis, ut & potus frigidus, ordinariè tormina, tam matri, quàm infanti conciliare ſolent.

XXXI.

XXXI. Frigus externum, in primis ſi mammæ eidem exponantur, lactis ſuppreſsionem, & coagulationem producit.

XXXII. Motus moderatus fluxilitatem ſanguinis, & lactis conſervat.

XXXIII. Si mammæ nimis turgent, ac infans lac ſufficienter extrahere nequeat, emulgeantur.

XXXIV. Animi pathemata maximè alterant lac, unde poſt illa, ſatius eſt lac emulgere, quam mammas infanti præbere.

CAPUT DECIMUM.

DE DIÆTA RESPECTU temperamentorum.

Int. QUid eſt *diæta* reſpectu *temperamentorum*?

R. Eſt præſcriptio certarum regularum unicuique temperamento convenientium. Hęc vel reſpicit homines temperamenti ſanguinei, vel colerici, vel regulas præſcribit phlegmaticis, & melancholicis.

Int. Quid venit obſervandum?

R. I. Sanguineis, aer temperatus maximè convenit; nimis enim calidus plethoram, ad quam præ cæteris proni ſunt; nimium commovet; frigidus verò figit, & condenſat humores.

II. Ad plethoram evitandam, in cibo, & potu non facilè fiat exceſſus, ſed victu ſimplici contenti ſint ſanguinei.

III. Cibi craſsioris conſiſtentiæ magis illis conveniunt, quàm cibi mollioris: quoniam hi laxam conſtitutionem in ſanguineis adhuc laxiorem reddunt.

IV. Potus ſpirituoſus, & vina generoſa, quoniam plethoram nimis commovent, fugiant: quare vinum mediocrè, aliaque diluentia pro potu eligant.

V. Somno nimium indulgere non debent, ne major fi-

brarum ſequatur laxitas, & humorum ſpiſsitudo.

VI. Quies ipſis non adeó convenit, quare corpus leniter moveant, ad placidam uſque ſudoris excretionem, ut per motum plethora ſemper imminuatur.

VII. Quamvis ſecretiones, & excretiones commodè ſatis procedant in ſanguineis; per inordinatam tamen diætam facilè perturbari poſſunt.

VIII. In animi affectibus mediocritatem ſemper ſervent.

IX. Cholerici aerem calidum minimè benè ferunt, cùm propter commotionem ſanguinis doloribus capitis facilè corripiantur; quarè eligant potiùs temperatum.

X. Cibi aromatici, & ſalſi pingues ipſis minimè conveniunt, quoniam nimium calorem excitant: magis illis ſuadendi ſunt cibi liquidiores ex vegetabilibus, hordeo, &c.

XI. Potus vini ſanguinem magis inflammat, unde potus maximè diluens, & aquoſus pro potu concedendus eſt.

XII. Quamvis ad ſomnum minimè ſint proclives cholerici; ipſis tamen ſuadendus eſt, ut nimiùs partium, & humorum motus aliquomodò infringatur.

XIII. Quies magis ipſis convenit, quam motus laborioſus; quoniam humores nimium excitat, & ad morbos inflammatorios ſæpiùs diſponit.

XIV. Cum omnes humores in cholericis magnum jam adquiſiverint motum, excretiones minimè ſtimulandæ ſunt, ſed ſufficiunt ipſis proportionata diluentia, quibus datis, excretiones omnes legitimè procedunt.

XV. Ira, humores magis adhùc commovet, quare tranquillitas animi quantùm poſsibile eſt, ſtudenda eſt.

XVI. Phlegmatici, neque aerem frigidum, humores condenſantem, neque nimis calidum, eos maximè debilitantem, ferre poſſunt, quarè moderatè calidus ipſis ſuadendus eſt.

XVII. Cibi ſiccioris conſiſtentiæ, carnes aſſatæ, ſal-

ſæ, aromatibus conditæ ipſis proſunt; flatulenti verò, & mucoſi ipſis nocent.

XVIII. Vinum generoſum, & liquores ſpirituoſi motus torpidos excitant; tamèn vinum pro potu magis, quam cereviſia, & aqua ſuadenda eſt.

XIX. Somnus, & quies torporem fibrarum magis augent; quarè à ſomno nimio, quantùm quidèm poſſibile arcendi ſunt.

XX. Labor ipſis ſummè proficuus eſt, quoniam fibrę magis firmæ redduntur, ac ſanguis, ad mucoſitatem pronus, optimè reſolvitur.

XXI. Secretiones, & excretiones ob copiam ſeri promptè, imò ut plurimùm in majori copia procedunt; quod vitium facilè per cibos aromatizatos, aut exſiccantia præcaveri poteſt.

XXII. Quominùs ad medicationes ſunt proni, eò magis ad illas ſunt excitandi, ut natura per illas excitata, humores magis commoveantur.

XXIII. Negotia iram, & faſtidia creantia, ipſis ſunt optima remedia; quoniam per illa motus aliquo modò excitant.

XXIV. Melancholici, aerem frigidum meliùs ferunt, quam calidum; quoniam hic, tranſpirationem augendo, ſanguinem magis incraſſant; ideòque humidis magis fruantur.

XXV. Cibi ſiccioris conſiſtentię, & ſalſi illis minùs proſunt, quia ſanguinem magis incraſſant; quarè humidis potiùs fruantur.

XXVI. Victus tenuis nulli magis, quàm huic competit temperamento; quoniam ad frigiditatem admodùm ſunt proni.

XXVII. Vinum moderatè ſumptum excitat motus celeriores; abuſus verò, craſſos humores nimis commovendo, magna excitat mala.

XXVIII. Potus ſufficiens ipſis ſempèr eſt concedendus, ut humores eò meliùs diluantur.

XXIX. Ad promovendas excretiones, diluentia melancholicis admodùm conveniunt.

XXX. Melancholicis præ cæteris, mediocritas in affectibus animi ſuadenda eſt; quoniam etiam præ cæteris ad exceſſus, & deffectus magis proni ſunt.

XXXI. In diæta temperamentorum mixtorum, ad prædominium reſpiciendum eſt.

CAPUT UNDECIMUM.

DE DIETA ÆGROTANTIUM.

Int. QUæ regulæ veniunt obſervandæ circà diætam in ægrotis?

R. I. In omni morbo aer temperatus maximè neceſſarius eſt ad promovendas ſalutares excretiones.

II. Aer nimis frigidus condenſat humores, & excretiones neceſſarias impedit; calidus verò corporis tranſpirationem, & calorem ſanguinis nimium augendo, enervat.

III. Aer ſiccus, in omnì morbo magis convènit, quàm humidus; qui quidèm corpus adhùc magis debilitat.

IV. In quovis morbo diẹta tenuis ægrotis, quàm maximè commendanda eſt.

V. Præſente appetitu proſtrato, ægroti ad cibos numquàm cogendi ſunt.

VI. Corpora impura, quò magis, in morbis præcipuè, nutries, eo magis lædes.

VII. In morbis chronicis tantùm ciborum concedendum eſt, quantùm corporis conſervatio requirit.

VIII. Cibi ex animali regno deſumpti plùs detrimenti afferunt, quàm cibi vegetabilium.

IX. Potus ſufficiens in omni morbo eſt optima Medicina, quatenùs fluxilitatem ſanguinis conſervat, æſtum ejus temperat, & ſecretiones promovet.

X. Pro morborum diverſitate potus, variis rebus additis, nitr. v. g. ſcorzon. ceraſ. acidis, ſucco citr. alterari poteſt.

XI. Ubi calor jam maximè urget, ibi potus vini no-

xius eſt; poteſt tamèn ejus uſus concedi, ſi medicè, & modicè uſurpatur.

XII. Potus nimis nutriens, & craſſus ſanguinem ſpiſſiorem reddit, & ſecretiones impedit.

XIII. Potus frigidus in morbis, ubi diaphoreſi opus eſt, quàm maximè vitandus.

XIV. Quies in omni morborum principio ſummè utilis eſt; quoniam natura ſub hac quieta corporis continentia, eò faciliùs cauſam morbificam ſuperare, & expellere poteſt.

XV. In morbis chronicis cum ſanguinis ſpiſsitudine conjunctis, lenis ſed continuatus motus convenit.

XVI. Si ægroti in morbis non dormiunt, cautè per remedia ſoporifera ad ſomnum diſponendi ſunt: ſi verò dolores capitis, æſtus nimiùs, & vigilias excitant, ſympthomata hæc urgentia tollenda ſunt: ſic enim facilè poſtmodùm ſomnus ſequitur.

XVII. In omni morbo reſpiciendum eſt ad neceſſarias excretiones, unicuique morbo convenientes.

XVIII. In quovis morbo alvum apertam, quàm obſtructam, ſatiùs eſt.

XIX. Venæ ſectioni aſſueti, eam faciliùs ferunt in morbis, quàm reliqui.

XX. In omni morbo tranquillitas animi ſumma eſt medicina.

REGULÆ, ET OBSERVATIONES
ſpeciales pertinentes ad diætam ægrotantium.

I. Uti hæmorrhagiæ plethoram præſupponunt, ita intemperantia ad eaſdem maximè diſponit, & cauſam earum regenerat.

II. Omnis potus generoſus, & ſpirituoſus, aer nimis calidus, motus fortior, ira, &c. ſanguinem commovendo, hæmorrhagias curatas facilè revocant.

III. Venæ ſectiones legitimo tempore inſtitutæ, hæmorrhagias præcavent.

IV.

IV. In omni hæmorrhagia, quies, & abſtinentia à rebus commoventibus maximè utilis eſt.

V. In doloribus arthritico-ſpaſmodicis, præſervationis gratia, potus diluens, diæta tenuis, & mediocris, motus continuatus, promotio excretionum neceſſariarum, venę ſectiones debito tempore inſtitutę, animus tranquillus, & abſtinentia à venere, optima ſunt remedia.

VI. In colica, quies, continentia, & calor ſæpiùs plùs præſtant, quàm omnia alia.

VII. Aer frigidus, cibi flatulenti, potus fœculentus, &c. maximè diſponunt ad colicam; quarè fugiantur.

VIII. In malo hyſterico, ubi ordinariè ſanguinis ſpiſsitudo reperitur, potus diluens, & motus ſufficiens optima ſunt remedia.

IX. In diarrhæis, & diſſenteriis quies, & calor maximè conveniunt; è contrà verò aer frigidus, cibi, & potus fermentantes, ac potus frigidus inſignitèr nocent.

X. In ſudoribus nimiis, diæta temperans, mucilaginoſa, & gelatinoſa maximè conveniunt.

XI. In omni ſanguinis impuritate, tàm ſcorbutica, quàm ſcabioſa, cibi laudabilis digeſtionis, potus diluens, aer temperatus, motus moderatus, & promotio excretionum, optima ſunt remedia.

XII. In tuſsi, & aſthmate, aer frigidus, cibi malæ digeſtionis, ſalſi, & potus frigidus nocent.

XIII. Si ſpiſsitudo ſanguinis cauſa eſt convulſionum in adultis, omnia, quę fluxilitatem ſanguinis promovent, uti potus, & motus ſufficiens, maximè proficua ſunt.

XIV. Si adeſt diſpoſitio ad affectus ſoporoſos, & paralyticos, aer moderatè calidus, diæta tenuis, potus, & motus ſufficiens, & animus liber, optima ſunt remedia.

XV. Graſſantibus morbis malignis, homines abſtineant, præſervationis gratia, à carnibus; quoniam magis ad putredinem diſponunt.

XVI. Vegetabilia, & acida, utpotè putredinem arcentia, tùm temporis magis conveniunt.

XVII. In omnibus morbis malignis diæta tenuis, & potus ſufficiens, ſæpiùs, & moderatè datus, maximè proficuus eſt.

XVIII. Calor moderatus, & quieta in lecto continentia, tranſpirationem, & excretionem miaſmatum malignarum, optimè promovent.

XIX. In talibus morbis alvus ſemper aperta ſervanda eſt; quod optimè præſtat potus ſufficiens, emollientibus alteratus.

XX. In variolis, & morbillis, omnis calor nimiùs noxiùs eſt; è contrà prodeſt calor moderatus, & quies.

XXI. Si appetitus non eſt proſtratus, ægrotis variolis laborantibus, cibi in moderata quantitate concedantur.

XXII. Potus ſufficiens, & in primis calidus, excretionem variolarum optimè promovet.

XXIII. Alvus, quæ in variolis ordinariè obſtructa eſt, laxantibus non aperiatur; quoniam talis obſtructio maturationis tempore, vel eo tranſacto, ſpontè ceſſat.

XXIV. In febribus continuis, & ardentibus eadem diæta, ac in malignis locum habet.

XXV. In febribus intermittentibus, aer moderatè calidus, ſivè temperatus, optimè convenit, quoniam excretionem ſudoris, finito calore promovet.

XXVI. Abſtinentia à cibis multùm confert ad faciliorem febrium intermittentium curationem: ſi autem appetitus viget, victus tenuis ſufficit.

XXVII. Potus ſufficiens, & in primis calidus, in paroxiſmo ſæpiùs datus, optimè promovet excretiones, in hiſce febribus neceſſarias.

XXVIII. Quies in hiſce febribus maximè convenit, quoniam multùm ad excretiones per vomitum, alvum, & ſudorem contribuit.

XXIX. Motus moderatus, & continuatus, die intercalari inſtitutus, humores ad faciliorem excretionem diſponit.

XXX. In febribus lentis, & hæcticis aer maximè ſit tem-

temperatus, quoniam aer calidus calorem febrilem auget, frigidus verò tranſpirationem impedit.

XXXI. Cibi optimè nutrientes, mucilagines, gelatinæ, emulſiones, potus ſufficiens in talibus febribus, ſæpiùs plùs præſtant, quam ulla alia remedia.

XXXII. Motus corporis moderatus, & quidèm equitatio, ſi hæctica à viſcerum abdominis labe dependet, inſignem habet uſum ad reſolvendas viſcerum obſtructiones.

XXXIII. Alvus per alimenta lubricantia, v.gr. pruna, paſſulas, mucilagines, & hordeacea, ſempèr aperta ſervetur in febribus lentis.

XXXIV. Ira in talibus febribus ſempèr fugienda eſt.

LIBER QUINTUS, DE QUINTA PARTE MEDICINÆ, SEU DE THERAPEUTICA, AUT METHODO MEDENDI.

CAPUT PRIMUM.

DE INDICATIONIBUS.

Int. QUid eſt *Therapeutica*, ſeu *methodus medendi?*

R. Eſt ſcientia, quà per indicationes, auxilia inveniuntur, ut deperdita ſanitas hominis reſtituatur.

Int. In quo ſtabilitur *ſcientia methodica?*

R. Conſiſtit potiſsimum in judicio Medici practico, fundato in judicio ejus theorico, id eſt, in accurata inventione, & artificioſa applicatione remediorum: Eſtque proprium Medici dogmatici inſtrumentum, per quod differt ab Empyricis.

Int. Quid methodus medendi docet?

R. Curare *tutò* citrà metum recidivæ, per remedia frequenti uſu, & experientia cognita: *citò* citrà occaſiones neglectum per remedia efficacia: *jucundè*, electis gratioribus, ſeu minùs moleſtis remediis.

Int. Quibus mediis invenitur recta methodus medendi?

R. Invenitur, vel per *rationem*, ſeu indicationem, vel

vel per *experientiam*, in aliquot exemplis, jam olim obſervatis fundatam; ſi ratio non ſatisfaciat: vel per *analogiſmum* in ſimilitudine affectus unius cum altero fundatum, ſi nec ratio, nec experientia ſatisfaciat.

Int. Quæ experientia vocatur optima?

R. Illa, quæ per rationem dilucidata eſt.

Int. Quotuplex eſt methodus medendi?

R. Duplex, *generalis*, & *particularis. Generalis eſt, quæ omnia tradit præcepta, quibus ſingula morborum genera curari debeant. Particularis* verò docet, *quomodò ſingulæ morborum ſpecies in ſingulis partibus à capite ad pedes curandæ ſint.*

Int. Quid eſt principium methodi medendi?

R. Eſt cognitio morbi.

Int. Quis eſt finis methodi medendi?

R. Eſt remedii inventio.

Int. Quid eſt *indicatio*?

R. Eſt comprehenſio rei juvantis, ſimùl cum comprehenſione nocentis, citrà experientiam, & obſervationem.

Int. In quo indicatio differt ab obſervatione, & ratiocinatione?

R. In eo, quod ea, quæ per indicationem comprehenduntur, in natura rei curandæ, aut conſervandæ ſunt deſignata: percepta enim natura ejus, quod nos ad agendum movet, protinùs, & jam unà cum eo quid agendum ſit, & quid fugiendum, ex conſequenti quodam intelligimus, quaſi digito oſtenderetur, quod quærimus. Undè certè indicationis nomen deductum eſt. *Experientia* verò, ſive obſervatio, rerum naturam non expendit. *Ratiocinatio*, tùm ſupervacua eſt, quod rei natura propoſita, ſtatim quid conferat, aut quid obſit, citrà ullam mediam ratiocinationem agnoſcamus.

Int. Quid intelligitur per rem juvantem, & per rem nocentem?

R. Per juvantem intelligitur, materia juvans, & per nocentem, materia nocens.

Int. Quotuplex eſt indicatio in univerſum?

R. Duplex eſt, alia *curatrix*, & alia *non curatrix*. *Non curatrix* illa dicitur, *ex qua non ſequitur deliberatio remedii, nec ſcopi illius*: hæc verò à viribus tantùm ſumitur, quæ ſolùm per ſe indicant ſui conſervationem, & cuſtodiam.

Int. Quot ſunt *vires*?

R. Tres, *animales*, quę reſident in cerebro, ſenſuque, & motu voluntario cognoſcuntur: *Vitales*, in corde, quæ pulſu dignoſcuntur: & *naturales*, quę in omnibus corporis partibus reperiuntur.

Int. Ubi collocantur *vires*?

R. In triplici ſubſtantia noſtri corporis, videlicèt, *ſolidà*, *humoroſà*, & *ſpirituoſà*.

Int. Quot modis labuntur *vires*?

R. Duobus modis, vel *per diſsipationem* earum partium, ſubſtantiæ, in qua conſiſtunt; vel per ejuſdem ſubſtantię *alterationem*, quæ duobus modis evenire poteſt, nempè vel *à tota ſubſtantià*, vel *á qualitate manifeſta*.

Int. Si vires labuntur propter diſsipationem ſubſtantiæ, quomodó inſtaurandæ ſunt?

R. Subſtantia ſolida cibo, humida *potu*, ſpirituoſa *inſpiratione*, arteriarum motu, & *liquoribus ſpirituoſis*.

Int. Si autèm labuntur propter ſubſtantiæ alterationem, quomodò inſtaurandę ſunt?

R. Si labuntur proptèr alterationem à tota ſubſtantia, medicamenta *alexipharmaca*, quæ à tota ſubſtantia operantur, adhibenda ſunt: ſi verò ab aliqua qualitate manifeſtà, remedia contraria qualitate manifeſta operantia, adhibenda ſunt.

Int. Quid eſt *indicatio curatrix*?

R. *Eſt illa, ex qua ſequitur deliberatio remedii, vel alicujus illius ſcopi.*

Int. Quid eſt *ſcopus*?

R. *Eſt id, in quo oculos mentis intendimus*, vel *id, quod ſibi quiſque proponit*, ſeu *quod cuique eſt in medendo propoſitum*, vel *quod nos ad agendum movet*, vel *eſt id, quod ſibi Medicus aſſequendum proponit.*

Int. In quo ſcopus differt ab indicatione?

R. In eo, quod indicatio, ratio agendi eſt, ſivè ratio, quæ quid agendum ſit inſinuat. Scopus autem, id quod proponitur in artificis mente, ad quod actio omnis dirigitur, exiſtit, quodque indicatio ex ſcopi contemplatione oritur.

Int. Quis eſt finis ſcopi?

R. Eſt id, in quem omnis actio Medici acquieſcit, ſanitatis nimirùm adeptio, & poſſeſsio.

Int. Quot ſunt ſcopi ad rectam remediorum exhibitionem?

R. Omnis remediorum materia, quatuor habere debet ſcopos, nimirùm *qualitatem*, *quantitatem*, *occaſionem*, & *utendi modum.* Per qualitatem, non primæ, aut ſecundæ qualitates, ſed *ſpecies*, *genus*, aut *natura remedii*, ab affectus ſpecie ſumpta, intelligitur.

Per quantitatem, vim remediorum intelligimus, quam definiunt magnitudo affectus, propria corporis natura, virium robur, & partis laborantis conditio. Per occaſionem intelligitur, opportunum tempus ad agendum, vel temporis pars, quæ in ſe, rei alicujus idoneam faciendi, aut non faciendi opportunitatem habet, quæ ex Hypp. *in Aphor.* cognitu neceſſaria ſunt.

Int. Quotuplex eſt *occaſio*?

R. Duplex, una *univerſalis*, altera *particularis.* Univerſalis *eſt opportunum tempus ad agendum, commune omnibus*, quæ ex poſtulantibus auxilia, & abſentia impedientium deſumitur. Particularis verò, eſt tempus opportunum ad exercitationem remedii alicujus particularis, quæ deſumitur ex particularibus poſtulantibus auxilium, & particularibus non impedientibus. Tandèm per utendi modum intelligere debemus rationem adminiſtrandi remedia: an ſemèl, an ſæpiùs illa ſint adminiſtranda, quà formà, qua ſubſtantià, cui parti ſint adhibenda; quis ſit evacuationi locus conferens, vel quę vena ſit ſecanda.

Int. Quotuplex eſt indicatio *curatrix*?

R. Duplex, alia, quæ ſumitur à *morbo*, & alia, quæ ſumitur à *naturà.*

Int. Quotuplex eſt indicatio curatrix, quæ ſumitur à *morbo*?

R. In tot dividitur differentias, quot ſunt morborum ſpecies.

Int. Indicatio, quę ſumitur à magnitudine, & vi morbi, ad quam reducitur indicationem?

R. Ad indicationem à morbo petitam: nàm vis, & magnitudo morbi indicant, ex Hypp. *Aphor.6.* docente: *Extremis morbis, extrema remedia eſſe adhibenda.*

Int. Ad quam indicationem revocatur indicatio ſumpta à cauſa?

R. Ad indicationem ſumptam à *morbo*.

Int. Quare?

R. Quia cum cauſa perpetuò præſens ſit, perpetuò indicat ſui ablationem.

Int. A ſympthomate ſumitur indicatio curatrix?

R. A ſympthomate prout ſympthoma eſt, non ſumitur indicatio curatrix; nam ſublatis morbis, quos ſequitur, aufertur. Si verò ſympthoma habeat rationem cauſæ, vel augeat affectum, vel labefactet vires, tùm ab illo ſumitur indicatio curatrix, indicatque ſui remotionem.

Int. Quotuplex eſt indicatio, quæ ſumitur à natura?

R. Triplex, alia eſt *generica*, ſeu *communis*, alia *ſubalterna*, & alia *ſpecifica.*

Int. Quæ eſt *generica*?

R. *Eſt illa, quam communis, & generica indicantis natura ſuppeditat.*

Int. Quæ eſt indicatio *ſubalterna*?

R. *Illa eſt, quam ſubalterna indicantis natura ſuggerit.*

Int. Quæ eſt *ſpecifica.*

R. *Eſt illa, quæ à ſpeciali indicantis natura petitur*; v.g. in curandà frigidà ventriculi intemperie in ſecundo gradu: primùm adeſt morbus, à quo ſumitur indicatio generaliſsima, eum eſſe tollendum. Secundò eſt morbus intemperiei, à quo ſumitur indicatio ſubalterna, eſſe alterandum. Tertium eſt intemperies frigida, à quà ſumitur indicatio itidèm ſubalterna, eſſe ca-

calefaciendum. Denique eſt intemperies frigida in ſecundo gradu, à quà petitur indicatio ſpecifica adhibendi medicamentum calefaciens in ſecundo gradu.

Int. Ad quam indicationem refertur indicatio ſumpta à *conſuetudine*?

R. Ad indicationem deſumptam à natura; quia conſuetudo eſt alia natura adquiſita. Ad hanc etiam referuntur indicationes, quæ ſumuntur *ab ætate*, & *ſexu*.

Int. Ad quam indicationem refertur indicatio, quæ ſumitur *ab aere*?

R. Ad eam, quæ ſumitur à cauſa; quia aer corpus noſtrum ſemper alterat. Ad hanc etiam refertur indicatio, quę ſumitur à *regione*, à *cæli ſtatu*, & *anni tempore*.

Int. Quotuplex adhuc eſt *indicatio*?

R. Duplex, alia *inartificioſa*, & alia *artificioſa*. *Inartificioſa eſt, quæ aliis, quàm artificibus, ut vulgò, innoteſcit. Artificioſa verò eſt, quæ non omnibus, ſed artificibus tantùm nota eſt, & ut cognoſcatur, magno artificio indiget.*

Int. Quæ eſt indicatio *utilis*?

R. Eſt illa, quæ tale auxilium indicat, cujus materiam reperire licet, quæ primò, & per ſe affectum tollere poſſit. Inutilis verò indicatio eſt, quæ tale auxilium indicat, cujus non invenitur materia, quæ affectum primò, & per ſe tollere poſsit.

Int. Quid eſt *ſimplex indicatio*?

R. Eſt illa, quæ ab una re tantum ſumitur. Compoſita verò eſt, quæ à duobus affectibus ſimul exiſtentibus, vel à pluribus ſumitur.

Int. Quid eſt *coindicatio*?

R. Eſt, quæ ſimul aliquid cum ea, quæ à reî natura ſumitur indicatione, indicat; coindicant itaque vires, temperies corporis, ætas, anni tempus, regio, conſuetudo, &c. quæ coindicantia vocantur.

Int. Quæ eſt *contra indicatio*?

R. Eſt illa, quà impeditur fieri, quod ab indicante primò

mò ſugeritur : v. gr. plethora indicans eſt, quod eſſe evacuandum, oſtendit; virtus autem imbecilla, contraindicans, quæ evacuationi repugnat.

Int. Exiſtentibus duabus indicationibus contrariis, quid expendere debet Medicus?

R. Primò inquirere debet, quis affectus magis urgeat, tunc enim urgentiori affectui ſuccurrendum venit. Secundò inveſtigandum, quis ex illis affectibus obtinere rationem cauſæ; tunc indicatio ab illo petita, primò adimplenda eſt. Tertiò reſpiciendus eſt ordo, ſcilicet, quid ante quid, quid cum quo, & quid poſt quod ſit curandum.

Int. Quid eſt *indicans*?

R. Eſt agens aliquod in corpore permanens, quod per propriam naturam, & eſſentiam, auxilium aliquod indicat, atque indicatum quod expoſtulat, ad ſeſe dirigendum eſſe monſtrat, ut ſanitas hominis amiſſa reſtituatur.

Int. Quotuplex eſt *indicans*?

R. Quadruplex eſt, videlicet, *curatorium*, ſeu morbus; *præſervatorium*, ſeu cauſa morbi; *vitale*, ſeu vires; & *mitigatorium*, ſeu ſympthoma urgens, quod plerumque cauſæ morbificæ rationem induit.

Int. Verum indicans, quas expoſtulat conditiones?

R. Primò expoſtulat, ut corpus afficiat, ideſt, agat, vel naturam tuendo, vel deſtruendo. *Secundò* ut in hoc exiſtat, hoc eſt, debet eſſe præſens, non præteritum, ſeu futurum, ſed permanens. *Tertiò*, ut ſit notum intellectui: aliàs non poſſet quidquam indicare, quia eſſet ignotum. *Quartò*, ut non niſi unum indicet, quia uni non niſi unum eſt contrarium.

Int. Quid eſt *contraindicans*?

R. Eſt quod expoſtulat contrarium ei, quod ab indicante inſinuatur.

Int. Quid eſt *contra coindicans*?

R. Eſt, quod ſimul cum alio contraindicante poſtulat contrarium ei, quod ab indicante inſinuabatur.

Int. Quid eſt *correpugnans*?

R. Eſt, quod cum contraindicante, ad idem auxilium fa-

facit: ſic febris aliqua indicat frigida; contraindicat humor crudus; contracoindicat frigidus ſtomachus; correpugnat ætas ſenilis, & hyems.

Int. Quid eſt *indicatum*?

R. Eſt id, quod ab indicante monſtratur, ſcilicet, juvans remedium, ſeu medicamentum.

Int. Quotuplex eſt?

R. Quadruplex eſt, ſcilicet, *curatorium*, morbum auferens; vel *præſervatorium*, cauſam tollens, vel *vitale*, vires conſervans; vel *mitigatorium*, ſympthoma leniens.

Int. Quid eſt *auxilium*, ſeu *remedium*?

R. Eſt quidquid corpori admotum juvat. Materia enim remediorum, imò tota Medicina ad quatuor capita reducitur: nempè *ad admovenda, educenda, facienda*, & ad *extrinſecus incidentia*.

Int. Quid intelligitur pro admovendorum nomine?

R. Intelliguntur cibus, potus, & medicamenta intus ſumenda. Pro faciendorum intelliguntur, frictio, ambulatio, vectio, æquitatio, ſomnus, vigilia, & venus. Pro educendorum intelliguntur omnia corporis excrementa, tam ea, quæ in ventriculo, quàm ea, quæ in jecore, arteriis, venis, ſingulisque corporis partibus continentur: Pro incidentium denique intelliguntur, aer, balneum, & omnia, quæ extrinſecus illita, ſeu admota, corpus ingrediuntur.

Int. Remedium eſt idem, ac materia remedii?

R. Quod non, quia remedium id ipſum eſt, ac quod ab indicante indicatur; materia verò, quæ indicationi, ut inſtrumentum ſatisfacit: V. gr. ſi remedium ſit vomitus inſtituendus, materia ejus erit *vinum emeticum*, vel *ſirupus emeticus*: ſi expurgatio, *Manna, Rhabarbarum, &c.*

Int. Curantur omnes morbi per *indicationes*?

R. Quod non, nam aliqui curantur *experientia*, & aliqui *analogiſmo*.

Int. Qui morbi curantur *experientia*?

R. Illi, qui tota ſubſtantia, noſtræ naturæ adverſan-

ſantur; qui quidem ratione cognoſci non poſſunt, ut peſtilentes, & maligni.

Int. Qui morbi curantur *analogiſmo*?

R. Illi, quorum cauſa ignoratur; attamen aſsimilantur aliis morbis, quorum cauſæ pateſcunt, præſcribunturque auxilia ab eorum indicationibus petita.

CAPUT SECUNDUM.

DE EVACUATIONE HUMORUM, & primò de expurgatione.

Int. Quid agendum in legitima morborum curatione?

R. Primò auferenda venit cauſa, quam conſtituunt plerumque humores.

Int. Quid eſt *evacuatio* humorum?

R. *Eſt eorumdem per certa, & convenientia loca eductio, eum quidem in finem à naturæ miniſtro per certa exhibita remedia inſtituta, ut remotis cauſis materialibus, eò citiùs ſanitas labefactata reſtitui poſsit.*

Int. Quotuplex eſt *evacuatio*?

R. Duplex, alia *univerſalis*, quę ex univerſo corpore evacuat, v. g. purgatio, ſudor, &c. Alia *particularis*, quæ à parte particulari evacuat, ut anachatarſis, &c. Utraque vel eſt *ſpontanea*; vel *artificioſa*: illa, vel *critica*, ſeu *naturalis*, vi ſolius naturæ benè operantis contingens; vel *ſympthomatica*, accidens, vel ex imbecillitate facultatis, humores corporis regere, ac retinere non valentis; vel ratione materiæ, quantitate, vel qualitate vitioſa, naturam præpoſterè irritantis.

Int. Quid eſt *purgatio*, quæ artificioſa vocatur?

R. *Eſt evacuatio per ventrem facta, vi medicamenti purgantis, indicata à morbo pendente ex ſuccorum cacochimia.*

Int. In quas regiones dividitur corpus reſpectu purgationis?

R.

R. In tres, quarum I. ventriculum, inteſtina, meſenterium, pancreas, lienem, & cavam hæpatis partem comprehendit. II. Convexam hæpatis partem, venam cavam, arteriam aortam, & quidquid inter alas, & inguina ſitum eſt. III. Muſculos, oſſa, omnemque corporis mollem uſque ad extremam ſuperficiem.

Int. Quotuplex eſt *purgatio?*

R. Duplex eſt, alia *lenitiva, Eccoprotica,* à græcis dicta; & alia *ſelectiva*, ſeu *Draſtica* appellata.

Int. Quæ eſt purgatio *lenitiva?*

R. Eſt illa, qua leniter, ſine vi cathartici ad ſecundam regionem perveniente, quicumque ſucci primæ regionis evacuantur. Juxtà RR. verò, lenientia medicamenta illa dicuntur, *quę ſine magna commotione, & labefactatione motus periſtaltici ventriculi, & inteſtinorum non modò ſordes alvinas, ſed & quandò liberaliùs propinantur, ex inteſtinorum glandúlis ſerum ſatis largitèr evehunt*: Siquidem impoſsibile eſt invenire leniens abſolutè ſic dictum, quod ex his glandulis aliquid non educat.

Int. Quotuplex eſt purgatio *lenitiva,* ſeu *Eccoprotica?*

R. Triplex eſt, & ut meliùs dicam, medicamenta, quibus perficitur, ad tres claſſes redigi poſſunt. Prima claſsis continet quæcumque agunt *lubricando* inteſtinorum membranas, & eorum contenta: qualia ſunt *olea recentia*, oleoſitate ſua blanda lubricando, ut *butirum*, *lactis cremor*, omnia *juſcula pinguia* ex animalibus parata, *medulla*, & medulloſæ partes animalium, horumque *pinguedines* recentes: *olea* cuncta ex vegetabilibus, ut ex *olivis*, *amigdalis*, *piſtaceis*, *&c.* expreſſa, dummodò blanda ſint; quà nota diſtinguuntur *ab oleis eſſulæ*, *euphorbii*, *tithimali*, *nicotianę*, & ſimilium plantarum acrium: *Fructus* omnes *blandi*, *maturi*, & *pingues*, omnia decocta emollientia, qualia ſunt decocta *malvæ*, *altheæ*, *parietariæ*, *&c.*

Int. Quibus corporibus proſunt hæc lenientia?

R. Corporibus ſiccis, atrabiliariis, hæmorrhoidibus vexatis, &c.

Int. Cur his proſunt lenientia?

R. Quia experientia teſte, ſi his purgantia exhibeantur acria, tum anxietates, ſudores, vomitus, aliaque ſimilia dira ſympthomata, nulla verò ſequente purgatione, oriuntur, ob tenſionem, rigiditatem, & ſenſibilitatem, qua fibræ inteſtinorum, & ventriculi donantur.

Int. Cur alvus horum medicamentorum ope mota; non evadit ſtricta deinceps, ut ab aliorum purgantium operatione fieri ſolet?

R. Quia inteſtinorum, tum vaſa, tum glandulæ non adeò deplentur, & exhauriuntur fluidis, ac à fortioribus catharticis: proindè finità eorum operatione, ſufficiens ad inteſtina lubricanda liquidi quantitas in glandulis præſtò eſt.

Int. Quæ *Eccoprotica*, ſeu lenitiva medicamenta continentur in ſecundà claſsi?

R. Sunt, quæ fœces nimis cohærentes diluendo, movent: qualia ſunt *aqua communis*, ſi largitèr potetur, ut ad inteſtina vergat, diluens purgativum evadit: *Aquæ minerales*, *lac*, *ſerum lactis*, *juſcula ex partibus animalium parata*, *cliſmata*, *&c.*

Int. Quibus naturis conveniunt hæc lenitiva?

R. Proſunt naturis calidis, & ſiccis; lædunt autem laxis, & aquoſis; ideòque *ſi minerales aquæ* propinentur in hydrope, orta à laxitate vaſorum, certiſsimè mortem accerſunt: attamèn optima ſunt auxilia in febribus ardentibus, & morbis omnibus inflammatoriis, quomodocumque adhibeantur.

Int. Quæ lenientia pertinent ad tertiam claſſem?

R. Ea, quæ placidè ſine magnà commotione, & labefactatione motus periſtaltici ventriculi, & inteſtinorum, non modò ſordes alvinas, ſed & quandò liberalius propinantur, ex inteſtinorum glandulis ſerum ſatis largitèr evehunt.

Int. Quibus particulis hoc præſtant?

R. Hoc efficiunt, non ſalinis acribus, cauſticis particulis, nervoſis partibus inimicis, ut purgantia ſelecti-

tiva, ſeu Draſtica; ſed ſubſtantia planè innocenti, quæ tenuiſsimæ ſalinæ ſtimulantis indolis eſt, facilèque diſſipabilis per coctionem. Agunt verò hæc laxantia, vel principio quodam ſalino-ſtimulante dulci, ut *manna*, *caſsia*, *paſſulę*, & *polipodium* : vel ſale quodam ſubtiliori ſulphureo amaricante terreo, ut *aloæs*, & *rhabarbarum* : vel ſale acido fibras vellicante, ut *tamarindi*, & *cremor tartari* : vel ſale neutro, *ut nitrum*, *arcanum duplicatum*, & *tartarus vitriolatus* : vel denique terra calcaria, ut *magneſia*, quæ ab acido primarum viarum ſoluta, in ſal neutrum acre, & ſtimulans tranſit.

Int. Quibus adhibenda hæc Eccoprotica?

R. Manna, *caſsia*, & *paſſulæ* in affectibus pectoris, tuſsi, hæmopthyſi, phthiſi, neque minùs in morbis, qui à ſero ſalſo, acri, ſcorbutico naſcuntur, ut arthritides, rheumatiſmi, &c. cum inſigni fructu adhibentur; quia non tantùm alvinas ſordes emovent, verùm etiam ſimùl acrimoniam ſalſam temperant, & corrigunt. Acidula, ut *tamarindi*, *cremor tartari*, *ſalia eſſentialia* ex herbis nitroſis, *ſal policreſtum*, *nitrum antimoniatum*, & alia, in regionibus præcalidis, corporibus cholericis, necnon in morbis, ubi copioſa bilis delinquit, quàm maximè conveniunt; eo quod præter facultatem vacuantem, motum quoque inteſtinum partium ſulphurearum ſanguinis, & bilis ferociam compeſcunt, & cicurant.

In morbis veró, qui ex defectu bilis, & ſulphuris in ſanguine naſcuntur, ut ſunt cachexia, & omnes ferè chronicæ affectiones, in quibus ſuccorum ſpiſsitudo, & viſcerum infarctus adſunt, laxantia amara, ut Rhabarbarina, aloetica correcta, omnibus utique palmam præripiunt. Ubi verò humores viſcidi tenaces in vitio ſunt, & primam regionem occupant, ſalia omnia neutra, tam arte chymica præparata, quàm nativa fontium medicatorum, ſi paulò majori doſi, & cum ſufficienti liquido offerantur, efficacitèr alvum ſolvunt, & recrementa ſpiſſa, & viſcida evehunt.

Int. Quid eſt purgatio ſelectiva, ſeu Draſtica?

R. Juxtà AA. *Eſt illa, quæ ſelectivè, aut determinatè humores peccantes è ſecunda regione evacuat.* Juxtà RR. verò, medicamenta *cathartica*, ſeu *Draſtica*, non operantur media virtute ſelectivà, ſeu electiva (ut ſentiunt AA.) bilem, pituitam educendo, reliquis intactis. Hoc enim præſtant ſuo ſale tenuiſsimo, cauſtico, inflammatorio, irritando partes ſolidas, & fundendo, ſeu colliquando humores, hincque evacuando, primò fœces primarum viarum, ſecundò per ductum cholydocum, & pancreaticum irritatos, bilem, & ſuccum pancreaticum, & cum his varia ex maſſa ſanguinis. Tertiò è glandulis inteſtinorum, & forſan vaſis meſeraicis paritèr irritatis.

Int. Ex quo convincitur, quod ſal Draſticorum purgantium, ſit ſummæ tenuitatis, ac in univerſam humorum maſſam ſuam vim diffundere?

R. Ex eo patet, quod infans à lacte nutricis, quæ catharticum aſſumpſit purgetur.

Int. Ex quo probatur cauſtica, & inflammantis virtutis catharticorum indoles?

R. Ex eo, quod exteriùs tantùm applicata, cutim inſtar veſicantia adurunt, & veſicas excitant.

Int. Draſtica purgantia habenda ſunt tamquàm venena?

R. Quod non, nam licet magna, & gravia damna ab uſu eorum metuenda, tamen venenum diligenti circunſpectione adhibitum, tranſit in medicinam; quemadmodùm quæcumque maximè ſalubria, ſi nimia quantitate ſumantur, mortifera fiunt.

Int. Quotuplex eſt medicamentum ſelectivè purgans?

R. Quadruplex, ſcilicet, *Phlegmagogum*, *Cholagogum*, *Hydragogum*, & *Melanagogum*.

Int. Hæc diviſio purgantium à veteribus aſsignata, rejicienda eſt?

R. Quod non; quoniam ipſa experientia teſtat, diverſos humores magis à certis remediis evacuari, & certa etiam purgantia certis affectibus magis conveni-

re,

re, quàm alia: nam dantur purgantia, quæ præter virtutem ſtimulantem ſimùl, & corrigentem, peccantes humores poſsident. Sic Thamarindi, ubi particulæ ſulphureæ, ſeu bilioſæ peccant, accomodatiſsimi ſunt: *Rhabarbarum*, & *Aloæs*, ubi acidum, & viſcidum abundat: *Xalapium*, ubi feroſæ viſciditates acumulatæ ſunt: *Folia ſennæ* in malo hyppochondriaco egregium locum habent.

Int. Quę vocantur purgantia *phlegmagoga*?

R. Illa, quæ lympham pituitoſam è corpore per anum expellunt. Phlegmagoga duplicia ſunt: I. illa, quæ materiam ex ſua natura ad coaleſcendum aptam è ſanguine per inteſtina educunt. II. Quæcumque materiam viſcidam in inteſtinis exiſtentem, indè pellunt.

Int. Quot ſunt claſſes *phlegmagogorum*?

R. Ad duas claſſes omnia phlegmagoga reducuntur. Prima claſsis continet ea, quæ pituitam diluendo educunt, uti ſunt *aqua cum ſaponaceis*, ut *aqua mulſa fervida epota*; hæc enim valdè reſolvit: idem facit aqua cum *caſsia*, & *manna* permixta, ut & cum *ſapone veneto*: *gummata ſaponacea*, quæ in aqua ſolubilia ſunt, & quæcumque acria, ut *aloæs*, *gummum ammoniacum*, *aſſa fœtida*, *bedellium*, *galbanum*, *mirrha*, *opoponax*, & alia, quæ quidèm omnia ſumuntur aqua fervida ſoluta. Aqua calida cum omnibus ſalibus alcalicis, ex vegetabilibus deſumptis.

In ſecunda verò claſsi continentur ea, quæ operantur, quatenùs ipſas fibras inteſtinales excitant in motus, quorum ope pituita præſſa, & contrita in varias partes dividitur, diviſaque tandem expellitur.

Talia ſunt omnia *acria viſcida*, & non nimis *volatilia*, ut *oximel*, quo nihil datur meliùs ad pituitam ſolvendam; tum *elixir proprietatis*, *hiæra picra Galeni*, mercurialia lenia, ſicuti *mercurius dulcis*, *antimonium diaphoreticum*, quælibet emetica, & vehementèr ſtimulantia doſi minori ſumpta, ut *agaricus*, *ſemina Carthami*, *colocynthis*, *euphorbium*, *hermodactilus*, *Xalappa*, *mechoacana*, *mirabolani*, *gummi gutta*, *turbit gummo-*

ſum, & alia, quorum doſis, & natura ita deſcribuntur.

Agaricus, qui fungus eſt, arbori larici accreſcens, dummodò crudus ſit, habet pro doſi à gr. x. ad ʒij. at verò in decocto, duplicari debet prædicta doſis.

Semina carthami, ſi in propria ſubſtantia ſint ſumenda, doſis eſt à ℈j. ad ʒiij. ſi autem in decocto, duplicanda eſt iſta doſis: corrigitur verò *zingibere*, *galanga*, *aniſo*, & aliis.

Colocynthis, quæ ſpecies eſt *cucumeris*, ſeminibus ſuis orbatus, & exſiccatus medicamentum conſtituit vehementèr purgans, & proptèr viſcoſitatem ſuam facilè inteſtinis adhæreſcit. Tanta enim eſt ejus acrimonia, ut mortem poſsit afferre. Doſis in ſubſtantia eſt à gr. iiij ad ℈j. ſumma quippè tormina excitat, atque hypercatharſes, & inteſtinis ulcera producit; qua proptèr ejus pulpa, non mixta in clyſterum decocto, ſed in nodulo ſemper includatur. Menſtruum ejus optimum eſt aqua, cujus ope fit extractum, ſi tantillo alcali *tartari* priùs alterata fuerit, cujus aquæ doſis eadem eſt, ac in ſubſtantia.

Euphorbium, quod eſt ſuccus plantæ ſemine tricoceo maximè referentis *Tithimalum* noſtrum, ex pallido flaveſcit hic ſuccus gummoſo-reſinoſus, linguam urit acrimonia ſua diù inhærente: maximè viſcidus eſt, indeque tenacitèr adhæret inteſtinis. Doſis eſt gr. iij. nam valdè purgat; licèt ab Empyricis audacibus præſcripta ſit aliquandò doſis gr. xij. diſſolvi poteſt in aqua; porrò ſi ſolvatur in ſpiritu vini, vim majorem adipiſcitur, ideòque doſis ejus maxima ad gr. iv. reducenda eſt; ſi verò cum *aceto* coquatur, tota vis ejus perit.

Hermodactilus radix eſt gummoſa, ſalivam dum maſticatur viſcoſam reddens. Doſis in ſubſtantia eſt à gr. x. ad ʒij. ſi autem cum aqua decoquatur, duplicata doſis dari poteſt: in alcohole vini reſinoſa tantùm educitur pars, & in ſpiritu vini vulgari extrahitur corpus ex reſinoſis conſtans partibus.

Jalapa radix eſt planta, quæ *mirabilis peruviana di-*

citur: ſi maſticatur, totum os viſco primò quidèm obducit, ſed paulò poſt fauces exulcerat: lentè deglutita, linguam, fauces, & œſophagum quaſi comburit; hoc verò malum aceto corrigi poteſt. Doſis ejus in ſubſtantia pro infantibus eſt ad gr. viij. vel ix. in adultis autem maxima doſis eſt ℈iiij. ſi verò coquatur in aqua, doſis ejus duplicanda eſt: ſi cum ſpiritu vini vulgaris decoquatur; extractum elicitur reſinoſum, cujus doſis eadem eſt, ac in ſubſtantia: in Alcohole vero ſoluta, & inſpiſſata dat reſinam, cujus ℈j. equivalet ʒj. ejus crudæ.

Mechoacana, quæ ſpecies eſt Bryoniæ, unde quoque Bryonia alva dici ſolet; benigniùs operatur, quam *Jalappa*: eſt autem gummoſa radix, ſapore viſcoſo, & acri prædita. Doſis hujus eſt à gr. xij. ad ʒiß. cæterùm in aqua, & ſpiritu vini non ſecùs, ac Jalappa diſſolvitur.

Pruna quædam *Mirabolani* dicta, viſcoſa ſubſtantia gaudent corpore glandibus ſimilia, quarum variæ dantur ſpecies: in officinis autem quinque præſtant genera. Omnes hi fructus ſunt viſcoſi cum ſapore terreo adſtringenti, & acri: ſatis purgant, poſteà conſtipant. Doſis eſt à ʒij. ad ʒvj.

Gummi-gutta, quod eſt *Gummum-aromaticum indicum*, purgat materiam inſtàr muci narium. Doſis ejus eſt à gr. ß. ad gr. x. in *vitello ovi*, aut *melle ſolutum*.

Turbit gummoſum, ita dictum, quia ſi maſticatur talem qualem gummi exhibet viſcoſitatem cum acrimonia intermixtam, doſis eſt à gr. x. ad ℈ij. decoctum in aqua ad ʒj. lentè operatur: ſi ſolvatur in *Alcohole* fit *reſina* optimè purgans. Hæc ſunt veterum Phlegmagoga. RR. his etiam addidere *Mannam*, *Aloæm*, & alia.

Manna eſt corpus viſcoſum, & quadam acrimonia præditum: Doſis à ℥i. ad ℥iiij.

Aloæs hoc habet, quod viſcoſitate ſua, & amaritie bilem æmuletur: Doſis à gr. ij. ad ʒj.

Bryonia quidèm radix eſt fungoſa, & craſſa, saporem habens acrem, mordacem, atque nauſeabundum:

Doſis eſt in ſubſtantia à gr. iij. ad ℈iß. Radix hæc, in aqua decocta, pituitam lentè educit: In ſpiritu verò vini decocta, & inſpiſſata, vim duplicem adquirit.

Polipodium quercinum vi ſuæ viſcoſitatis, & acrimoniæ operatur.

Mercurius dulcis, ſi detur ſubtiliſsimè tritus, fit *ſialogogus*; ſi autem groſſo modo phlegmagogus: Doſis à gr. ij. ad ℈ij.

Int. Quibus convenit dare medicamenta expoſita?

R. Hominibus, quibus viſcera prima debilia ſunt. Horum phlegmagogorum uſus perquàm neceſſarius eſt in omnibus morbis, ortis à chylo, propter inertiam bilis vitiato; nam quandò nimis iners eſt, aut parcè nimis in inteſtina fluit, intrà breve tempus pituita, & phlegma in inteſtinis generantur: unde quidem homines hunc in modum affecti redduntur hydropici, vel pituitoſi, ſeu leucophlegmatici obſtructi, &c.

CAPUT TERTIUM.

DE PURGANTIBUS CHOLAGOGIS.

Int. QUæ purgantia vocantur cholagoga?

R. Ea, quæ ſtimulando, non modo mucum expellunt, verum etiam à vaſis meſentericis recepta, ſolutionem, & motum ſanguinis in hæpate augendo, majorem bilis ſecretionem, & excretionem promovent.

Int. Quot ſunt claſſes cholagogorum?

R. Omnia cholagoga ad binas claſſes reducuntur. Prima claſsis continet quæcumque, ſanguinem in hæpate attenuando, ſecretionem bilis uberiorem promovent. Secunda includit omnia ea, quę ventrem inferiorem irritando, & violenter concutiendo, bilem ex hæpate, & veſicam felleam in inteſtina derivant, ut poſsit per ſedes amandari.

Int. Quæ continentur in prima claſsi?

R.

R. Omnia *ſaponacea naturalia*; qualia ſunt ſucci cunctorum fructuum horæorum acido-dulcium, & maturorum: ut *Uvarum*, *Ceraſorum*, *Mororum*, *Pomorum*, *Pirorum*, &c.

Hæc enim liquæfaciunt ea omnia, quę in vaſis hærent, adeòque, & bilem, quin etiam ita vehementèr, & copiosè, ut ſępè choleram morbum inducant. Ad hæc pertinent quoque *Caſsia*, *Manna*, *Mel*, *Sacharum*, *Tamarindi*, *Sirupus roſarum ſolutivus*, *Sirupus florum perſicarum*, *de Cichoria cum Rhabarbaro*, *Rhabarbarum*, *Pillulæ de Aloæ roſatæ*, *Tartareæ Schroderi. Angelicæ Benedictæ Bejeri. Aloephanginæ Aureæ. Electuarium diaprunum ſolutivum. Hieræ picræ Galeni. Succus roſarum pallidarum. Item numquam ſatis laudatum cholagogum Franciſci de Leboe Sylvi*, *cujus deſcriptio eſt hæc*:

℞. *Pulp. prun. acido-dulc.* ℥xx. *cremor. tartar. ſcammon. optim. ana.* ℥ij. *Rhabarb. elect.* ʒx. *cinnamom. acut.* ℥ß. *ſantal. citriu.* ʒij. *ſacchar. clarificat.* ℥xvj. *M. S. F. S. A. Tandèm Electuarium Catharticum colagogum Mynſicht*, in ſuo Armamentario deſcriptum.

Int. Quæ pertinent ad ſecundam claſſem?

R. Ad hanc pertinent omnia emetica validiora, ut ſunt *Aſſari folia*; tum antimonialia, & mercurialia, &c.

Int. In quibus morbis adhibenda veniunt purgantia Cholagoga?

Reſp. In omnibus morbis, qui ab obſtructione hepatis, vel ductus biliarii oriuntur, ac proindè in ictero.

CAPUT QUARTUM.

DE PURGANTIBUS MELANAGOGIS.

Int. Quæ purgantia vocantur Melanagoga?

R. Ea, quæ materiam atram educunt per inteſtina. Verum tamèn eſt, medicamenta purgantia dari plurima, quę fœces atras reddunt, & licet materiam atram non educant, à veteribus tamen Me-

Melanagoga hoc ipſo vocantur: ſic enim *Polipodium Quercinum*, *Lapis Armenus*, *Lazuli*, *Helleborus niger*, *Epithymum*, & omnia *Vitriolata*, quarum proprietates ſunt cuncta ferè colore nigro tingere. Summatim omne illud dici poteſt Melanagogum, quod materiam atram blandè expellit; etenim non debet vehementèr tractari, ſed lenibus dumtaxat moveri purgantibus. Præter dicta Melanagoga etiam ab Authoribus numerantur ſequentia: *Folia ſennæ*, *Syrupus Diaſereos*, *fumariæ*, *Pillulæ de Ammoniaco Quercetani*, *Tartareæ Scroderi*, *Pulvis Diaſennæ*, *Extractum Ellebori nigri*, *&c.*

CAPUT QUINTUM.

DE PURGANTIBUS HYDRAGOGIS.

Int. Quæ purgantia vocantur *Hydragoga*?

R. Illa, quæ aquam, id eſt ſerum inteſtinale ſalivoſum educunt.

Int. Quot ſunt claſſes purgantium *Hydragogorum*?

R. Tres. Ad primam pertinent ea, quæ ſecretionem hujuſce liquidi promovent, irritando inteſtinorum membranam intimam.

Int. Quæ differentiæ dantur horum Hydragogorum?

R. Hæc in duplici ſunt differentia, vel enim ex foſſilibus, vel ex vegetabilibus deſumuntur. Quæ ex vegetabilibus habentur ſunt ſequentia, *Mechoacanæ radix* hęc in *Alcohole* ſoluta tincturam præbet, quæ porrò inſpiſſata fit *reſina*; ſi tinctura in ore teneatur, ardore intolerabili fauces afficit, & ſalivationem excitat; ſi verò deglutiatur, fauces, ac œſophagum inflammat; & humoribus opplet; haùd ſecùs ejus *reſina*, ſi maſticetur, ſalivam vehementèr movet, oſque exulcerat. Doſis hujus radicis eſt à ℈j. ad ʒij.

Xalappa, hæc ſi maſticetur, primò quidem iners eſſe videtur, ſed tandèm acerrima deprehenditur; tintura ejus cum *alcohole* facta, & in ore detenta fauces itidèm exulcerat; *reſina* verò ſi maſticetur, intolerabi-

bilem dolorem, & tumorem excitat, ſalivæque ſecretionem valdè promovet: porrò in aqua ſoluta ſumatur, vehementèr purgat.

Ebulus, ſive *Sambucus humilis*, hoc fructu, & cortice interiori utitur: Doſis baccarum eſt à ℈j. ad ʒv. ſuccus earum, ut & ſummitatum dari ſolet à ℈ß. ad ℥j. cortex medianus in infantibus ad ℈ß. adultis ad ℥ß. datur; ſerum educit, quod vehementiſsimè, & fortiùs agit, quàm ſambucus.

Rhamnus catharticus, *vel Spina Cervina*, baccarum ejus ſuccus expreſſus ſumitur ad ℥j. & in ſyrupum confectus ad ℥ij. Hydropicis maximè confert, & aquas copiosè admodùm elicit; ſuccus autèm in ore detentus ſaporem quaſi igneum exhibet.

Soldanella minor, hęc eſt herba maritima, & ſpecies *convolvuli*; ſaporem acerrimè ſalſum præbet, limoſa eſt, & tenax cum acredine, alvumque purgat cum torminibus: Doſis à ℈j. ad ℥ß.

Gratiola, hęc ſaporem habet igneum, amariſsimumque cum ſucco viſcoſo; aquas educit cum torminibus ſummis, ſoletque vomitum excitare: Doſis à ℈ß. ad ʒij. in infuſo.

Iris palluſtris, quæ noſtras dicitur; hæc agit vehementiſsimè: Doſis in ſubſtantia eſt à ℈j. ad ℥j. ſucci ejus eadem eſt doſis.

Eſſula, cujus ſuccus, quoad colorem, & conſiſtentiam lac æmulatur, ſed ita eſt urens, ut ſi cuti applicetur, inſtàr ignis eam exulcerat; & eſt adeò tenax, ut calore leni evaporatus in reſinam abeat: Doſis à gr. iij. ad viij. in ſubſtantia; verùm in infuſo doſis duplicatur: huc referuntur etiam alię tithymalorum ſpecies, ut *Euphorbium*.

Gummi gutta, ſive guta combodia, ſeu Gamandra, hæc ſi guſtetur, fauces exulcerat, iiſque tenaciſsimè adhęret, atque veſicas excitat, fortiſsimum quoque, & optimum eſt hydragogum: Doſis à gr. ß. ad xij.

Elaterium, ſive *cucumeris aſinini* ſuccus ad ſolem inſpiſſatus: hoc porrò medicamentum eſt accerrimum; quin

quin & ita viſcoſum, ut licet per 100. annos ſervetur, nihilominùs tenax maneat: laudatur tamquàm ultima anchora in hydrope: Doſis eſt à gr.ß. ad xij.

Int. Quæ Hydragoga ex foſsilibus pertinent ad hanc primam claſſem?

R. Pertinent ſequentia: *Mercurius dulcis*, qui verò fit optimum Hydragogum ſi groſſo modo contritus, exhibeatur, quia ſic à liquidis noſtris non facilè ſolvitur; hinc inteſtinis inhærens, eadem vi acidi, quod in eo continetur, ſtimulat: Doſis ejus eſt à gr. iiij. ad ℈ij. verùm ſi exhibeatur tenuiſsimè tritus ſalivationem excitat.

Mercurius præcipitatus albus; cujus vis conſiſtit in ſpiculis acidis, quę non ſunt recondita, ſed aperta, & nuda: ejus doſis maxima eſt gr. ad x.

Mercurius præcipitatus ruber, violentiús adhùc agit: Doſis hujus eſt à gr. ij. ad v.

Mercurius præcipitatus flavus, optimum eſt hydragogum, ſed cum moderamine exhibendum eſt: Doſis ejus à gr. ij. ad vj.

Mercurii præcipitati viridis eadem eſt doſis, ac flavi.

Hùc etiam pertinent metallorum cryſtalli, ut *Vitriolum Lunæ*, ex quo fit lapis infernalis: Doſis eſt à gr. ß. ad iij. Tum *Vitriolum Veneris*, cujus: Doſis eadem eſt.

Scobs veneris, quę tamquàm ſacra anchora laudatur, præſcribitur ad ſummum ad gr. vj.

Vitriolum Martis à gr. vj. ad ℈j.

Vitriolum commune, ſive *album*, datur à ʒß. ad ℈iiij.

Int. Quæ purgantia hydragoga pertinent ad ſecundam claſſem hydragogorum?

R. Ea, quę ſanguinem in ſeroſum liquidum ſolvunt, eumque ita ſolutum velociùs movent, quo majori copia ad inteſtinales applicetur glandulis. In hac claſſe unum medicamentum ſolummodò agnoſcitur, nempè *Mercurius*; hic enim ſivè crudus, ſive dulcis benè trituratus, & parva doſi, eaque ſæpè repetita datus, poſt duos, treſvè dies fluxum alvi ſeroſum inducit.

Int

Int. Quæ Hydragoga pertinent ad tertiam claſſem?

R. Ea omnia, quæ glandulas ſtimulant, & ſecretiones augent, tumque ſanguinem ſolvunt, eumque ſolutum movent: ſicut enim cantharides cuti externe applicatę veſicas excitant, ſimul & ſanguinem ita ſolvunt, ut mictum ſanguinis nonnumquàm inducant, ſic etiam omnia veſicantia, & acria, uti ſunt ea, quæ in prima claſſe numerantur; inteſtinis internè applicata, ſimiliter veſicas producunt, ſimulque ſanguinem ſolvunt.

Int. In quibus morbis conveniunt Hydragoga?

R. Conveniunt in morbis frigidis chronicis, & ubi humidum, & viſcidum in ſanguine prædominium habet, ut in Hydrope, Cachexia, Gonorrhæa, & aliis. Ubi humores fluxiles facti ſunt, & obſtructiones priùs reſeratæ incindentibus, & aperientibus. Ubi virium robur conſtat, & viſcera ſalva ſunt.

Purgantia autem fortiora numquam conveniunt in morbis ſpaſmodicis, vel ubi ſpiritus facilè proni ſunt ad ſpaſmos, uti ſunt hyſtericæ, hippochondriacæ, & qui dolore colico, nephritico, artritico obnoxij ſunt: Paritèr ubi adſunt alvi obſtructiones pertinaces: quoniam magis conſtipant, & exſiccant. Porrò in omnibus glandularum meſeraicarum obſtructionibus, ventris tumoribus, & infarctu viſcerum nocentiſsima ſunt; ut gravidis, puerperis, debilibus, & ubi ſerum deficit, uti in phtiſicis, hecticis, & ſenibus: non conveniunt quoque in ſanguinis turbatione, febribus omnibus, & omni inflammatione.

Int. Quotuplex eſt expurgatio ſelectiva, ſeu draſtica?

R. Triplex eſt, videlicèt, *radicativa*, *minorativa*, & per *epichraſim* facta.

Int. Quid eſt purgatio radicativa?

R. Eſt illa, qua ſeligenti pharmaco, tota evacuatur per ventrem morbifica materia. Minorativa veró eſt illa, *qua vi urgentię in principiis morborum, pars materię morbificæ per ventrem evacuatur, ut natura ſuperior evadat*

ſu-

ſupra reſiduum. Epichratica deniquè eſt illa, *qua paulatim evacuatur materia, quæ paulatim ob ſui ætherogeneitatem petit concoqui.*

Int. Quando expurgatio exercenda venit?

R. Semper ac à ſuo objecto indicata fuerit, modò non adſit aliquod contraindicans, ut aliqua interna inflammatio, ardor nimiùs viſcerum, nimia humorum viſciditas, craſsities, vel cruditas.

Int. Quod eſt indicans expurgationis?

R. Eſt morbus pendens ex ſuccorum *cacochymia.*

Int. Poſſumus in principiis morborum, nulla expectata coctione, purgationem imperare?

R. Poſſumus lenitivam purgationem imperare, ſi in prima regione adſit ſuccorum cacochimia, vel ex ſecunda regione recepta, vel in ipſa, ex depravata alimentorum digeſtione genita.

Int. Poſſumus purgationem ſelectivam imperare in principiis morborum, abſque humorum coctione?

R. In principiis morborum ortum ducentium ex humorum cacochimia nuda, ex qua nulla oritur febris, in ipſo principio, coctionem non expectantes, expurgans ſelectivum imperare debemus, ut patet in hydrope, leucophlegmatia, & aliis. Attamèn in febribus putridis, aut morbis febrilibus, non peracta coctione, non licet imperare ſelectivè purgans, quia juxta Hypp. 1. *Aphor.* 22. *Concocta medicari, non autem cruda, niſi materia turgeat*: Et in 2. *Aphor.* 12. *In morbis acutis in principio non purgandum, niſi materia turgeat.*

Int. Quid intelligitur per ly medicari?

Reſp. Multi Expoſitores, non præcisè expurgationem intelligunt, ſed in genere ad omnem, per ſeceſſum, aut urinas, aut ſudores evacuationem extendunt.

Int. Cur ab *Hypp.* ex petitur coctio ad purgandum?

R. Quia ſicuti muſtum turbidum, per quæcumque inſtrumenta colatum, non redditur clarum; benè tamen, quod fermentando depuratum eſt: ſic quando fœces recrementoſæ, per fermentationis motum ſepara-

ratæ, aut præcipitatæ non ſunt, tamdiù inutilis, imò perniciosa erit purgatio, nihil, aut parùm educens, vel humores ſimul utiles evacuans, corpus liquefaciens, humores magis turbans, hinc tormina, animi deliquia, vertigines, convulſiones, ſudores ſincopticos excitans.

Int. Licet aliquando, cruda exiſtente materia, in principiis febrium putridarum, uti cathartico medicamento?

R. Quod in cura coacta harum febrium, licet uti cathartico minoranti, videlicet, ſi adſit *turgentia*, *urgentia*, vel *vergentia* humorum.

Int. Quid eſt turgentia?

R. Eſt vehemens conatus appetitus naturalis, ſenſitivi, aut rationalis tendentis in fugam, aut proſecutionem alicujus objecti.

Int. Quotuplex eſt turgentia?

R. Triplex: *formalis*, *cauſalis*, aut *objectiva*, & *analoga.*

Int. Quid eſt turgentia *formalis*?

R. Eſt quæ ſuperiùs definitur, quæ in plantis, brutis, & hominibus reperitur.

Int. Quid eſt turgentia objectiva, ſeu *caſualis*?

R. Eſt quædam prava humorum diſpoſitio, ratione cujus cauſa ſunt, ut partes irritatę turgeant ad eorum expulſionem.

Int. Quid eſt turgentia *analoga*?

R. Eſt irrequietus motus humoris de parte in partem, abſque eo, quod in aliqua firmetur, dolores, ac titillationes inferens, ægrumque quieſcere non permittens.

Int. Quomodò poſſunt turgere humores?

R. Humores ſolummodò turgere poſſunt, vel *turgentia objectiva*, ob eorum pravam diſpoſitionem, vel *analoga*, ob irrequietum motum, quem adipiſcuntur.

Int. Quæ conditiones expoſtulant humores, ut turgere poſsint?

R. Ut humores turgere poſsint, requiritur, quod caliditate nimia, ſiccitate, acredine, & mordacitatę præ-

pręditi ſint, ut ſic partes ſentientes irritare valeant, quod ſubſtantiam tenuem obtineant, ut poſsint facilè moveri: quod indifferentèr de parte in partem moveantur; & quod in nulla parte firmentur.

Int. Poſſunt in dicto ſenſu turgere omnes humores?

R. Pituita, & melancholia nullomodò turgere poſſunt: quia his humoribus deficiunt conditiones prædictæ, ut poſsint turgere.

Int. Poteſt ſanguis turgentiam adquirere?

R. Juxtà AA. ſanguis nullomodò poteſt turgere, quia ſecundùm *Hypp.* humori turgenti debetur expurgatio; at nullum ex Meſſue, & ex *Galeno* cognoſcitur medicamentum ſanguinis ſelectivum: atque adeò turgere non poteſt. Juxtà RR. verò, turgentia, ſeu orgaſmus conſiſtit in impetuoſa efferveſcentia ſanguinis, dum materia morbifica abundans, immoderatè nimis efferveſcit, & rapidè per vaſa movetur inſtàr muſti impetuosè ebullientis, & vaſa nimis arctè concluſa rumpentis: indè evenit, ut natura in principio, vel augmento morborum, quandoque excitat vomitus, aut diarrhæas, aut hæmorrhagias ſympthomaticas; & licèt *Hypp.* purgationem ſtatim inſtituendam conſulat, ne humores mobiles impetu illo concitati in partem aliquam principem ruant: interim, magna cautela opus eſt, ne intempeſtivè irritentur crabrones: undè multi etiam præferunt in hoc caſu, venæ ſectionem purgationi.

Detecta ſanguinis, & humorum circulatione, planè evincitur, quod turgentia malè intellecta, & edocta fuit à *Galeno*; nam ex ſanguinis, & humorum circulatione, perquàm ſatis conſtat, eos perenni motu per ſua vaſa circumire, cuncta membra corporis pervadere. Quamobrem turgentes humores potiùs exponendi ſunt, qui moventur quidem, ſed impetuoſiùs, quàm par eſt, per venas, & arterias, atque illas inæqualitèr agitant, & in tumorem attollunt, ſimùlque multitudine, & pravitate, concitant, irritant, gravant viſcera, per quæ tranſeunt, unde periculum ſuffocatio-

nis

nis minantur, niſi citò evacuentur. Hoc enim caſu ſpecies remedii, deliberanda venit à prudenti, ac practico Medico, ſumendo indicationem à cauſa urgentiæ, quæ ſi fuerit ſanguinis multitudo, aut nimia ejus rarefactio (ut ſentiunt RR.) ſanguinis orgaſmus, vel turgentia, ſanguinis miſsione compeſcenda. Si verò humorum pravitas, (ut volunt AA.) minorante cathartico ducendi ſunt humores versùs primas vias, ut foras eliminentur, & impediatur, ne humores turgentes ruant in aliquam partem principem.

Int. Turgere poteſt bilis atra?

R. Juxtà AA. atrę bili, ſolùm evenire poteſt objectiva turgentia, ob ſui acredinem; minimè verò analoga, quia deficit huic humori tenuitas neceſſaria, ut à parte, in partem moveatur concitato, & inordinato motu.

Int. Quis ergo humor turgere poteſt turgentia objectiva, & analoga?

R. Flava bilis eſt, quæ utroque modò turgere poteſt.

Int. Humor turgens, eſt ſtatim expurgandus?

R. Humor, qui objectivè tantùm turget, non ſtatim indicat expurgari: humores verò, qui analogicè turgent, eadem die ſunt expurgandi, modò non adſint nimiæ cruditates, ac craſſorum, & lentorum humorum copia in prima regione; vel flatu diſtenta ſint hyppochondria; vel ſuprà admodùm calida, vel in eo loco aliqua adſit alicujus viſceris inflammatio; qui enim iis laborant ex *Hip.* inepti ſunt ad expurgationem.

Int. Quid eſt urgentia?

R. Eſt ingens vitæ periculum, oriens à mole cauſę materialis tanta, vel quali, quæ in anguſto ponit Medico, ut rationabiliter timeat, quod in tempore ſtatus natura non poſsit illam concoquere.

Int. Quot modis peccare poſſunt humores, ut urgentiæ ſint cauſæ?

R. Dupliciter. Primò, quando tanta reperitur eorum copia, quod timeat Medicus naturam non poſſe

ſuperare tantum onus; tunc enim commodiſsimè tentatur purgatio ante coctionem materię, cum non ſperet Medicus coqui poſſe ob multitudinem. Secundò quando incoctilis eſt materia, ob venenoſam, & malignam corruptionem. Tunc enim ſpes adimitur Medico, ut à natura eam ſupperare poſſe, adeòque ſine mora purganda, ut nobis docet doctiſsimus *Valleſius* in *Expoſitione, Aphor.*22. *ſect.*1. per hæc aurea verba: *Gratia evacuationis numquam debet agi expurgatio ante coctionem. Niſi fortè aliquando, cum nullatenus videtur facultas poſſe durare, donec morbus concoquatur, aut ob multitudinem ad coquendum.*

Int. Quid eſt *vergentia*?

R. Eſt manifeſtus motus humoris, versùs vias expurgationi deſtinatas.

Int. Quare licet in urgentia uti minorativa purgatione?

R. Quia ſic à *Gal.* conſulitur *in Comment.* 24. *Porrh. Neque enim*, ait, *periculum minimum in morbo acuto eſt, malè uti purganti medicamento. Quare majorem oportet ex noxiorum humorum evacuatione fieri utilitatem, quam ex purgantibus medicamentis detrimentum.*

Int. Quare in vergentia licet expurgare?

R. Quia ut colligitur ex *Gal.*4. *de Rat. Vict. Comm.* 64. *Illi ſolùm dejectione purgari poſſunt, qui ad meſenterium, & inteſtina impetum faciunt, adeòque in alvum vergunt, ut ex conjuncto murmure conjici poteſt.* Hinc monet *Sanctorius*, non eſſe exhibendum medicamentum purgans in turgente materia, niſi ea inclinationem habeat ad inteſtina.

NOTÆ IN USU CATHARTICORUM Pharmacorum obſervandæ.

I. A levioribus catharticis incipiendum, antequám ad fortiora aſcendatur. Hic enim neutiquàm oblivioni tenenda, aſt ubique ſervanda aurea *Hip.* regula *Aphor.* 51. *ſect.* 2. deſcripta: *Plurimum, & repentè evacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, aut alio quovis modo, corpus movere periculoſum.*

II.

II. Liquida cathartica, ſiccioribus corporibus exhibenda, ſicciora verò humidioribus. Verùm ſi æger ſiccioris naturę, catharticum in forma ſicca appetat, indulgeat hoc ipſi Medicus, ſed ſimul moneat, ut æger hora una, atque altera pòſt aſſumptum purgans, aſſumat juſculum.

III. Humoris evacuandi quantitas, certis rationibus menſurari nequit. Qua tamen copia humor ſit purgandus, ex affectu, quantitate, & loco, in quo morbificus humor ſitus eſt, colligendum venit. Verùm notandum eſt, nimis frequentem purgationem, corpus quàm maximè debilitare, ultramodum, ſi fuerint exhibita purgantia ex mente *Galeni*, *Comment. 6. in lib. 6. Epidem. text.* 5. interficiunt.

IV. Quando verò à purgantibus exhibendis deſiſtendum ſit, docuit Hypp. *Aphor.* 19. *ſect.* 4. inquiens: *Medica potione dum purgantur, non ſitiunt, ipſorum purgandi finis non ſit, donec ſitiverint.*

V. Parciùs cathartica exhibenda pueris, quorum ſubſtantia continuò, & inſignitèr, propter inordinatos motus, nimiam auctionem, corporis raritatem, ac proindè exhalationem multifariam diſsipantur: & ſenibus, quorum corporis ariditate, pluſquam humiditate laborant.

VI. Purgantia in gravidis, facilè abortum producunt, præcipuè in initio, & fine geſtationis, ut docuit Hypp. *Aphor.* 1. *ſect.* 4. *Utero gerentes ſunt medicandæ, ſi materia turget, quarto menſe, & uſque ad ſeptimum, ſed hæ minùs: à juniore autem fœtu, & ſeniore, abſtinere oppor-tet.* Adeòque laxantia eis magis proſunt: id quod obſervandum quoque eſt in puerperis, quæ non purgandę, niſi tranſacto decimo, vel undecimo die à partu, ſi lochia peccaverint in quantitate diminuta, vel in qualitate depravata.

VII. Raræ texturæ hominibus, parcè purgandi: tùm etiam valdè graciles. Calidæ verò, & humidæ, qui ſunt conſtitutionis, facilè purgationes ferunt.

VIII. Pharmacis aſſueti, majorem medicamentorum

vim perferre poſſunt, quam inſucti: plurimum enim inſueti læduntur, in primis ſi catharticum in majori doſi ipſis propinetur.

IX. Excreta, non copia ſunt æſtimanda, ut Hyppoc. *Aphor.* 23. *ſect.* 1. monet: *Dejectiones non multitudine ſunt æſtimandæ, ſed ſi talia dejiciantur, qualia conveniunt, & ægri facilè tollerant. Atque ubi uſque ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, ſi æger poſſit tollerare.*

X. Incertitudo Pharmacorum purgantium palàm ab Hypp. confitetur *lib. de Purgantibus, pag.* 607. aſſerens: *Medicamentorum purgantium rem, non ita ſe habere, quem admodùm vulgò putatur: eodem enim,* inquit, *medicamento, quidam purgantur, quidam non purgantur, idque quandoque alia purgat, quamque purgare ſolet: aliquando nimium purgat, aliquando ea, quæ debet facit.*

Pergit Hypp. *pag.* 608. *text.* 11. meritò ergo ad indicantia, coindicantia, & contraindicantia expurgationis, & ait: *Si itaque pharmacum alicui dare voles, ſivè deorsùm, ſivè ſursùm purgans, interrogare opportet, an priùs biberit medicamentum, an alvus ex deorsùm purgantibus ſit, & utrùm celeritèr obediat, an verò durior ea ſit: quod ſi ſitam, ac facilè ſolvi poſſe dixerit, molliorihus, & paucioribus medicamentis opus habet; ſi verò duriorem, fortioribus indiget.*

XI. Omnes infirmi, faciliùs ferunt laxationem, quàm purgationem.

XII. Purgantia in acutis, raró bonum, ſed ut plurimum noxium edunt effectum, lenientia tamèn in morbi principio exhibita proſunt.

XIII. In morbis, exacerbationes, vel paroxiſmos habentibus, convenit expurgatio die remiſsionis, vel intermiſsionis, vel ipſo die paroxiſmi, ita ut ſuum effectum compleat, antè paroxiſmi invaſionem.

XIV. Summè noxia ſunt purgantia in inflammationibus internis.

XV. Si purgans, nullam operationem edit, aliud non ſuper ingeratur, ſed potiùs alvus clyſteribus aperiatur.

XVI.

XVI. Si catharticum hypercatharſim excitat, theriacalia, aromata, cinnamomum, ejuſque aqua cum vino deſtillata, &c. exhibeantur, quæ promptè admodùm nimiam ſiſtunt purgationem.

XVII. Si cathartica leniora, forma pillulari præſcribantur, mox poſt cœnam, ſeu antè ſomnum danda eſſe: fortiora verò, longè à ſomno, ſeu matutino tempore, ne eorum operatio impediatur.

XVIII. Purgans medicamentum, cibo aliquando miſcere licet, præſertim in nauſeabundis, qui omnia oblata purgantia vomunt, ſic autem talibus, ſorbitionibus alimentariis decipiuntur.

XIX. Apparentibus exanthematibus, in acutis, non licet medicamenti, purgantibus alvum lenire; nam natura per loca conferentia (quæ ſunt pori cutis) juvanda.

XX. Aeris conſtitutio, expurgationibus maximè conveniens, eſt temperata, & vernalis ex Hypp. 6. *Aphor.* 47. Minùs frigida, & æſtiva ex eodem 4. *Aphor.* 5. ubi ait: *Sub cane, & antè canem difficiles, ac moleſtę ſunt purgationes.*

XXI. Fœliciori ſucceſſu exhibentur Luna decreſcente, quam creſcente. Coindicatio, vel contraindicatio ſumpta ab Aſtris, vel anni temporibus, ſolummodò locum habet, in præſentia, vel urgentiæ præſentia.

XXII. Viri, fœminis, validiora ferunt cathartica. Tempore menſtruationis mulieres minimè purgandæ.

XXIII. Bilis præter naturam faciliùs expurgatur; quia faciliùs turget.

XXIV. Pituita viſcida, ſi copioſior in primis viis extiterit, ſatiùs eſt ſtatim educere, quàm morà vires perdere, & obſtructiones pertinaces excitare. Si verò aliorſum ſit, convenit tamen, ut catharticis, incindentia, ſpirituoſa, flatuſque diſcutientia admiſceantur, ut eò faciliùs, minorique ægrorum moleſtia, dolore, anxietate, ac torminibus educatur.

XXV. Humores aquoſiores in inteſtinis, ventriculo,

aliiſvè partibus exiſtentes, à quibus ad inteſtina patet aditus, educantur ſtatim, antequàm, vel aſcites, vel hernia ſcroti aquoſa, vel crurum pedumvè tumor, &c. excitetur.

Int. Quid obſervare debet Medicus quoad uſum, & regimen purgationis?

R. I. Obſervare debet, quod in libera, & electiva purgatione, eligendam diem temperatam, ac vitandas eſſe Lunæ quadraturas.

II. Aſſumendum eſſe purgans manè, jejunè, niſi vel paroxiſmus manè infeſtet, vel urgens impellat affectus, vel animus ſit ſumendi pillulas, quæ ſi leviores, commodiùs hora una ante cœnam, ſi fortiores, duabus, poſt cœnam aſſumantur.

III. Purgantia potulenta calidè, vel potiùs tepidè propinata, citiùs operari; difficiliùs autem ſumi, & retineri, ob nauſeam, pro qua tollenda, & vomitu impediendo, nares obſtruendæ, linteolum, vel panis toſtus aceto madidus, naribus admovendus, buccella corticis citri, aut amygdalæ, aut aliud ſaporem medicamenti obſcurans maſticandum, vel vino, ac ſpiritu ejus, os colluendum.

IV. Aerem, ac potum frigidum, hoc tempore cane pejùs, & angue vitandum.

V. Si purgans nullam, vel parciorem poſt 4. vel 5. horas operationem eliceat, eadem promovenda erit ſuppoſitoriis, clyſteribus, exhibita deſuper aqua laxativa, & commotione, ut ab *Hypp.* docetur 4. *Aphor.* 14. *&* 15. ſicuti contrà, ſi admodùm excedat purgatio, eadem ſiſtitur ſomno, quiete, frictionibus, ſudore, applicatis, & exhibitis adſtringentibus, theriacalibus, atque opiatis.

VI. Sumpto benigniori, & mitiori cathartico, non deſuper dormiendum eſſe, neque tamèn poſt fortiora, quæ difficultèr in actum deducuntur.

VII. Duabus, vel tribus horis poſt aſſumptum purgans, brodium abſtergens, & abluens aſſumendum eſſe.

VIII.

VIII. Purgantia in forma liquida citiùs, & cum minori moleſtia operari; ac in primis conveniunt in temperamentis, naturis, & affectibus bilioſis, ac melancholicis, uti etiam in tollendis obſtructionibus.

IX. Purgantia in forma pulveris, vel pillularum minùs convenire in ſiccioribus, tabidis, hæcticis, melancholicis febre detentis, &c. E contrà fœliciùs operari in obeſsis, ſucculentis, & carnoſis ſubjectis, utpotè humidioribus.

X. Vinum generoſum purgantium vim cohibere; hinc etiam utile eſt poſt purgationem circa noctem aſſumere parum theriacæ cum hauſto vini generoſi, ut omnia iterum in paccatum ſtatum redeant. Hucuſque de natura, & uſu medicamentorum purgantium, nunc de illorum variis præſcribendi formis.

MODUS OPERANDI REMEDIORUM purgantium.

I. Quædam emolliendo, & lubricando leniterque tantùm ſtimulando agunt, ut *lenientia.*

II. Quædam abſtergendo, & ſtimulando operationem ſuam edunt, uti ſalia digeſtiva, & neutra, quæ in majori doſi exhibita etiam purgant.

III. Quædam vias ſtimulant propter amaritiem, & acredinem ſalinam, v.g. *Folia ſennæ, Agaricus, &c.*

IV. Quædam agunt particulis ſalino-ſulphureis, ſive reſinoſis in vias eaſque irritant, uti *Jalappa, Mechoacanna, Scammonium.*

V. Quædam acrimoniam cauſticam poſsident, & hinc vias, quàm maximè ſtimulant, uti ſunt *Helleborus niger, & albus, Colocynthis, &c.*

VI. Quædam in humores agunt, eoſque particulis ſuis gummoſis, & reſinoſis inſigniter fundunt, & reſolvunt, uti ſunt potiſsimum gummata, *Ammoniacum, Sagapenum, &c.*

VII. Quædam humores reſolvunt, & vias ſimul ſtimulant, uti ſunt anteà recenſita fortiora ſtimulantia, *Helleborus, Reſina Jalappæ, Scammonium, &c.*

FORMULÆ MEDICAMENTORUM lenitivorum, ſeu laxantium.

IN FORMA HAUSTUS.

℞. *Pulp. tamarind.* ℥j. *diſſolvatur in S. Q. ſeri lactis. F. Hauſtus pro una doſi.*

℞. *Pulp. prunor. acido-dulc. caſſ. fiſtul. recent extract. ana.* ʒiij. *vel* ℥ß. *ſeri lactis. Q. S. F. hauſtus.*

IN FORMA DECOCTI.

℞. *Radic. cichor.* ℥iß. *folior. fumar. M.* ij. *flor. roſar. pallid. M.* j. *Paſſular. Corinthiac.* ℥j. *Tamarind.* ℥ß. *ſemin. aniſ. & fœnicul. ana.* ʒij. *coq. in S. Q. Aq. Cichor. colaturæ* ℔ß. *diſſolv. ſyrup. roſar. ſolutiv.* ℥ij. *M. S. F. Apozema.*

IN FORMA PILLULARUM.

℞. *Maſſ. pillul. Rufi* ʒj. *ol. menth. ſtillati, gut.* j. *M. S. F. Pil.*

℞. *Extract. Rhabarb.* ʒß. *extract. Aloës* ℈j. *M. S. F. Pil.*

IN FORMA BOLI.

℞. *Pulp. tamarindor. Paſſular. corinthiacar. ana.* ʒiij. *cremor. tart.* ℈ij. *M. S. F. Bolus.*

IN FORMA CONSERVÆ.

℞. *Conſerv. flor. perſicor. electuar. è ſucco roſar. & diaprun. ſolut. ana.* ℥ß. *diagrid.* ℈ß. *Tartar. vitriolat.* ʒß. *M. S. doſis ad nucis moſchatæ quantitatem.*

PHARMACORUM CHOLAGOGORUM formulæ.

IN FORMA DECOCTI.

℞. *Radic. cichor.* ℥iß. *taraxic. cum toto. folior. fumariæ acetos. ana. M.* iß. *ſummitat. centaur. minor. p.* ij. *flor. roſar. pallidar. M.* j. *coq. in lact. ebutyrat. cola, & colat.* ℥xxx. *diſſolv. ſyrup. de cichor. cum rhebarb.* ℥iij. *M. S. F. apozema. In ſanguine depurando ejuſque æſtum compeſcendo perutile.*

IN FORMA CONDITI.

℞. *Pulp. tamarindor. & conſerv. roſar. pallidar. ana.* ℥iß. *cremor. tartar.* ʒij. *ſcammon.* ℈j *ol. cinnamom. ſtillat. gutt.* v. *M.S. F. conditum. de quo ad caſtaneæ magnitudinem exhibeatur.*

ALIUS.

℞. *Pulp. tamarindor.* ℥ij. *elect. è ſucco roſar.* ℥j. *tartar. vitriolat. & ſal. abſinth. ana.* ʒß. *diagrid.* ℈j. *M.S. F. conditum, doſis eademque ſuperioris.*

IN FORMA BOLI.

℞. *Pulp. tamarindor.* ʒiij. *ſcammon. gr.* viij. *ſpirit. ſulphur. per campan. gutt.* ij. *ol. cort. citri gutt.* j. *M.S. F. bolus.*

IN FORMA PULVERIS.

℞. *Rhabarbar. pulver.* ʒj. *cinnamom. acut. & nuc. moſchat. ana.* ℈ß. *M.S. F. Pulvis.*

ALIUS.

℞. *Diagrid. gr.* vj. *Rhabarbar. optim. & cremor. tartar. ana.* ℈j. *ol. aniſ. ſtillat. gutt.* j. *MS. F. Pulvis.*

IN FORMA PILLULARUM.

℞. *Extract. Rhabarbar. Aloæs lucid. & diagrid. ana. gr.* vj. *ſal. volatil. ſuccin. gr.* v. *ol. roriſmar. ſtillatit. gutt.* ij. *M.S. F. pillul. no.* v. *deaurentur. Conveniunt in morbis convulſivis.*

ALIÆ.

℞. *Extrac. rhei.* ℈j. *laud. opiat. gr.* ß. *ol. cinnamom. gut.* j. *M.S. F. pil. In dyſſenteria cum ſucceſſu preſcribuntur.*

PLEGMAGOGORUM PHARMACORUM *formulæ.*

IN FORMA HAUSTUS.

℞. *Elect. phlegmagog.* ℥ß. *tartar. vitriolat.* ℈j. *ſal. armoniac.* ℈ß. *aq. petroſel. Q. S. M. S. F. hauſtus.*

ALIUS.

℞. *Agaric. albi recent. trociſcat.* ʒij. *folior. ſennæ ſin. ſtip.* ℥j. *ſal. tartar.* ℈j. *infund. in aq. Q. S. col. & in co-*

la-

laturę ℥v. *adde Syr. flor. perſic.* ℥ij. *M. S. F. hauſtus.*

IN FORMA DECOCTI.

℞. *Raſſur. lign. guajac.* ℥iij. *rad. apii, & leviſtic. ana.* ʒiij. *bacchar. junip. & lauri ana.* ℥ß. *pulp. colocynt.* ʒij. *Rad. mechoacann. & turbith. gummoſ. ana.* ℥ß. *ſem. fœnic. dulc.* ʒiß. *coq. in S. Q. aquæ per ſex horas, vaſis optimè clauſis, colaturę* ℔iß. *add. ſpirit. ſalis armon.* ℈j. *aq. theriacal. compoſ.* ℥j. *ſyr. de colocynthide* ℥ij. *M. S. F. Apozema, multum in morbis pituitoſis præſtans.*

IN FORMA CONDITI.

℞. *Electuar. diacartham. & phlegmagog. ana.* ℥j. *ſal. abſinth. & armoniac. ana.* ʒß. *tartar. vitriolat.* ʒj. *rad. gentian. pulv. & jalapp. ana.* ʒiß. *M. S. F. conditum. Doſis, magnitudo nucis moſchatæ, prodeſt in tertianis, & quartanis.*

IN FORMA BOLI.

℞. *Elect. diacartham.* ʒij. *reſin. jalapp. gr.* vj. *tartar. vitriol. gr.* x. *ſal. abſinth.* ℈ß. *M. S. F. bolus.*

IN FORMA PULVERIS.

℞. *Pulv. Radi. Mechoacan.* ʒß. *pulv. rad. jalapp.* ℈ß. *ſal. tartar. gr.* vj. *cinnamom. acut. gr.* ij. *M. S. F. pulvis.*

IN FORMA PILLULARUM.

℞. *Maſſ. pillular. de hyer. cum agaric.* ʒß. *reſin. jalapp. gr.* vj. *M. S. F. pillulæ, & deaurent.*

MELANAGOGORUM PHARMACORUM formulæ.

IN FORMA HAUSTUS.

℞. *Electuar. melanagog.* ʒiij. *tartar. vitriolat.* ℈j. *ſal. artemiſ.* ℈j. *ſal. tart.* ℈ß. *aq. puleg. Q. S. M. S. F. hauſtus.*

ALIUS.

℞. *Extract. fol. ſenn.* ℈j. *pulv. diaſenn. Montagnanæ* ʒß. *ſal. tartar.* ℈ß. *aq. fenicul. Q. S. M. S. F. hauſtus.*

IN FORMA DECOCTI.

℞. *Rad. Polypod. quercin.* ℥ß. *Apii. & Angelic. ana.* ʒiij. *Hel-*

Hellebor. nigri, & folior. ſenn. S. ſtipi. ana. ℥vj. *ſummit. centaur. min. & eupator. ana. Ma.* j. *ſem. fænic. dulc.* ℥ij. *tartar. crudi, & cort. aurantior. ana.* ℥iß. *Macis* ℥j. *conciſſa, atque contuſſa coquantur in S. Q. aq. vaſis optimè clauſis, in colatur.* ℥xxv. *diſſolve. ſyr. de ſenn. Zvvelferi* ℥ij. *M. S. F. Apozema.*

IN FORMA CONDITI.

℞. *Paſſul. purgant.* ℥ij. *Elect. melanagog.* ℥j. *Extrac. hellebor. nig.* ℨij. *ſal. ammoniac.* ℨß. *M. S. F. conditum. Doſis ad nucis moſchatæ quantitatem.*

IN FORMA BOLI.

℞. *Conſerv. Flor. Perſic.* ℨj. *Extract. Hellebor. nig.* ℈j. *Syr. roſ. ſolut. Q. S. M. S. F. bolus.*

ALIUS.

℞. *Electuar. melanag.* ℨiß. *Pulv. Montagnanæ* ℨß. *ol. fœnic. gutt.* j. *M. S. F. bolus.*

IN FORMA PULVERIS.

℞. *Pulv. rad. jalapp.* ℈j. *Mercur. dulc. gr.* x. *ſcammon. ſulphur. gr.* v. *ſachar. Q. S. M. S. F. pulvis.*

ALIUS.

℞. *Pulv. diaſenn. Uvieri* ℨj. *ſal. abſinth.* ℈j. *tartar. vitriolat. gr.* x. *M. S. F. pulvis.*

IN FORMA PILLULARI.

℞. *Extract. fol. ſenn. & Hellebor. nigr. ana.* ℈ß. *Diagrid. gr.* vj. *ol. cort. aurantior. gutt.* ij. *M. S. F. pillulæ.*

ALIÆ.

℞. *Maſſ. pillular. de Ammon. Quercetani* ℨß. *extract. Hellebor. nigr.* ℈ß. *Scammon. ſulphur. gr.* iiij. *M. S. F. pillulæ.*

HYDRAGOGORUM PHARMACORUM formulæ.

IN FORMA POTIONIS.

℞. *Agarc. rent. trochiſc. & rhabar. pul.* ℨß. *ſpec. z. z. & calam. aromat. ana. gr.* viij. *infund. per noctem in S. Q. aq. Fontiſ. mane facta levi ebullitione, & expreſsione add. ſyr. de ſpin. cervin.* ℥iß. *M. S. F. potio.*

ALIA

ALIA.

℞. *Electuari hydragog. Sylvi, & Zvvelferi ana.* ʒiß. *tartar. vitriol.* ʒß. *ſucc. ireoſ. noſtrat.* ℥ß. *ſal. ſambuc.* ℈ij. *aq. petroſel. Q. S. M. S. F. potus.*

IN FORMA DECOCTI.

℞. *Rad. ireoſ. noſtrat. & Petroſelin. ana.* ℥ß. *jalapp.* ℥j. *Eryngii, & Ebuli ana.* ʒvj. *Cort. median. Sambuc.* ℥ß. *bacar. junip. & flor. ſamb. ana.* M.iß. *ſoldanell. virid.* ʒx. *ſummitat. centaur. minor. M.* j. *ſem. carvi* ʒj. *tartar. crudi* ʒiij. *Conciſ. atque contuſa coquantur in vin. & aq. ana Q. S. vaſis optimè clauſis, poſt tres quatuorve horas colentur. Colaturæ* ℔ij. *add. ſyrup. de abſinthio hydrag. Zvvelferi* ℥vj. *ſpirit. ſalis armoniac.* ʒj. *M. S. pro apozemate, aquas per alvum, & veſicam educente. Doſis à* ℥iij. *ad* iiij. *prout facilè difficiliuſve deponat æger alvum.*

IN FORMA CONDITI.

℞. *Conſerv. flor. roris marin. & ſalvi. ana.* ℥iß. *ſcammon.* ʒß. *pul. rad. jalapp.* ʒiß. *tartar. vitriolat.* ʒj. *ol. aniſ. gutt.* viij. *M. S. F. conditum. Doſis ad magnitudinem nucis moſcat.*

IN FORMA BOLI.

℞. *Conſerv. gratiol.* ʒj. *pul. jalapp. gr.* xv. *reſin. ſcammon. gr.* v. *cremor. tartar. gr.* v. *ſyr. flor. perſic. Q. S. M. S. F. bolus.*

PULVIS HYDRAGOGUS.

℞. *Rad. jalapp. pulv.* ʒß. *Diagrid. gr.* vj. *tartar. vitriolat.* ℈ß. *M. S. F. pulvis.*

ALIUS.

℞. *Rhabarb. pulv.* ʒj. *gumm. gut. gr.* iiij. *eſſent. cinnam. gutt.* j. *M. S. F. pulvis.*

IN FORMA PILLULARUM.

℞. *Reſin. jalapp. & Magiſter. gumm. de peru, ana.* ʒß. *ſal. volat. ſuccin. & caſtor. elect. ana. gr.* xv. *ol. ſabin. gutt.* vj. *& cum elix. propriet. Q. S. M. S. F. pillulæ. no.* xv. *quarum veſperi aſſumat tres, quatuor, vel quinque.*

CAPUT

CAPUT SEXTUM.

DE MEDICAMENTIS VOMITORIIS.

Int. QUæ medicamenta vocantur vomitoria, ſeu Emetica?

R. Ea, quæ vomitum cient, humoreſque præſertim bilioſos ſpumeſcentes, aqueæs non tantùm ex ventriculo, ſed etiam ex inteſtinis tenuioribus, ductu choledocho, & pancreatico, atque è glandulis inteſtinalibus, per ſuperiora evacuant.

Int. Quomodò operantur vomitoria?

R. Præſtant vim ſuam, vel ventriculum gravando, ob nimiam copiam, vel laxando, ob lubricitatem, vel averſionem concitando, ob æthercogeneitatem, vel irritando acrimonia ſalino ſulphurea volatiliori, movent inordinatè fibrillas nervorum per ventriculum copioſè diſſeminatas, quo motu ſpiritus animales copioſiùs in fibras muſculoſo-motrices irruunt, motumque periſtalticum invertunt, & veluti motu convulſivo, contenta in ventriculo ſursùm expellunt.

Int. Quibus in morbis conveniunt Emetica?

R. Adhibenda ſunt in cachochimia primæ regionis, in omnibus morborum principiis, ubi indicantur, & maximè febribus intermittentibus: Præſertim ſi æger ad vomitum ſit propenſus, bilioſus, gracilis, & amplo pectore, ut & nec phthyſi, nec alio pulmonum eſſentiali affectu laboret æger.

Int. Quæ differentiæ dantur Emeticorum?

R. Emetica, alia ſunt mitia, alia mediocria, alia fortiora, alia inuſitata, alia uſitatiora, alia Galenica, alia Chymica, alia primaria propriè talia, irritando vomitum cientia, alia ſecundaria, impropriè talia laxando, lubricando, & ventriculum reſupinando, vomitum cauſantia, quæ locum habent, I. in excernendis venenis corroſivis. II. In infantibus aſthmaticis, ut v. g. ol. amigd. dulc. cum ſperm. cet. 3. cum in morbis

vomitus, vomitu curandus eſt, ut in cholera, &c.

Int. Quæ dicuntur vomitoria levia?

R. Illa, quæ vel gravando, vel laxando ventriculum operantur: ut aqua tepida ſimplex, vel hordei, juſculus pinguis, oleum commune, vel amigdalarum dulcium tepidum, butirum liquidum calidum, hydromel, hydroleum, oximel, &c. Mediocria ſunt Radices Peponum in ſubſtantia ad ʒj. in decocto ad ℥j. Aſſarum à ʒj. ad ℈iiij. flores anethi, & raphani in decocto à ℥ß. ad ʒvj. vel ℥j. raphanorum ſuccus ad ℥ij.

Fotiora, & vehementia ſunt. Radices, *cataputiæ, ebuli, gratiolę* à ℈j. in ſubſtantia, in infuſione, ad ʒij. *Helleborus albus* in infuſione à ʒß. ad ʒj. *Syrupus emeticus Angeli Salę* ad ʒvj. vel ℥j. *Vitriolum album* à ℈j. ad ʒj. *jalappa* à ℈ß. à ʒj. *Sal vitrioli* à gr. x. ad xx. *Tartarus emeticus* à gr. ij. ad gr. viij. *Vitrum antimonii*, in infuſione à gr. iij. ad vj. *Crocus metallorum* in infuſione à gr. iij. ad viij. *Mercurius* vitæ, vulgó *Algaroth.* à gr. ij. ad iiij. ſed hæc omnia cautè adhibenda, cum crebra, & difficilis vomitio, ventriculi tonum laxet, viſcera debilitet, & caput gravet.

Int. Quid obſervandum ad debitum uſum emeticorum?

R. Quamvis emetica ſint optima remedia, tamen in multis affectibus, & corporis diſpoſitionibus, non æquè eorum uſus eſt laudabilis.

Int. Ex quibus partibus per vomitum evacuantur humores?

R. Evacuantur ex ventriculo, duodeno, liene, ex cava hæpatis parte, pancreate, meſenterio, &c. hinc utilis, in febribus intermittentibus, quandoque etiam in principio febrium continuarum, & malignarum; in malo hyppochondriaco, aliiſque huic cognatis chronicis affectibus.

Int. Quæ coindicant uſum emeticorum?

R. Horum uſus coindicatur I. ab habitu corporis; unde Hipp. 4. *Aphor.* 6. & 7. *Graciles* (intellige natura tales) & *ad vomendum faciles, per ſuperiora purgare convenit, niſi hyems adſit.* II.

II. A tempore anni, unde idem 4. *Aphor*.4. ait: *Æſtate quidem ſuperiorem magis ventrem: hyeme inferiorem purgare convenit.*

III. A conſuetudine.

IV. A natura ad vomitum prona, ac facili.

V. A ventriculi, & viſcerum robore.

VI. A viribus.

VII. Ab ætate, minùs enim conveniunt in fœminis, & infantibus.

VIII. A ſympthomatibus, & accidentibus quibuſdam, ſic Hipp. 4. *Aphor*. 17. ait: *Non febricitanti cibi faſtidium, cordis dolor, vertigo tenebricoſa, & oris amaritudo per ſuperiora purgandum opus eſſe ſignificant.* Sic 4. *Aphor*. 18. ait: *Dolores ſupra ſeptum tranſverſum, qui purgatione egent, per ſuperna purgandum opus eſſe ſignificant, qui vero infra ſunt, per inferiora.*

Int. A quibus contraindicantur vomitoria?

R. Contraindicantur I. à conſtitutione corporis inepta, ut quibus v. g. pectus anguſtum, vel depreſſum, vel qui aliàs difficiles ſunt ad vomitum, unde Hip. 4. *Aphor*. 7. ait: *Egrè vomentes, & modicè carnoſos, quos Greci euſarchos appellant, per inferiora purgato.*

II. A procidentia quadam partis in abdomine, ut in herniis, & vaginæ procidentia.

III. Ab imprægnatione.

IV. A capitis affectibus per eſſentiam, ut dolore, vertigine, &c.

V. Ab affectu oculorum.

VI. Ab hæmophthyſi, nam ex Hipp. 4. *Aphor*. 8. tabi obnoxios ſupra ne purgato.

VII. Ab affectibus abdominis convulſivis, tumoribus ejus inveteratis, menſium deffectu, ex uteri vitio, virium, & viſcerum debilitate, idioſyncraſsia, &c. Interim cum in vomitu viſcera valdè concutiantur, ipſæque fibræ non raró inſignitèr convellantur, ac ſpiritus animales impetus inordinatos adacti graviſsima ſæpè inducant ſympthomata, elogium emeticorum cum grano ſalis accipiendum; nec temerè, & non niſi

ſi omnibus circunſtantiis benè judicatis exhibenda ſunt.

FORMULÆ EMETICORUM.

PULV. EMETIC.

℞. *Tartar. Emet. gr.* iij. *Sacchar. alb.* ℈ß. *me.*

ALIUS.

℞. *Rad. Hypecaquan.* ʒß. *ſal. tart.* ℈ß. *me.*

ALIUS.

℞. *Mercur. vit. gr.* ij. *ſacchar.* ℈ß. *me.*

ALIUS.

℞. *Radic. Aſſar. gr.* xxvj.

BOLI.

℞. *Conſerv. roſ.* ℈j. *tart. emet. gr.* iiij. *ſyrup. roſ. ſolutiv. Q. S. M. F. bolus.*

ALIUS.

℞. *Conſerv. gratiol.* ʒj. *pulv. rad. hypecaq.* ℈j. *ſyrup. roſ. ſolutiv. Q. S. F. bolus.*

POTIUNCULÆ.

℞. *Aq. rub. id.* ℥ß. *tart. emet. gr.* iiij. *ſacchar. perl.* ʒß. *M.*

ALIA.

℞. *Aq. borrag.* ℥j. *Aq. cinnamom.* ʒj. *oxiſacchar. emet.* ʒiij. *m.*

ALIA.

℞. *Syrup. roſ. ſolut.* ℥ß. *pulv. rad. hypecaq.* ʒß. *aq. cinnam.* ʒij. *M.*

PILLULÆ.

℞. *Extract. Hellebor. nigr.* ℈ß. *tartar. emet. gr.* iij. *eſſent. abſynth. Q. S. M. F. P.*

ALIÆ.

℞. *Extract. Aloæs gummoſ.* ℈ß. *Mercur. vit. gr.* iij. *eſſent. abſynth. Q. S. M. F. P.*

ALIÆ.

℞. *Extract. Hellebor. nigr. gr.* xv. *trochiſc. Alhand. gr.* ij. *tart. emet. gr.* j. *cum elix. P. P. Q. S. F. P.*

Int. Quæ remedia vocantur Anti-Emetica?

R. Quæ vomitum, & hypercatharſim ſiſtunt, ſunt ſti-

ſtiptica, opiata, theriacalia, & in ſpecie, radices *Biſtortæ*, *Tormentillæ*, *Galangæ*, Herbæ, *Mentha*, *Abſinthium. Nux moſchata, macies, maſtiches*, cortex *citri*. Ex præparatis, *corallium*, pulvis *ſtomachalis Quercetani*, *laudanum opiatum. Theriaca. Aquæ, cinnamomi cydoneatæ, menthę, Maſtichis*, *Theriacalis*. Elixir *proprietatis*. Syrupi, *Myrtillorum, coralliorum, cinnamomi*. Emplaſtrum *de cruſta panis*, eſſentiæ, *nucis moſchatę per expreſſionem, abſynthii, menthæ, &c*. Ex quibus variæ confici poſſunt ſchędulæ.

FORMULÆ ANTI-EMETICORUM.

PULV. ANTI-EMET.

R. *Pulv. ſtomach. Quercet.* ʒß. *laud. op. gr.* j. *ol. nuc. moſch. per expreſſionem gut.* j. *M.*

ALIUS.

R. *Pulv. corall. pp. & ebor pp. à gr.* xv. *cinnam. pulv. gr.* iiij. *M.*

BOLI.

R. *Conſerv.*Ment. ʒj. *Theriac.* ʒß. *pulv. nuc. moſchat. gr.* viij. *ſyrup. cinnam. Q. S. F. bol.*

ALIUS.

R. *Conſerv. abſynth.* ʒj. *pulv. rad. galang.* ℈ß. *laud. op. gr.* j. *ſyrup. corall. Q. S. F. bol.*

POTIUNCULÆ.

R. *Aq. menth.* ℥iß. *maſtich.* ℥ß. *elix. P. P.* ℈j. *ſyrup. myrtill.* ℥ß. *M.*

ALIA.

R. *Aq.cinnam.cydoneat.* ℥ß. *menth.* ℥ij, *Theriacal.* ℥ß. *Theriac.magn.* ʒß. *ſyrup. myrtill.* ℥ß. M.

PILLULÆ.

R. *Extract. abſynth.* ʒß. *maſtich. pulv.* ℈ß. *ol. nuc. moſchat. per expreſſ. gut.* ij. *laud. op. gr.* ß. *M. F. P.*

ALIÆ.

R. *Extract. ment. & theriac. magn. à* ʒß. *pulv. nuc. moſch. gr.* viij. *ol. cinnam. gut.* ij. M. *F. P.*

CAPUT SEPTIMUM.

DE HUMORUM PRÆPARATIONE.

Int. Quid ampliùs prætèr materiæ coctionem requiritur ad ejus ſecuram expurgationem?

R. Expoſtulat, ut priùs præparetur, maximè ubi ſucci purgandi ſunt viſcidi, craſsi, acres, corroſivi, vel adeſt in viis plus minùs obſtructio, & hoc eſt, quod monet Hip. 2. *Aphor.* 9. *Corpora*, ait, *ubi quiſpiam purgare vult, fluida facere oportet.* Galen. *Comment.* 24. *lib. Porrhet.* idem monet per ſequentia verba: *Hęc itaque abeſſe oportet, & humores, quàm maximè fieri poteſt, eſſe fluxui paratos, hoc eſt tenues, & nullum lentorem participantes, & aperta eſſe foramina, per quę debet purgatio fieri, & nullam habere obſtructionem; nam & nos iſta anteà paramus, cum quempiam ſumus purgaturi.*

Int. Quid eſt humorum præparatio?

R. Eſt eorumdem varia correctio, eum in finem à Medico inſtituta, ut humores debito modo correcti, poſtmodùm ſine noxa è corpore evacuari queant.

Int. Quæ differentiæ medicamentorum *præparantium*, ſeu *alterantium* reperiuntur?

R. Multiplices, nam alia reſpiciunt humores, ut ſcilicet *ſpiſsi* incindantur, *tenues* incraſſentur, *acres* edulzorentur, *vapidiſque* debitus ſtatus, per remedia balſamica reſtituantur.

Alia reſpiciunt partes ſolidas, ut *duræ emolliantur*; *flacidis*, & debilibus verò, naturalis tonus reſtituatur.

Alia pro ſcopo habent motum, ut nimirum motus excedens refrenetur, deficientes vero ſtimulentur.

Int. Quid obſervandum in humorum purgatione?

R. I. Humores vitioſi numquam alterari ita poſſunt, ut conſtitutionem naturalem amiſſam ulteriùs ſuſcipiant.

II. Omnis alteratio reſpicit excretionem quamdam per certa emunctoria, pro diverſa materiæ conditione.

III.

III. Alterantia, niſi circumſtantiæ aliud poſtulent, numquam nimis diù continuentur, ſed ipſis evacuantia, vel jungantur, vel poſtponantur.

IV. In evacuatione tali ſemper reſpiciendum eſt ad intentionem naturæ: ſi enim illa ſemper humores ad peripheriam corporis pellit, diaphoretica exhibenda ſunt, & ſic porrò.

CAPUT OCTAVUM.

DE MEDICAMENTIS PRÆPARANTIbus, & primo de humorum craſſorum, ſeu ſpiſſorum reſolutione, ſeu attenuatione.

Int. QUid eſt humorum craſſorum reſolutio?

R. Eſt humorum craſſorum inciſio, & attenuatio, eum quidem ob finem à Medico inſtituta, ut per remedia convenientia, debita fluxilitas ipſis reſtituatur.

Int. Quibus medicamentis fit materiæ inciſio, & attenuatio?

R. Varia dantur medicamenta, quibus id perficitur, nam I. fit per remedia *diluentia*, & *aquoſa*, quæ fluxilitatem aliquomodò humoribus reſtituunt, præcipuè ſi motus corporis ipſis jungitur.

Alia inſtituitur per remedia *ſalino-alcalina*, & *neutra*, quæ particulis ſuis ſalinis humores ſpiſſos, eoſque dirimendo, fluxiliores reddunt, ut *ſal abſynthii Tamariſci, Arcanum duplicatum, &c.*

Alia obtinetur *per acria*, & *aromatica*, quæ particulis acribus itidem intimè reſolvunt humores ſpiſsiores, fluxilitatemque reſtituunt, uti *aromatica, gummata, &c.*

Alia fit per *volatilia*, & *ſpirituoſa*, quæ potentiſsimè in fibras agunt, & motum augendo, ac circulationem acelerando, ſanguinem fluxiliorem reddunt, ut *ſalia volatilia C.C. viperarum, &c.*

Alia per externa inſtituitur, nam dantur medicamenta, quæ externè applicata per poros penetrant, & humores ſtagnantes reſolvunt, ut *ſpiritus, ſaculi, emplaſtra, &c.*

Int. Quid obſervandum pro debita adhibitione medicamentorum attenuantium?

R. I. Obſervandum eſt, quod in reſolutione humorum ſemper initium fiat à mitioribus; fortiora enim in principio exhibita, humores nimium commovendo, & reſolvendo; inſignes excitant turbas, & damna.

II. In morbis chronicis incindentia, & reſolventia diù continuentur, aliàs fruſtrà adhibentur.

III. Reſolventibus ſemper interponantur evacuantia, & præcipuè, quæ ſimul attenuandi vi pollent, uti *Mercurius dulcis*, & *pillulæ ex gummatibus*, & *extractis amaris* præparatæ.

IV. Si ſpiſsitudo, & craſsities humorum à neglecta V. S. aut fluxuum ſanguinis ſuppreſsione ortum traxit, miſsio ſanguinis optimo conſilio, attenuantibus præmitatur.

V. In *infarctibus*, & *ſchirris* viſcerum, externa, & in primis *emplaſtra* numquam negligenda ſunt, quatenus attenuationem optimè promovent, & operationes remediorum internorum adjuvant.

VI. Spirituoſa externa in tali caſu, raròlaudabilem edunt effectum, imò ſæpiùs dum majorem criſpaturam in viſceribus producunt, malum augent.

VII. Motus corporis moderatus, & continuatus in reſolvendis humoribus ſpiſsioribus, optima eſt Medicina, nimiùs verò in multa mala præcipitat.

VIII. Si ſpiſsitudo ſanguinis ab acidorum abuſu ortum traxit, optimè conveniunt abſorbentia ſalibus alcalinis, & neutris juncta.

IX. Diuretica, & Diaphoretica optimè ſociantur reſolventibus, quoniam non ſolùm incindunt, ſed etiam materiæ noxiæ excretionem promovent.

Int. Quæ medicamenta ſunt in ſpecie reſolventia, ſeu attenuantia?

R.

R. Potus aquę calidę, Theæ, Caffe, *Veronicæ.* Decocti, *hordei*, *avenæ*, *ſerum lactis.* Salina, *ſal tartari*, *gentianæ*, *abſinthii*, *tartarus vitriolatus*, *arcanum duplicatum*, *tartarus tartarizatus.* Acria aromatica. Radices, *Angelicæ*, *Ari*, *Bryoniæ*, *Carlinę*, *Caryophili*, *Gentianæ*, *Zedoariæ*, *Enulæ*, *Galangæ*, *&c.* *Herbæ*, *Meliſa*, *Agrimonia*, *origanum*, *Pulegium*, *Salvia*, *Cochlearia*, *Ros marinum*, *&c.* Flores, *Anthos*, *Salviæ*, *Cyani.* Semina 4. *Calida majora*, *Cardui benedicti*, *Mariæ*, *Aquilegiæ*, *Synapis*, *Dauci*, *&c.* *Lignum Saſſafras*, *Sanctum.* Gumm. *Galbanum*, *Sagapenum*, *Ammoniacum*, *Camphora*, *Cinabaris nativa*, *Antimonii*, *Succinum*, *Cinnamomum*, *Cardamomum*, *Cubebæ*, *Piper*, *Calamus aromaticus*, *&c.* Volatilia ſpirituoſa, *Salia cornu Cervi*, *Succini*, *Viperarum*, *Armoniaci.* Spiritus: *Aniſi*, *eboris*, *cornu Cervi*, *Liquor cornu Cervi ſuccinatus.* Emplaſtra: *De Ammoniaco*, *de Galbano*, *de Tacamacha*, *de Cicuta*, *&c.* Ex his ſic confici poſſunt formulæ.

FORMULÆ REMEDIORUM
reſolventium, & attenuantium.

INFUSIONES.

℞. *Rad. Angel. pimpin. alb. Bardan. à* ʒiij. *herb. Marrub. Meliſſ. Hyſſop. & puleg. à m.* ß. *Cortic. aurant. cinnam. acut. ſemin. Aniſ. & fœnicul. à* ʒij. *inciſ. & contuſ. infund. in vin. alb.* ℔iiij. *col. & ſerv. doſ.* ℥iiij.

ALIA.

℞. *Rad. ari. bryon. & carlin. à* ʒij. *herb. menth. ror. mar. origan. & ſerpill. à m.* ß. *cortic. citr. cinnam. cardam. cubeb. & ſemin. Dauc. à* ʒij. *ſal. tartar.* ʒiß. *inciſ. & contuſ. infund. ut anteà in vin. alb.* ℔iiij. *col.*

DECOCTA.

℞. *Raſ. lign. ſaſſafr.* ℥ij. *Rad. Chin. ſarſ. parril. & liquirit. á* ℥j. *cinnam. acut.* ʒij. *inciſ. coq. in aq. ſimpl. Q.S. ad remanentiam* ℔iiij. *col. & pro uſu ſerv. doſis* ℥vi.

ALIUD.

℞. *Raſ. lign. ſaſſafr.* ℥ij. *lign. ſanct. radic. lapath. acut.*

vincent. caryoph. dictam. alb. & liquirit. à ʒvj. *cort. uvinteran.* ʒiij. *inciſ. coq. ut anteà. Doſis* ℥vj.

PULVERES.

℞. *Pulv. ſtomach. Quercet.* ℥ß. *cinnam.* ʒj. *ol. deſt. aniſ. gut.* vj. *M. Doſis* ʒß.

ALIUS.

℞. *Lap. Cancr.* ʒj. *ſem. aniſ. cinnam. acut. & tart. vitriol. à* ʒj. *Eleoſac. citr.* ʒij. *M. Doſis* ℈ij.

POTIUNCULÆ.

℞. *Aq. Meliſſ. & Menth. à* ℥ij. *cinnam.* ℥j. *tinct. tartar.* ʒiß. *Syrup. Cort. Aurant.* ℥j. *doſ. cochl.* 2. *ſing.* 2. *horis.*

ALIA.

℞. *Aq. puleg. & ſerpill. ana.* ℥iß. *cinnam.* ℥j. *eſſent. cort. citr.* ℈ij. *ſyrup. cort. aurant.* ℥ß. *M.*

MIXTURÆ.

℞. *Tinct. Antimon. acr. & eſſent. cortic. aurant. à* ʒij. *M. doſ.* 30. *vel* 40. *gutt.*

ALIA.

R. Tinct. tart. eſſent. cortic. citr. & lignor. à ʒj. *M. doſ. eadem.*

SPIRITUS.

℞. *Spirit. Vin. Camph. & aq. Reg. Hung. à* ℥j. *M. Applicentur externe cum linteaminibus.*

ALIUS.

℞. *Aq. Apoplect.* ℥ij. *ſpirit. ſal. ammon.* ʒij. *ol. deſtill. fœnicul.* ʒß. *M S.*

EMPLASTRA.

℞. *Emplaſt. de Ammon. Cicut. & Hyoſc. à* ℥ß. *Malax. cum ol. Chæreſol. M S. F. Emplaſtrum.*

ALIUD.

℞. *Emplaſt. de Galban. Tacamah. & Ammon. à* ℥ß. *Balſam. Peruv.* ʒij. *M S. F. Emplaſtrum.*

CAPUT

CAPUT NONUM.

DE HUMORUM TENUIUM incraſſatione.

Int. QUid eſt humorum incraſſatio?

R. Eſt operatio artificialis, qua mediante humores nimis tenues, & acres per remedia convenientia inſpiſſantur, ut abſque noxa evacuari queant.

Int. Quot modis fieri poteſt humorum incraſſatio?

R. Duplici modo, alia fit per alimenta, gelatinoſa, & mucilaginoſa; alia verò per remedia abſorbentia, figentia, acida, &c.

Int. A qua humorum diſpoſitione indicantur remedia incraſſantia?

R. Ab acrimonia humorum bilioſa, ſeu ſulphureo-ſalina, tam univerſali totius maſſæ ſanguineæ, quàm particulari primarum viarum: A coryza, & tuſsi, à materia tenui, ſalſa, & acri orta, aut etiam à tuſsi ſicca, & graviori, à diarrhæa bilioſa, & à ſudoribus nimiis ortis ab humorum reſolutione.

Int. Quomodò medicamenta incraſſantia ſuam edunt operationem?

R. Quædam particulis ſuis gelatinoſis, pinguibus, mucilaginoſis, ac glutinoſis inviſcant, & obvolvunt partes volatiles, ſanguinem reſolventes, atque craſſim ſanguinis reſtituunt.

Alia partibus ſuis craſsioribus ad motum non adeò aptis, retardant motum ſanguinis, & hoc ipſo ulteriorem reſolutionem impediunt.

Quædam partes conſtringunt, & auſteritate ſua adſtrictoria, humores aliquomodò figunt.

Tandemque alia humores magis, vel minùs coagulant, & hoc ipſo nimiam reſolutionem tollunt.

Int. Quid obſervandum pro humorum tenuium incraſſatione?

R. I. Incraſſandis humoribus tenuibus ſemper eo reſpi-

piciendum eſt, ut per laxantia mitiora aliqua portio humorum tenuium evacuetur, ſic enim reliqua humorum correctio eò meliùs procedit.

II. Facta tali evacuatione præſcribantur lenia diaphoretica, & diuretica, nitro, ſalibus neutris, & acidis temperata, ut hoc modo humores aliquomodò condenſentur, & partes ſalino-ſulphureæ per vias urinarias, & habitum corporis evacuentur.

III. Jungantur hiſce nutrientia, *emulſiones*, *gelatinę*, *emulſiones hordei* cum *amigdalis dulcibus* præparatæ, ut per haſce humores acres temperentur, & craſis ſanguinis reſtituatur.

IV. Hoc ipſo tempore, aut poſt prædicta exhibeantur incraſſantia, tam abſorbentia, quàm acida, & auſtera pro ſubjectorum conditione.

V. Si incraſſantia fortiora ſtatim ab initio, ſinè præmiſsis evacuantibus uſurpentur, partes acres ſæpiùs cum damno in corpore retinentur.

VI. In affectibus pectoris, ubi incraſſatione opus eſt, cautè eſt utendum incraſſantibus; niſi enim peritè tractentur tales affectus, facilè exulcerationes pulmonum ſequuntur. Quarè in tali caſu ſemper præmitantur lenia evacuantia, ut hoc modo affluxus humorum ad pectus intercipiatur, ac poſteà incraſſantia exhibeantur.

VII. Inter incraſſantia pectori potiſsimum dicata, eminet *liquiritia*, & remedia ex ea parata. Poſſunt hiſce jungi anodina correcta, & hinc ſummo cum fructu circa veſperam, pillulę ex *ſucco liquiritię*, & maſſa pillularum de *Cynogloſa* paratæ exhibentur, quæ tuſsim à materia acri ortam, optimè compeſcunt.

VIII. Si materia tenuis, & acris bilioſa eſt, temperanda, & incraſſanda, tunc enim *nitrum*, & *cryſtallus montana* optimam ferunt opem.

IX. In *Hectica gelatinæ* cum *amigdalis dulcibus* paratæ, & mucilagines non cocleatim, ſed quotidie ad ℥vj. vel viij. aliquoties ſumptæ, multoties plus præſtant, quàm reliqua remedia.

X.

X. Dum humores incraſſandi ſunt, vitari debent omnia *ſalſa*, *aromatica*, *vinum*, aliique *potus ſpirituoſi*, *ira*, *Venus*, & *motus fortior*.

Int. Quæ medicamenta in ſpecie incraſſant humores tenues?

R. *Gelatinoſa*, *pinguia*, & *mucilaginoſa*, ut *lac Vaccinum*, *aſininum*, *caprillum*, & *humanum*. Juſcula *carnium juniorum*, *in primis pedum*, *gelatina*, *cornu Cervi*, *pedum vituli*, *mucilago hordei*, *pinguedo animalium*, *medullæ animalium*, *ova ſorbilia*, *ſperma ceti*. Radices *altheæ*, *liquiritiæ*, *tuſſilaginis*, *malvæ*, *ſymphithi*. Herbæ *Malva*. Flores, *liliorum alborum*, *violarum*, *verbaſci*. Semina. 4. *frigida majora*, minora, *lini*, *milii*, *amigdalæ dulces*, *hordeum*, *jujubæ*, *ficus*. Olea, *Amygdalarum dulcium*, *lini*, *nucum*, *hypericonis*. Gelatinoſa: *Gummum arabicum*, *maxtix*, *ceraſum*, *tragacantum*, *elemum*. Abſorbentia: *Lapis cancrorum*, *perlarum*, *teſtis ovorum calcinator*, *mater perlarum*, *cornu Cervi uſtu*, *mandibula lucis Piſcis*, *bolus armenus*, *terra ſigillata*, *corallum rubrum*. Auſtera adſtringentia, *radix biſtortæ*, *tormentillæ*, *ſanguiſorbæ*. Folia, *quercus*, *ſalicis*. Flores, *balauſtriarum*, *roſarum*. Fructus, *mirtilli*, *cortices granatorum*, *Robberberum*, *cydoneorum*, *ceraſorum acidorum*, *granatorum*. Tincturæ, *roſarum*, *violarum*, *florum tunicæ*. Spiritus, *vitrioli*, *nitri*, *ſulphuris*, & aceta varia, ex quibus variè fieri poſſunt ſchedulæ.

FORMULÆ MEDICAMENTORUM incraſſantium.

IN FORMA PULVERIS.

℞. *Pulv. ocul. Cancr. pp. Percar. & nitr. purif. à* ℈ß. *M. S. F. pulvis.*

ALIUS.

℞. *Teſt. ovor. calcin. & corall. rubr. à* ℈j. *terr. ſigill. gr.* x. *M. S. F. pulvis.*

IN FORMA POTIONIS.

℞. *Aq. Borrag.* ℥iiij. *tinct. roſar. & ſyr. granat. ana.* ℥ß. *M. S. F. potio.*

ALIA

ALIA.

℞. *Aq. Sanic. & torment. à* ℥ij. *lap. cancr. & Mandib. luc. piſc. pp. à* ℈ij. *acet. roſat. rubr.* ʒij. *ſyrup. acetoſ. citr.* ℥ß. *M. S. F. potio.*

IN FORMA EMULSIONIS.

℞. *Amigd. dulc. & ſemin. 4. frig. major. à* ℥ß. *Aq. Plantag. & Millefol. à Q. S. extrah. emulſ. colat.* ℥viij. *adde cryſtall. montan. & matr. perl. à* ʒß. *Sacchar. perl. Q. S. M. S. F. emulſio.*

ALIA.

℞. *Nucl. pin. & ſemin. lactuc. à* ʒiiß. *Aq. Nimph. & Portulac. à Q. S. F. emulſ. colat. adde ocul. Cancr. pp.* ʒj. *ſacchar. Q. S. M. S. F. emulſio.*

CAPUT DECIMUM.

DE MEDICAMENTIS, QUIBUS *motus tam ſolidorum, quàm fluidorum excedentes corriguntur.*

Int. Quid eſt motuum excedentium correctio?

R. Eſt operatio artificialis, cujus ope motus excedentes, per convenientia remedia ad mediocritatis ſtatum reducuntur.

Int. Quibus modis fieri poteſt hæc operatio?

R. Duplici modo, vel per medicamenta *interna*, vel per *externa*.

Int. A quibus affectibus indicantur talia remedia?

R. Ab *affectibus ſpaſmodicis*, & *convulſivis*, à *motibus febrilibus excedentibus*, & à *vigiliis nimiis*.

Int. Quomodò operantur hæc medicamenta?

R. Quædam fibras nimis tenſas *relaxant*, & *emolliunt*, & hoc modo dolores ſiſtunt, undè hùc pertinent omnia *emollientia*.

Quædam humorum motum nimium temperant, & aliquomodò ſiſtunt, uti *nitroſa*, *emulſiva*, *acida*, & *abſorbentia*.

Quæ-

Quædam denique nimium fibrarum motum compeſcunt, uti *cinabarina*, & *opiata* legitimè correcta.

Int. Quomodò operantur opiata?

R. Juxtà *Uvilliſium*, *Etmulerum*, *&c.* opiata ſuam edunt operationem ſua volatili ſulphurea viſciditate, ſpiritus figendo, ad ſe invicem conglomerando, ligando, ſopiendo, ac quaſi torpidos reddendo. Non deſunt tamen Auctores, ut *Fridericus Hofmanus*, & alii, qui tuentur *vim ſtupefactivam narcoticorum* conſiſtere, in eorum particulis *ſulphureis*, quæ ſanguini communicatæ, eum expandunt, ac rarefaciunt. Nimium autem ſanguis ab iis inflatus, rarefactus, & turgens quandocumque accedit ad *corticem cerebri*, & tenuiſſimos *tubulos arterioſos Piam matrem* inveſtientes, accidit, ut tubuli iſti, qui delicatiſsimis, ac tenuiſsimis gaudent tunicis à ſanguine valdè rarefacto ſupra modum diſtendantur, & expandantur, ſicque *ſyſtolem*, ſeu *contractionem* efficiant debiliorem, & tardiorem, unde non poteſt non circulus ſanguinis per cerebrum fieri lentior, & impeditior. Ab impedito enim ſanguinis circulo, cuncta phenomena, atque effectus, qui ſequuntur opiatorum exhibitionem attribuunt, ut quiſque videre poteſt *in Diſſertatione de Opiatorum nova eaque mechanica operandi ratione à Friderico Hofmano conſcripta.*

Int. Quid obſervandum pro debita horum medicamentorum adminiſtratione?

R. I. Opiata ritè correcta eſſe debent; ſunt enim veluti panacea omnium *dolorum*, *fluxionum*, *evacuationum* nimiarum, & *vigiliarum*.

II. Opiata minùs conveniunt in motibus, cum magna humorum turgentia conjunctis, aut ad excretionem tendentibus: ſupreſsis enim motibus, materia noxia remanet in corpore, & corrumpitur; quod in primis deprehenditur in febribus.

III. In affectibus ſpaſmodico arthriticis opiata ſiſtunt aliquomodò dolorem, ſed paucò elapſo tempore, dolores, ut plurimum longè graviores fiunt, & facilè

ſe-

ſequitur materiæ morbificæ cum ſummo periculo ad interiora receſſus.

IV. In affectibus chronicis à materię lentore originem trahentibus, opiata maximè noxia ſunt, quoniam materiæ motus ſiſtendo magis incraſſant.

V. Opiata numquam dentur, niſi univerſalia præmiſſa fuerint.

VI. In febrium augmento opiata numquam conveniunt, magis verò proſunt, ſi in declinatione earum, doſi refracta exhibeantur.

VII. Fractis viribus, opiata minimè ſunt exhibenda, quoniam majorem poſt ſe trahunt debilitatem, aut mortem ipſam.

VIII. Anodina non quovis tempore conveniunt, maximè proficua ſunt tempore veſpertino, ſi morbi conditio illorum uſum permittit.

IX. In motibus febrilibus nimiis compeſcendis, nitroſa longè utiliora ſunt, quam opiata.

X. In febribus cinabarina, tamquam tutiſsima anodyna uſurpari poſſunt.

XI. Emulſiones, mucilagines, aliaque temperantia, ſæpiùs plus præſtant, quàm opiata, & longè etiam tutiora ſunt.

Int. Quæ medicamenta ſunt in ſpecie anodina, & narcotica?

R. *Nitrum, cinabaris nativa, Nitrum antimoniatum, crocus.* Semina 4. *frigida majora, papaveris albi, lactucæ. Amigdalæ dulces. Aqua florum ſambuci, Papaveris rheados. Laudanum opiatum. Laudanum liquidum. Extractum opii, Croci. Theriaca celeſtis. Andromachi. Diaſcordium. Pillulæ de Cynogloſſa. Tintura papaveris rubri. Syrupus Papaveris Ferneli.* Herbæ: *Hyoſciamus. Linaria. Camomilla.* Flores: *Verbaſci. Anethi. Papaveris rubri, camomillæ.* Semina: *Hyoſciami, Papaveris. Lini. Mica panis.* Olea: *Hyoſciami, Anethi.* Unguenta: *Anodinum, Dialtheæ, Alabaſtri.* Emplaſtra: *De Hyoſciamo, de Cicuta, de Meliloto, &c.* Ex quibus præſcribuntur variæ ſchedulæ.

FOR-

FORMULÆ ANODINORUM, & opiatorum.

IN FORMA PULVERIS.

℞. C. C. *philoſ. pp.* ℈j. *cinnab. nat. gr.* vj. *laud. op. g.* j. *M. S. F. pulvis.*

℞. *Succin. alb. pp. & corall. rub. pp. à* ℈ß. *cinnab. antimon. gr.* viij. *M. S. F. pulvis.*

IN FORMA POTIUNCULÆ.

℞. *Aq. menth. & Papav. rh. à* ℥ij. *ſyrup. papav. Fernel.* ʒiij *nitr. depurat.* ℈ß. *M. S. F. potiuncula.*

℞. *Aq. flor. ſambuc.* ℥iiij. *corall. rubr. pp.* ℈j. *nitr. antimon.* ℈ß. *laud. op. gr.* j. *ſyrup. papav. rub.* ℥ß. *M. S. F. potio.*

IN FORMA EMULSIONIS.

℞. *Amygd. dulc.* ℥ß. *ſem. papav. alb. & card. Mar. à* ʒj. *aq. flor. ſambuc. Q. S. extrah. emulſ. colat.* ℥vj. *add.* C. C. *philoſ. pp.* ℈ij. *ſacchar. perl. Q. S. M. S. F. emulſio.*

℞. *Sem. 4. frig. maj. à* ʒj. *papav. alb.* ʒß. *aq. card. benedict. Q. S. extrah. emulſ. colat.* ℥vj. *add. antim. diaph. & matr. perl. à* ʒß. *ſacchar. canth. Q. S. M. S. F. emulſ. doſ. Cochleatim.*

IN FORMA PILLULARUM.

℞. *Extract. torment. gr.* xv. *laud. op. gr.* j. *M. S. F. pillulæ.*

℞. *Extract. papav. rub.* ℈ß. *extract. croc. gr.* iij. *Theriac. cœleſt. gr.* ij. *M. S. F. pillulæ.*

IN FORMA BOLI.

℞. *Conſerv. papav. rub.* ʒj. C. C. *uſt.* ℈j. *cinnab. nativ. gr.* vj. *theriac. cœleſt. gr.* ij. *ſyrup. papav. rub. Q. S. M. S. F. bolus.*

℞. *Conſerv. roſ.* ʒj. *matr. perlar. & antim. diaph. à gr.* xv. *laud. op. gr.* j. *ſyrup. papav. Q. S. M. S. F. bolus.*

IN FORMA CATAPLASMATIS.

℞. *Rad. lilior. alb.* ℥ij. *herb.* 5. *emoll. m.* iij. *flor. chamom. & verbaſc. à m.* j. *coq. in S. Q. lact. ad putrilaginem.* Pulp. *trajectæ add. pulv. ſem. lin.* ℥ij. *ol. chamom.* ℥j. *M. S. F. Cataplaſma.*

℞. *Mic. pan. albiſ. Q. S. lact. vaccin. Q. S. coq. ad con-*

ſiſ-

ſiſtentiam catapl. adde vitell. ovor. ñ. iij. *croc.* ʒij. *M. S. F. Cataplaſma.*

IN FORMA LINIMENTI.

℞. *Ung. alabaſt.* ʒij. *ol. nucl. perſic.* ʒj. *M. S. F. linimentum.*

℞. *Ung. alabaſt. & anod. à* ʒij. *ol. aneth. Q. S. M. S. F. linim.*

CAPUT UNDECIMUM.

DE MISSIONE SANGUINIS.

Int. Quid eſt ſanguinis miſsio?

Reſp. Eſt evacuatio univerſalis indicata à morbo magno, ſeu præſente, ſeu imminente, ac dependente ex vitio ſanguinis in quanto, quali, aut motu, ope artificis per apertionem venæ, vel arteriæ facta, in ſubſidium ejus, in quo inſtituitur.

Int. Quotuplex eſt ſanguinis miſsio?

R. Multiplex eſt, nam alia eſt *evacuatoria*, alia *revulſoria*, alia *derivatoria*, alia *ventilatoria*, alia *refrigeratoria*, alia *præſervatoria*, alia *curatoria*, alia *propriæ venæ ſectio*, dicitur, ut quando aperitur *vena*, & alia *arterothomia*, dum aperitur *arteria.*

Int. Quid eſt ſanguinis miſsio *evacuatoria?*

R. Eſt illa, quæ plethoram, vel multitudinem ſanguinis ex toto, vel ex parte determinata evacuat: ſicque duplex eſt, ſcilicet, vel *univerſalis*, vel *particularis.*

Int. Quid eſt miſsio ſanguinis *revulſoria?*

Reſp. Eſt illa, per quam fit averſio humoris in aliquam partem fluentis, ſeu ſtagnantis, in contrariam, vel oppoſitam movendo, & evacuando, habita ratione fluxus originis, communicationis vaſorum, & rectitudinis partium.

Int. Quid eſt ſanguinis miſsio *derivatoria?*

R. Eſt illa, quę deſervit ſanguini per locum ſtagnationi proximum educendo.

Int. A quo indicatur ſanguinis miſsio?

R. *A morbo magno* dependente ex vitio ſanguinis, vel *in quanto*, vel *in quali*, vel in *motu*.

Int. Cur ſanguinis miſsio indicatur à morbo magno?

R. Quia venæ ſectio eſt remedium magnum, & generoſum; ac ex *Hip.* 1. *Aph.*6. *Extremis morbis extrema competunt remedia.*

Int. Quid intelligitur per vitium *in quanto*?

R. *Plethora*, tam ad vires, quàm ad vaſa, quæ liberum, & æquabilem ſanguinis circulum retardando, & impediendo, ad colligendas impuritates humorum, ad hoſtiles ſtagnationes, infarctus, obſtructiones, & funeſtas ſtaſes, imò extravaſationes, & vaſorum ruptiones, occaſionem, & cauſam præbet efficaciſsimam: Cum enim ex *Hip.* 1. *Aph.*3. per venæ ſectionem plectora tollitur, dum plenitudinem ad mediocritatem reducit, ſanguinis motum circularem promovet, dolores, extenſiones *ſolidorum* placat, corpus à gravi onere liberat, ſicque calorem nativum liberiùs ventilando, arctioreſque vias, & meatus reſerando, alacriùs, & expeditiùs reddit, tandemque ſecretiones, & excretiones excrementorum facilitat.

Int. Quid intelligitur per vitium *in quali*?

R. Per vitium in quali, non intelligitur cacochimia, ſeu materia vitioſa à ſanguinis conſortio ſeparata, vel eidem ſupernatans; ſed quando ſanguis ipſe, vel reliqui humores ipſi permixti corrumpuntur per efferveſcentiam, conflagrationem, & aduſtionem, vel omninò in putredinem degenerant, ut in febribus: tunc venæ ſectio efferveſcentiam ſiſtit, humores putreſcentes evacuat, ulterioremque arcet putredinem, ſanguinem ventilando, refrigerando, circulationemque liberiorem reddendo.

Int. Quid intelligitur per vitium in *motu*?

R. Intelligitur dum, vel ſanguis è vaſis præter naturam labitur, vel ferociori impetu, in partem aliquam irruit, vel potiùs in parte quadam ſtagnat, vel detinetur, ſeu ob vitium in conformatione vaſorum capillarium, pororum, aut meatuum, ſeu ob irritationem par-

tis à ſanguine malè affecto: qua de cauſa ſtringuntur fibræ, arctantur pori, ac meatus, ipſeque ſanguis, vel ſaltèm peregrina ejus contenta in parte reſtitant, & tum venæ ſectio ſanguinem promptiùs movet ad partem ab affecta diſtantiorem, ſtagnationis incrementum prohibet, ſanguinemque priſtino motui, ac debitæ circulationi reſtituit.

Int. Detecta ſanguinis circulatione, diviſsio ſanguinis miſsionis in evacuatoriam, revulſoriam, & derivatoriam eſt admittenda?

R. Aliqui ex RR. affirmant, quod ſemèl, quod ſanguis circularitèr moveatur, omnis ſanguinis miſsio eſt evacuatoria, & nulla poteſt eſſe revulſoria, aut derivatoria; quia tunc æqualitèr ſanguis à corde propellitur ad omnes corporis partes. Alii contrariam tuentur ſententiam, affirmantes, quod ſine eo, quod ſanguis circularitèr moveatur, nullomodò adeſſe poteſt revulſio, aut derivatio: quia licèt verùm ſit, quod cor æquabiliter propellit ſanguinem ad omnes corporis partes; attamèn quando in aliqua parte vena ſecatur, non ita accidit, nam exeunte ſanguine ex ea, hoc ipſo majùs, & liberiùs in ea affertur ſpatium, promptiùſque in venulas ex arteriis capillaribus influit ſanguis; quibus igitur depletis, promptiùs effluit ſanguis ex ramis arterioſis, hinc ſucceſsivè ex truncis: Sanguis enim tunc ob minora obſtacula, aliquomodò celerius influit in illam regionem, in qua vena eſt aperta, quam in alteram: Hinc enim revulſio fit, quia majori copia propellitur versùs venam inciſam, quam versùs partem affectam: Durante verò evacuatione, ſanguis inæqualitèr circulatur, toto illo tempore, quod ſanguis fluit ex vena inciſa, qua quidèm occluſa ſanguis æquabilitèr iterùm circulatur.

Int. Quotuplex eſt miſsio ſanguinis *revulſoria*?

R. Duplex, alia, quæ celebratur incindendo venam alicujus partis in regione contraria, regioni cui ineſt pars affecta, ut v. g. ſi oculus inflamatur, miſsio ſanguinis ex pede vocatur *revulſoria univerſalis*; ſi verò

ex

ex brachio dicitur *revulſoria particularis*, & ſecundùm alios *averſoria*, quia fit ex loco parti affectæ vicino.

Int. Quę miſsio ſanguinis rigoroſè dicitur *derivatoria*?

R. Illa, in qua incinduntur venæ ipſiuſmet partis affectæ, per quas ſanguis in parte ſtagnans naturalitèr refluere debet; nam apertis his venis adjuvatur recurſus ſanguinis ſtagnantis in loco affecto ad circulum, v. g. in angina, ſi aperiantur venæ raninæ inaniuntur vaſa, per quæ ſanguis ſtagnans refluere debet.

Int. In quibus caſibus conveniunt hæ ſpecies miſsionis ſanguinis?

R. In primis in inſignioribus inflammationibus. Secundò in gravioribus partium doloribus. Tertiò denique in raptu humorum ad partem nobilem.

Int. Quid obſervandum venit pro celebranda miſſione ſanguinis revulſoria univerſali, & particulari?

R. Si morbus eſt recens, & cauſa mobilis, neque adeò magna adeſt vaſorum plenitudo, debemus ſecare venam in loco vicino; ubi verò diutiùs traxit ægrum, vel corpus nimiùm ſanguine redundat, tunc priùs in remotioribus partibus, deinde in vicinis venas aperire convenit.

Int. Quid Medicus obſervare debet pro celebranda quacumque ſanguinis miſsione?

R. Reſpicere debet prohibentia, & permittentia, & præcipuè vires.

Int. Quas vires reſpicere debet Medicus?

R. Vitales præcipuè, quæ ſi debiles per reſolutionem, ſeu ab immodica evacuatione, ſeu à morbi violentia, vel diuturnitate, ſeu doloris atrocitate, ſeu labore, inedia, vigiliis, &c. venæ ſectionem prohibent; ſi autem debiles ſunt per ſuffocationem, ſeu oppreſsionem ab humorum copia, eam potiùs coindicant.

Int. Quomodò cognoſcitur debilitas virium per reſolutionem, ſeu per eſſentiam?

Reſp. Cognoſcitur per pulſum continuo parvum, languidum, ac valdè frequentem: debilitas verò per

agravationem, per pulſum varium, confuſum, ac inæqualem.

Int. Ex ætatum numero, quæ miſsionem ſanguinis coindicant?

R. Ætas florens, inter pueritiam, & extremam ſenectutem media eam coindicat. *Galenus* venæ ſectionem in pueris prohibet, eamque ante 14. annum adminiſtrari non vult; in pueris tamen non quidem admodum natu parvis, detentis morbis acutis à ſanguinis copia, ejuſque effervescentia exortis, tutam, & neceſſariam eſſe venæ ſectionem. In ſenibus idem *Galen.* poſt annum 60. eam prohibet, quam tamen admittendam eſſe, morbo id exigente, ac validioribus viribus exiſtentibus.

Int. In utero gerentibus licet mittere ſanguinem?

R. Graviditas non quidem impedit venæ ſectionem, urgentibus præſertim morbis acutis, eam tamen metitur ratione quantitatis, quæ non debet tanta eſſe, ac in non gravidis. Etiam circa medium geſtationis tempus, pro præcavendo abortu, oriundo à ſanguinis plenitudine fœtum ſuffocante, vel ultimis temporibus pro facilitando partu, conſideratis probè indicantibus, & prohibentibus, adminiſtranda venit.

Int. Temperamentum coindicat ad venam ſecandam?

R. Quod ſic, ſanguineum præcipuè, minùs bilioſum, & omnium minimè pituitoſum, & melancholicum.

Int. Habitus corporis coindicat ad ſanguinis miſsionem?

R. Habitus corporis carnoſus, veniſque latis præditus, omnium magis coindicat venæ ſectionem; ſicuti è contrà, eam difficultèr ſubſtinet præpinguis, & obeſſus, uti habitus omninó raræ, & gracilis texturæ cum venarum exilitate: Gracilitas enim corporis cum venarum latitudine, magis permittere ſolet venæ ſectionem.

Int. Quod anni tempus eſt utile ad venæ ſectionem?

R. Sanguini mittendo acommodatiſsimum eſt vernum, hinc autumnale, minùs hyemale, ac omnium minimè æſtivum, & caniculare.

Int. Regio coindicat venæ ſectionem?

R.

R. Regio temperata largiorem venę ſectionem tolerat, hinc calida & ſicca, minimè autem frigida.

Int. Victus ratio coincidat venæ ſectionem?

R. Magis evacuandi ſunt utentes eodem pleniori, ac liberaliori: parciùs, frugaliter victitantes, cautiſsimè, nullam diætam obſervantes, intemperantes, gulæ, ventrique dediti.

Int. Quæ animi pathemata impediunt venæ ſectionem, & quæ eam indicant?

R. Ira, triſtitia, timor, vigiliæ, & venereororum nimiùs uſus impediunt venæ ſectionem: terror vero ſubitaneus eam indicat.

Int. Qui affectus expoſtulant venæ ſectionem?

R. Omnes febres putridæ, quæ dependent ex vitio ſanguinis, ſeu in quanto, ſeu in quali, nonnumquam omnes febres malignę eam indicant, cautiùs tamen, parciùs, & non niſi primis morbi diebus, adhuc apparentibus ſimul exanthematibus, petechiis, bubonibus, vel parotidibus: Intermittenda verò ſi ex hiſce evacuationibus, natura potentior reddita ſit, ac victricis naturæ ſigna deprehendantur.

Int. In variolis erumpentibus licet venam ſecare?

R. Licet, ſi erumpunt cum febre intenſiori, anxietate, difficultate ſpirandi, lotio craſſo, rubro, aliiſque gravioribus ſympthomatibus.

Int. In affectu inflammatorio convenit ſanguinis miſſio?

R. In omnibus inflammationibus tam partium internarum, quàm externarum convenit, tamquam præſidium maximè neceſſarium, & utiliſsimum revulſorium, ventilatorium, & evacuatorium. Eodem modo ſanguis mittendus ratione futuræ inflammationis præcavendæ, in fractura, luxatione, contuſione magna, vulneribus majoribus, ictu, caſu, & doloribus cujuſque partis vehementioribus.

Int. Sanguinis miſsio convenit pro ſedanda hæmorrhagia?

R. Venæ ſectio eſt utiliſsimum remedium in omni

hæmorrhagia, copioſiori, viribus non admodùm debilitatis, in catharris, ac defluxionibus calidioribus, rheumatiſmo, arthrithide, mania, appoplexia, &c. uno verbo in omnibus aliis affectibus, qui à ſanguinis copia, vel ejuſdem vitioſa qualitate, vel præpoſtero ejus motu, ſeu exoriuntur, ſeu ſaltem augentur.

Int. Quæ venæ ordinariè, & ut plurimum hodie ſecantur?

R. Vena *frontis*, *jugularis*, *raninæ*, *baſilica*, *cephalica*, *communis*, ſeu *mediana*, *ſalvatela*, *ſaphena*, *vena ſub genu*, vena circa majorem *digitum* terminata, quam *cephalicam pedis* vocant, & denique vena *pedis* ad digitum minorem excurrens.

Int. Detecta diſtributione venarum per Anathomicas demonſtrationes, & ſanguinis circularis motus, rejiciendus eſt delectus venarum?

R. Nulla vena datur, cujus ſectio ſpecialiter medeatur determinatæ alicui parti, vel morbo; attamèn ſectio *baſilicæ* evacuat ab illis partibus, quæ ſunt inter claviculas, & renes, & quidem dextra, vel ſiniſtra habita ratione revulſionis, vel derivationis, vel evacuationis. Eadem baſilica revulſionis gratia conducit in omnibus affectibus partium inferiorum, obſervata rectitudine. In morbis partium ſupra claviculas, nimirùm colli, faciei, & capitis celeriùs evacuare creditur cephalica; quod tamen omni caret fundamento, cum omnes venæ brachii ſint æquales rivuli ex eodem flumine ſanguinem exhaurientes. Vena frontis ſecatur derivationis gratia in affectibus capitis, ut *phrenitide*, *dolore capitis*, *mania*, *opthalmia*, *&c.* Raninę ejuſdem cauſę gratia in angina, inflammatione, & ardore linguæ. In appoplexia, verò præcipuè jugulares. Saphena in ſuppreſsione menſium, & ex inde oriundis affectibus, licet in plethoricis, & ſuppreſsione antiquiori, plures priùs ex brachio, hinc ex pede mittant ſanguinem. Iſchiatica tandem in coxendico dolore.

Int. A quo indicatur quantitas emittendi ſanguinem?

R. Deſumitur ex morbi magnitudine, ex humorum

plethora, ac virium robore, tantumque evacuandum, quantum morbus exigit, & vires tolerant. Ratione magnitudinis morbi *Galen.* in febribus ardentiſsimis, ſanguinem ad animi deliquium, mittendum eſſe ſuadet; quod tamen hoc tempore obſoletum, ejuſque loco, repetita commendatur venæ ſectio. Rejicitur etiam V. S. *Neroniana* dicta, ſeu apertura duarum, vel trium venarum ſimul, & ſemel eodem tempore. In inflammationibus *Hip.* ſanguinem ad coloris mutationem mittendum jubet, ita ut ſi in 1. vel 2. venę ſectione appareat crudus, vel pituitoſus, & aquoſus, continuanda ſit V. S. uſque dum appareat rubicundus, & viciſsim: cujus præcepti obſervatio, licet ſæpiùs in praxi optimè ſuccedat, pertinacitèr tamen coloris mutatio expectanda non eſt.

Int. Quanta ſanguinis quantitas extrahenda pro V. S. ventilatoria?

R. Extrahendus eſt ſanguis ad ℥iij aut iiij. In evacuatoria ad ℥v. vj. viij. vel ix. cavendo nimiam prodigalitatem, cum ſanguis ſit vitæ theſaurus, & copioſior V. S. ſpiritus cum ſanguine exhauriat, calorem nativum diſsipet, viſcera langueſcere faciat, cruditateſque generet.

Int. Quo die, & qua hora extrahendus eſt ſanguis?

R. In cura coacta, & urgente neceſsitate, ut in *angina, pleuritide, vehementi contuſione, caſu, hæmorrhagia enormi, appoplexia, catharro ſuffocativo, &c.* nulla habenda ratio diei, horæ, & temporis, ſed quantociùs inſtituenda V. S. Eodem modo acceleranda, & mox ineunte morbo adminiſtranda in febribus, modò *ventriculus, primæque viæ* nulla humorum corruptella, vel cruditate refertæ ſint. Principio neglecto, etiam in augmento venam ſecare licet. In acceſsionibus, & exacerbationibus V. S. ut minùs tuta omittenda. Si uno, eodemque affectu, & V. S. & purgatione opus ſit: præſtat V. S. purgationi præmittere.

Int. Quo anni tempore ſecurè adhibetur V. S. prę-ſervatoria?

R. Opportunum tempus anni eſt vernum, & autumnale: diebus, in quibus non occurrit violenta quædam conſtellatio, aut ipſum novilunium, aut plenilunium, aut quadratura.

Int. Quod judicium ferendum de ſanguine miſſo?

R. Optimus eſt, qui benè fibroſus, æqualis, ac unius ſubſtantiæ, hæpatis parenchyma repræſentat, ruborem cum ſplendore floridum exhibens, ſupernatante ſeroſa materia in debita, ac proportionata quantitate, & qualitate. Ratione ſubſtantię craſſus eſt, qui lentus, viſcoſus difficultèr effluit, digitis, & fundo pelviculaṛum tenacitèr adhæreſcit, celerrimè concreſcit, concretuſque difficultèr finditur. Tenuior eſt, qui tardiùs concreſcit, faciliùſque ſcinditur. Crudior, qui cruſtra alba, glutinoſa, ruptu difficili, obtegitur. Putridus, qui multum variegatus, pelliculam dumtaxat de ſe emittit tremulam, & mobilem, ſub ea continens ſubſtantiam fibris prorsùs deſtitutam. Sanguis maculis nigris apparens, vel omninò nigricans, oritur ab eiſdem, per lentam phlogoſim, aduſtis portionibus. Sanguis cum ſuperficie candicante, mucoſa, viſcida, lenta, & quandoque denſa, ac diaphana denotat, portiones fermentabiles maſſæ ſanguinis in ſtatu cruditatis exiſtentes, perfectamque coctionem non adeptas. Color cinereus extremę uſtionis eſt ſignum. Flaveſcens, aut viridis, vel lividus, flavæ, aut retorridæ bilis eſt index. Variegatus inſtàr marmoris, inſignem humorum in maſſa ſanguinis confuſionem putredini obnoxiam ſignificat. Malè olens, putredinis, ac corruptionis prodromus eſt. Provitas ſanguinis in pedis, vel manus ſectione in calidam aquam effuſſus, dignoſcitur, tum ex laudabili colore, tum ex fibris, ſanguine virgula conquaſſato apparentibus, & quidem intèr ſe cohærentibus, neque tractu facilè diſrumpendis.

CAPUT DUODECIMUM.

DE SANGUINIS EVACUATIONE per hirudines, & ſcarificationem.

Int. Cur tàm utiles in praxi hirundines?

R. Quia minori moleſtia evacuant ſanguinem, quàm cucurbitulæ, & minori virium diſpendio, ac venæ ſectio, ſicque in uſu venæ ſectionis contraindicato, applicandæ veniunt hirundines venis majoribus, tamquam Vicariæ Phlebotomiæ, vel ubi V. S. & cucurbitulæ, nequeunt applicari, ut in naſo, labiis, pedum, & manuum digitis, utero, ano, &c.

Int. Ubi frequentiſsimè applicantur *hirudines*?

R. In venis hæmorrhoidalibus externis, & internis, & quidem in externis, in affectibus renum, uteri, dorſi, capitis, &c. Ad internas in affectibus lienis, meſenterii, hyppochondriacis, &c.

Int. Quotuplex eſt uſus *hyrudinum*?

R. Triplex, *generalis*, *ſpecialis*, & *ſpecialiſsimus*: generalis, ut plethora, quam aliàs V. S. atque ſcarificationes imminuere ſolent, paritèr per eas imminuatur.

Specialis, ut ſanguis etiam ex ſuis partibus, ubi V.S. & ſcarificatio inſtitui nequit, evacuetur, & morbi etiam magis, quàm per prædictas evacuationes imminuantur: ita plures affectus, ut *tinea*, *phrænitis* ex retentis lochiis, *epilepſia* ex eadem cauſa, *dolor capitis*, *dolor temporum*, *melancholia*, *vertigo*, *linguæ inflammatio*, *opthalmia*, *Angina*, *lienis durities*, *quartana*, *&c.* curati fuerunt.

Specialiſsimus, ut ſanguis ex *vaſis hemorrhoidalibus* extrahatur: undè hæmorrhoidibus non fluentibus, cùm hiſce arctam connexionem habentibus, & in affectibus partium, v.g. in *malo hyppochondriaco*, *lienis obſtructione*, *doloribus rhæumaticis*, *malo iſchiadico*, *podagra*, *&c.* optimum ferunt auxilium.

Int. Quomodò applicandæ ſunt ſanguiſugæ?

R. Pars, cui applicandę, linteis aqua dulci madidis eluenda, & ſiccanda, deniquè aliquot guttulis ſanguinis columbini irroranda; poſt modum hirundines, ſeu per fiſtulas, ſeu per cucurbitulam, ſeu manu ipſa parti affigendę, nec priùs removendæ, donec ipſæ per ſe decidant; maturato tamen, ſi placet, earum caſu per aſperſionem nitri, vel ſalis, vel cineris, pars ſpongia aqua imbuta calida fovenda, vel vapore aquę continuanda, ut ſanguis per foramina aperta fluere poſsit; ſi foramina antè tempus coaleſcant, cucurbita parti affixa promovet fluxum: eumdem nimium ſiſtit lintheum combuſtum parti applicatum. Hyrudo, ſi caſu anum irrepſerit, digito ſtatim eruenda, vel aqua ſalſa, clyſteris modo aliquoties injecta, elicienda; vulnuſcula quandoque conſolidatu difficilia, theriaca vino commixta crebriùs detergenda.

Int. Quid eſt *ſcarificatio*?

R. Eſt actio chirurgica eum in finem inſtituta, ut ſanguis è poroſa partium ſubſtantia, per vulnuſcula inſtrumento appropriato cuti inflicta, ope cucurbitularum extrahatur, & hinc ſtagnationes, & corruptiones ſanguinis in poroſis partibus præcaveantur.

Int. Quotuplex eſt ſcarificatio?

R. Multiplex, nam alia eſt *ſuperficiaria*, alia *profundior*, alia ſine, alia cum *cucurbitulis*, alia *æqualis*, alia *inæqualis*, alia *revulſoria*, alia *derivatoria*; & alia *evacuatoria.*

Int. Quibus modis poſſunt applicari cucurbitulæ?

R. Duplici modo, vel cum, vel ſine ſcarificatione.

Int. Quando ſunt applicandæ cum ſcarificatione?

R. I. Ubi V. S. locum non habet, vel ratione virium, ut in pueris, gravidis, ſenibus, aut morbo longinquo, vel acuto fractis, vel ratione *lypothimiæ* imminentis, vel ratione dificultatis ſecandi venas.

II. In partibus phlegmone, vel gangręna affectis pro humoribus impactis, & corruptis eliciendis.

III. Pro veneno à cane rabido, aut ab aliis animalibus venenatis emiſſo.

IV.

IV. Pro menſibus ciendis.

V. Pro oculis fluxione tentatis.

VI. In febribus malignis lumborum regioni applicatæ, magnam faciunt ventilationem.

Int. Quando ſine ſcarificatione ſunt applicandę cucurbitulæ?

Reſp. I. Locum habent in hæmorrhagia uteri infrà mammas appoſitæ, ex *Hip.*

II. In fœmoribus pro ciendis menſibus.

III. Contrà urinæ ſuppreſsionem, circa renes deorſum trahendo.

IV. Ad hæmorrhagiam narium hyppochondriis, vel pedibus affixę.

V. Ad dolorem ſtomachi, & inteſtinorum à flatibus oriundum.

VI. Ad alimentum ad partem tabidam alliciendum.

Int. Quibus locis frequentèr applicantur cucurbitulæ?

R. In dorſi regione, & lumborum: incruribus, & fœmoribus, quandoque etiam in occipite, & ſuperiori colli parte.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

DE EVACUATIONE PER FONTICULOS, ſeu fontanellas.

Int. QUid ſunt fonticuli, ſeu *fontanellę?*

R. Sunt parva ulcera arte inducta in parte ſana, ferro, aut igne, ſeu actuali, ſeu potentiali ad diverſos humores, & præcipuè ſerum putridum, & ſordes, vel vitio læſæ in ſanguine fermentationis, vel depravatæ cujuſdam partis nutritionis emergentes, per eas evacuandas, & revellendas.

Int. Quid notandum pro adminiſtratione *fonticulorum?*

R.

R. Notandum I. fonticulos ſenſim, & ſenſim operari, & ſic convenire potiùs in morbis chronicis, præſertim ex colluvie ſeroſa, ac limphæ vitiis natis, quàm acutis.

II. Non deveniendum ad fonticulos, niſi ubi præſidia minora nihil profeciſſe videmus, aut non profutura exiſtimamus, præſertim etiam cum ſimul roridum partis nutrimentum, & ſanguinem evacuent.

III. Corpus priùs per purgationem, & V. S. ſi opus fuerit, diſponendum, & præparandum eſſe.

IV. Ratione anni temporum, vernum eſſe omnium maximè aptum.

V. Ratione ætatis, pueros tenellos, & ſenes decrepitos non facilè tolerare fonticulos, niſi urgeat morbus valdè gravis, ut epilepſia, appoplexia, catarrhus, &c.

VI. Loca fonticulorum demonſtrari à ſcopo, vel evacuationis, vel revulſionis, vel derivationis, obſervata tamen ubique rectitudine vaſorum partis affectæ, cum loco fonticuli; ſic in nucha inter ſecundam, & tertiam vertebram, loco cætacei veterum pro capite, & oculis: In ſincipite, licèt rariùs, ad concurſum ſuturæ coronalis, & ſagittalis pro humoribus è cerebro ad exteriora evacuandis: In brachio, in interſtitio inter muſculum delthoydem, & bicipitem pro affectibus capitis, aurium, faucium, & oculorum. In cruribus, vel ſuprà, vel infra genu in parte internà, in affectibus uteri, menſium, hæmorrhoidum, malo iſchidiaco, &c.

VII. Fonticulis non ſufficientèr manantibus, globulum indi poſſe ex radice *gentianæ*, vel fortiorem ex radice *hellebori nigr.* vel ex *hedera*, inunctum balſamo *ſulphuris*, vel ex *cera*, & paucò *Mercurio præcipitato*, quo etiam nihil melliùs ſordidos, & putridos fonticulos mundificat, vel ex *cera*, & *cantharidibus*: carnem autem luxuriantem abſumi, inſperſo alumine uſto.

VIII. Ut claudantur fonticuli diù geſtati, non facilè debere Medicum conſentire, niſi æger ex eo magnum

per-

perſentiat incommodum, vel membrum fonticulum gerens gracileſcat, aut fluxione copioſiori tentetur, aut ulcus evadat ſordidum, aut malignum, aut ſi ſuper articulum deſcendat, aut ſpontè excitetur, &c. Verum tamen eſt, quod licet in ſanis, æquè, ac ægris excitati fonticuli, ſanguinem & alimentum partis proximum ſimul eliciant; interim tamen, quia cum hoc ipſo ſanguine pro nutritione affluente, paritèr pus, & ſalia varia, ſanies, & ſimiles ſordes, & vitia cacochima, aut ſimilia recrementa, in ſpecie ſeroſitates ſalſæ maſſæ ſanguineæ fortè permixtæ, ſubinde unà evacuari ſoleant cum ſenſibili ægrorum levamine, ut quotidiana docet experientia: ex hoc ſequitur, quod licèt hodiè plurimi cum *Helmontio* (juratus hoſtis fonticulorum) damnent uſum fonticulorum: attamen non eſt rejiciendum tam utile, ac conveniens remedium pro paliandis morbis chronicis, ſeu radicatis.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

DE VEXICANTIBUS.

Int. QUæ medicamenta vocantur *vexicantia*?

R. Illa, quę non ſolùm acribus ſuis particulis, fibras irritant, ſpirituum impetum eò concitant, unde pororum anguſtia, fibrarum ſpaſmodica contractio, limphæ, & ſanguinis difficilior tranſitus, ſucci nutritii partis, attenuatio, & colliquatio, qui ſub cuticula retenti eam in veſicam attollunt; verùm etiam aliquid maſſæ ſanguinis communicant, illamque validè ſolvunt, & attenuant.

Int. Quod ex vexicantibus magis adeſt in uſu medico?

R. Cantharides.

Int. Quid obſervandum circà adminiſtrationem vexicantium, & pręcipuè cantharidarum?

R. In uſu vexicantium maxima cautio adhibenda, ne indiſcriminatim præſcribantur cuilibet ætati, tempera-

men-

mento, habitui corporis, & quibuslibet morbis: alitèr mala, quàm plurima ægrotantibus ſuperveniunt, ſi debitis non adhibitis cautelis applicentur.

II. Maximè conveniunt in malo urgentiori, tam pro ſanguinis, & ſpirituum ratione excitati doloris aliquali remedio revulſorio, quàm pro evacuatorio, ubi lympha viſcida, aut craſſa evacuanda, aut ex intimiori ſede evocanda.

III. Generatim proſunt in diatheſi ſanguinis craſſa, viſcida, & ad coagulationes, ſtagnationeſque præcavendas, ut in febribus, quæ exiliſsimo pulſu, extremitatibus frigidis, anxietate, & ad morbos ſoporoſos propenſione, aliiſque coagulationis ſignis ſtipantur: nam ſal acre cantharidarum, humoribus ad coagulationem diſpoſitis communicatum, eorum particulas diſgregat, ſolvit, & ad priſtinam fluiditatem diſponit: quare quando adeſt ſimilis maſſæ ſanguinis diſpoſitio proſunt vexicantia in *cæphalalgia, affectibus ſoporoſis, catharris radicatis*, in *dolore dentium*, in affectibus *oculorum*, *in febribus continuis*, *malignis*, à coagulatione, in quibus gravia capitis imminent mala, ut *deliria*, *convulſiones*, *&c.* In febribus *petechialibus*, aut *variolis retrocedentibus*, in *pulmonia*, *pleuritide*, *&c.*

IV. Vexicantia non ſunt applicanda in corporibus ſucci plenis, plethoricis, & nimia humorum copia repletis, niſi priùs depleantur vaſa per ſanguinis miſsionem, ſi indicata fuerit; præcipuè veró proficuos afferunt effectus, ſi adfuerit tempus hyemnale, temperies ægri ad humidam declinet, & habitus corporis ſit pinguis.

V. Non conveniunt vexicantia in ſumma *virium reſolutione*, in *urinæ ardore*, *incontinentia*, *mictu ſanguineo*, ubi adeſt *ſphynteris* inflammatio, vel *exulceratio*, in *ulcere veſicæ*, ſi mulier ſit gravida, vel ſi inſtet fluxus menſtrualis; ubi ſuſpitio convulſionum eſt, vel factæ jam ſunt, cavendum omninò ab uſu veſicantium, præſertim ſi fuerit *febris* intenſa, & *colliquativa ſanguinis conſtitutio*, cum habitu gracili, præcedentibus

vi-

vigiliis, *diæta*, & nimius uſus veneris. *In febribus ardentibus*, *& continuis*, in quibus magna adeſt ſanguinis agitatio, & impetus. In conſtitutione anni calida, & ſicca, & ſimilibus pariter temperamentis, regionibus, & ætate juvenili, &c.

VI. Quando vexicantia veluti in cadavere nihil operentur, læthale ferè ſignum eſſe: ſic in febribus malignis peſtilentialibus, ſi parùm operentur, ſemper læthale exiſtimandum eſſe ſignum.

Int. Quibus locis frequentèr applicantur veſicatoria?

R. Apponuntur in parte muſculoſa *crurum*, in *fœmoribus*, in *brachiis*, aut ponè *aures* in *cæphalalgia*, dolore *oculorum*, *dentium*, aut ad *nucham* in iiſdem affectibus, aut in ſoporoſis mitioribus, vel in univerſo capite, ut in appoplexia.

Int. Quæ medicamenta in ſpecie ſunt vexicatoria?

R. I. *Ranunculus ſilveſtris*, cujus folia contuſa, & applicata profundiſsimas, & doloroſas veſicas excitant; ita enim potens eſt, ut poſt veſicas excitatas, etiam ulcera ſæpiùs inferat, pus diù fundentia: igitur cautus, & rarus ranunculi ſit uſus.

II. *Semen Sinapis*, rubificans ſaltèm in ſe, gradu tamen differens à genuino vexicante, ut in teneriori ſubjecto, vel rara cute, etiam veſicas excitet.

III. Uſitatiſsimum autem ſimplex eſt, quod regnum animale ſugerit, nempè cantharides, & cum his totum *ſcarabeorum* genus, quæ omnia vim cauſticam, & veſicantem plus minùs obtinent, & ex quibus variæ poſſunt præſcribi.

FORMULÆ VEXICANTIUM, & rubificantium.

EMPLASTRUM.

℞. *Cantharid.* ℥ij. *pic. græc. cer. citrin. & therebentin.* *ã* ℥j. *M. S. F. emplaſt.*

ALIUS

ALIUS.

℞. Maſſ. Emplaſt. de Melilot. & de Mucilag. ā ʒij. cantharid. pulv. ʒiß. M. S. F. Emplaſt.

RUBIFICANS.

℞. Pulp. caricarum ping. ℥ij. ſemin. ſinap. contuſ. ℥j. exactè mixta irrorentur cum ſpirit. vin.

ALIUS.

℞. Ferment. ℥j. ſemin. ſinap. contuſ. ʒvj. eruc. ʒij. mixta irrorentur cum ſpirit. vin.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

DE MEDICAMENTIS DIAPHORETICIS.

Int. Quid eſt *Diaphoreſis* artificialis?

R. Eſt evacuatio artificialis à Medico per remedia appropriata inſtituta, ut humores, vel ſuperflui, vel aliàs inutiles, & ſummè volatiles per cutis poros, tam ſub odoris, ſive madoris, quàm ſudoris forma, è corpore expellantur.

Int. Quomodò medicamenta diaphoretica movent *diaphoreſim*?

R. Id præſtant, vel calore, & tenuibus ſuis particulis, humores maſſæ ſanguineæ *attenuando, incindendo, exagitando, rarefaciendo*, ac ad cutis glandulas, & tubulos, cum aliis obviis propellendo, ibidèm in guttas condenſandos, vel inſenſibilitèr evaporandos. Vel acidum coagulativum abſorvendo, ſicque per accidens ſanguinem attenuando, & reſolvendo.

Int. Quæ ſunt indicantia diaphoreticorum?

R. Corpus humidum poroſum, ſanguis fluxilis, ſerum fluxile, & abundans, febres tam intermittentes, quàm continuæ, & omnes morbi à ſeri impuritate oriúndi.

Int. Quæ medicamenta habent vim diaphoreticam?

R. Sunt enim diaphoretica. Radices: *Contraiervæ, chinæ, ſarſaparrilliæ, ſcorzoneræ, ligna, ſaſſafras. Guajacum, ſeu ſanctum.* Flores: *Papaveris rhæados.* Herbæ:

Car-

Cardus benedictus, ſcordium, fumaria, ſcabioſa. Semina: *Aquilegiæ, napi, citri, cardui benedicti.* Ex præparatis chymicis, & prætioſis. Lapis Bezoar Orientalis, & Occidentalis. *Cornu Cervus uſtum, & præparatum, cinnabaris nativa, & antimoni, terra ſigillata, antimonium diaphoreticum, bezoardicum minerale, martiale, ſal volatile cornu cervi.* Aquæ: *Cardui benedicti, ſambuci, ſcabioſſæ, fumariæ, ſpiritus cornu cervi, tartari, Theriacalis camphoratus. Electuarium diaſcordi fracaſtori, theriaca, mithridatum, rob ſambuci, ſyr. papaveris rubri, &c.*

FORMULÆ DIAPHORETICORUM.

PULVERES.

℞. *Antimon. diaphor. & matr. perl. pp.* à ℈j. *nitri antimon.* ℈ß. *M. S. pro doſ.*

℞. *Antimon. diaph. & C. C. philoſ. pp.* à *gr.* xv. *nitr. depur. gr.* viij. *cinnab. nat. gr.* v. *M. S. pro doſ.*

POTIUNCULÆ.

℞. *Aq. card. bened. & ſambuc.* à ℥iij. *C. C. pp. & Bezoard. miner.* à ℈ß. *lap. bez. orient. gr.* vj. *ſacch. perl.* ʒj. *M. S. pro doſ.*

℞. *Aq. ſcabioſ. & papav. rh.* à ℥iij. *rob. ſambuc.* ℥ß. *ſtib. diaphor.* ℈j. *M. S. P. doſ.*

BOLI.

℞. *Conſerv. fumar.* ℈ij. *antim. diaph.* ℈j. *ſal. volat. C. C. gr.* ij. *ſyrup. card. bened. Q. S. M. S. F. bolus.*

℞. *Diaſcord. Frac.* ʒß. *C. C. pp. & Bezoard. miner.* à ℈j. *ſyrup. papav. rh. Q. S. M. S. F. bolus.*

PILLULÆ.

℞. *Extract. card. bened.* ℈j. *lap. bez. orient. gr.* v. *antimon. diaph.* ℈ß. *M. S. form. pillulæ.*

℞. *Extract. fumar.* ʒß. *theriac. cœleſt. gr.* iß. *ſal. volat. viper. gr.* iiij. *M. S. F. pillulæ.*

DECOCTA.

℞. *Raſ. lign. ſaſſafr.* ℥ij. *lign. ſanct. & liquirit.* á ℥j. *paſſul. min.* ʒvj. *caric. ping. n.* v. *inciſa coq. in* ℔vj. *aq. ad remanent.* ℔iiij. *doſis* ℥v.

℞.

℞. *Raſ. lign. ſaſſaf.* ℥ij. *lign. ſanct. rad. ſarſ. parrill. chin. & liquirit. à* ʒvj. *caric. ping. & dactil. à n.* vj. *Inciſ. coq. in* ℔vj. *aq. ad reman.* ℔iiij. *doſis* ℥iiij.

EMULSIONES.

℞. *Sem. aquileg. & card. mar. à* ʒiij. *& cum* ℥vj. *aq. ſcorz. extrahat. emulſ. cui add. ocul. cancr. pp. ſtib. diaph. & dent. apri. pp. à* ℈j. *ſacch. perl. Q. S. M. S. F. emulſio.*

℞. *Aq. card. bened. & papav. rh. à* ℥iij. *ſem. citr. & card. bened. à* ʒij. *extrahat. emulſ. & add. bezoard. miner.* ℈ß. *pulv. C.C. pp.* ℈j. *ſacchar. Q. S. M. S. F. emulſio.*

Int. Quo tempore exhibenda veniunt medicamenta ſudorifica?

R. Commodiſsimum, & naturæ maximè conveniens ſudoris tempus, eſt matutinum, quoniam etiam natura hoc ipſo tempore in ſtatu ſano, ſudoris excretionem mollitur. In febribus proprium exhibendi tempus eſt, declinatio paroxiſmi, ubi natura ordinariè quoque excretionem ſudoris inſtituit. In omnibus benignis, dum ſigna coctionis apparent: In acutis autem malignis, quæ paucam, ſummè tamen mobilem materiam pro cauſa agnoſcunt, ſudorifica in principio proſunt.

Int. Quas regulas obſervare debet Medicus pro præſcribendis ſudoriferis?

R. I. Debet ſpeculare, ſi humorum lentor adeſt, tunc ſudorifera minimè conveniunt, niſi anteà à Medico humores attenuentur.

II. In corporibus ſiccioribus, & etiam in iis morbis, ubi ſerum deficit, magis nocent, quàm proſunt.

III. In hydrope non conveniunt, niſi natura ipſa ſpontaneos ſudores, quod tamen rariùs contingit, excitaverit.

IV. Si vires jam ſunt fractæ, ſudorifera minimè exhibenda ſunt.

V. Qui ad ſudores minùs proni ſunt, ad eos per remedia fortiora non cogantur.

VI. Volatilia, aliaque fortiora diaphoretica, plethoricis, & cholericis, in morbis acutis exhibita, venena potiùs, quàm remedia ſunt.

VII.

VII. In talibus morbis, confortantia, & lenia acida commodè remediis junguntur diaphoreticis, ut hoc modo vires conſerventur, & nimia humorum reſolutio impediatur.

VIII. Si multæ in primis viis ſunt cruditates, diaphoretica cum damno exhibentur.

IX. Si morbi ab ira fortiori nati ſunt, ſudorifera plus nocent, quàm proſunt: quoniam bilis magis per ea exagitatur, & profundiùs in maſſam ſanguineam conjicitur.

X. Nec etiam facilè ſudorifera exhibentur poſt terrorem graviorem, quin priùs leni, & continuato corporis motu fluxilitas humorum reſtituatur.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

DE MEDICAMENTIS DIURETICIS.

Int. Quid eſt diureſis?

R. Eſt evacuatio artificialis à Medico, per remedia convenientia, partim, ut humores ſeroſi ſuperflui, aliaſque recrementa à ſanguine ſeparentur, & per vias urinarias expellantur, partim, ut impedimenta urinæ excretioni obicem ponentia, removeantur.

Int. Quomodò id prœſtant?

R. Hoc efficiunt, vel ſanguinem attenuando, reſolvendo, & ſpeciatim laticem ſeroſum in eo fundendo; vel ſerum acriùs, indeque magis abſterſivum, & viſcidorum attenuativum, ac renum ſtimulativum reddendo; vel renum, & viarum urinariarum tonum debitum conſervando, fermentum renale confirmando, & vim tranſcolatoriam, non abſque aliquali ſtimulo promovendo; vel acrimonia ſua volatili renes irritando, & ſtimulando ad excretionem frequentiorem; vel uberiorem aquoſam materiam ſuppeditando, & ſic ſeparationem partium ſeroſarum à ſanguineis facilitando.

Int. Quotuplex eſt diureſis?

R. Duplex, alia propriè, & ſtrictè ſic dicta, ut quando per remedia poſitivè diuretica, & ſtimulantia, ac reſolventia inſtituitur; & alia impropriè ita vocata, quando ſcilicet, vel per copioſiorem potum ſerum deficiens reſtituitur, vel impedimenta urinæ excretionem retardantia, mucus v. g. ſabulum, calculus, &c. removentur.

Int. Qui morbi indicant diureſim?

R. Cachexia, Leucophlegmatia, hidrops, icterus, malum hyppochondriacum, ſabulum renum, & veſicæ urinæ excretionem turbans, exulcerationes viarum urinariarum, ſtranguria, diſuria, iſcuria, febres, ubi ſolutio morbi per diureſim ſperanda eſt, & omnes ferè alii morbi à vitioſa ſeri abundantia, conſiſtentia, & motu pendentes.

Int. Quid obſervandum pro præſcribendis diureticis?

R. I. Obſervandum, quod niſi viæ ſatis ſint expeditæ, diuretica, in primis fortiora, numquam ſunt exhibenda: quare conſultiùs eſt á diluentibus, & lenioribus initium facere.

II. In calculo ureteribus impacto, lythontriptica numquam exhibeantur, quia multum exaſperant; potiùs exhibeantur lubricantia, & emollientia.

III. Ubicumque diſpoſitio eſt ad mictum cruentum, ibi diuretica fortiora peſsimo conſilio præſcribuntur.

IV. Si humores jam per diaphoreſim ſunt abſumpti, diuretica ægrotis non facilè ſunt præſcribenda: quoniam corpus nimium exſiccatur; ſi autem cum multo vehiculo exhibeantur, interdum habent uſum.

V. Quo magis inclinant homines ad temperamenta ſicciora, eo minùs ipſis conveniunt diuretica.

VI. Si ſpaſmodica in renibus aliiſque, urinæ excretioni inſervientibus, partibus ſubeſt diſpoſitio, abſtinendum omninò eſt à diureticis fortioribus.

Int. Quæ in ſpecie ſunt medicamenta diuretica?

R. Radices: *Aſparragi, Bardanæ, Apii, Vlthea, Ononidis, Rubiæ, Tinctorum.* Folia: *Cherefolii, Capillorum ve-*

nt-

neris, hæderæ terreſtris, naſturci aquatici, ſabinæ, centauræ minoris. Flores: *Camomillę, gentianæ.* Semina: *Dauci, fraxini, ſaxifragię, Raphani, urticæ, millefolii, AlKeKengis, baccæ juniperi, nuclei perſicorum.* Ex præparatis: *Succinum album, pp. aſſelli pp. oculi cancrorum, pp. mater perlarum pp. putamen ovorum pp. lignum nephriticum, lapis nephritius.* Salia: *Ononidis, gentianæ, corticum favarum, juniperi, volatille ſuccini, tartari, trochiſci, alKeKengis, aqua cherefolii, fragariæ, ononidis.* Spiritus: *Salis, vitrioli, therebentinæ, juniper. tartari, ſyr. de Althea Fernelii, de duabus, & quinque radicibus, &c.* Ex quibus variæ poſſunt concinari formulæ.

FORMULÆ DIURETICORUM.

PULVERES.

℞. *Tartar. vitriol. pulv. aſell. pp. & ſal. geniſt. à* ℈ß. *M. S. pro doſ.*

℞. *Teſt. ovor. lap. percar. & ſal. abſynth. à gr.* xv. *M. S. pro doſ.*

POTIUNCULÆ.

R. *Aq. fragar.* ℥iiij. *lap. cancr. & ſal. ononid. à* ℈j. *ſyrup. de alth. Fernel.* ℥ß. *M. S. P. doſ.*

R. *Aq. alKeKeng. & petroc. à* ℥ij. *arcan. duplic. & ſal. geniſt. à gr.* x. *ſp. ſal. dulc.* ℈j. *ſyrup. fragar.* ℥ß. *M. S.*

EMULSIONES.

℞. *Sem. viol.* ʒiij. *mil. fol.* ʒij. *aq. fragar. & ſaxifrag. à Q. S. extrah. emulſ. colat.* ℥v. *pulv. lap. cancr. & percar. à* ʒß. *ſacchar. perl.* ʒiij. *M. S.*

℞. *Sem. cartham. & viol. à* ʒiij. *aq. fragar. Q. S. extrah. emulſ. colat.* ℥vj. *add. ſpir. fragar.* ʒj. *lap. percar.* ʒj. *ſacchar. perl.* ʒiij. *M. S. P. doſ.*

BOLI.

℞. *Rob. junip.* ʒj. *mill. ped. pp.* ℈ß. *lap. canc.* ℈j. *ſyrup. fragar. Q. S. M. S. F. bolus.*

℞. *Extract. veron. ſpiſſ.* ℈ij. *trociſch. alKeKeng. & pulv. teſt. ovor. pp. à* ℈ß. *ſyrup. de alth. compoſit. Q. S. M. S. F. bolus.*

ELECTUARIA.

℞. *Rob. junip.* ℥ß. *lap. cancr. pp. & ſal. ononid. à* ʒj. *mill. ped. pp.* ʒß. *ſyrup. hęder. terreſt. Q. S. M. S. F. Electuarium.*

℞. *Conſerv. roſ.* ℥j. *pulv. ſem. hyperic. & mill. fol. à* ʒij. *ſyr. viol. Q. S. M. S. F. elect.*

PILLULÆ.

℞. *Mill. ped. pp. & trociſch. alKeKeng. à* ℈j. *ol. juniper. gut.* v. *terebent. Q. S. M. S. F. pillulæ.*

℞. *Teſt. ovor. pulv.* ℈j. *ſuccin. alb. pp.* ℈ß. *lap. nephrit. gr.* vj. *terebent. Q. S. M. S. F. pillulæ.*

DECOCTA.

℞. *Rad. aſparr. & ononid. à* ℥ij. *bacc. junip.* ℥j. *tartar. ſolub.* ℥ß. *fiat decoct. in S. Q. aq. ad remanent.* ℔iij. *col. & pro uſu ſerv.*

℞. *Rad. Petroſel. & bardan. à* ℥ijß. *fol. chęrefol. capill. ven. & virg. aur. à m.* ß. *flor. Geniſt. pug.* ß. *coq. in S. Q. aq. ad* ℔iiß. *col. & colat. add. ſyrup. de* 5. *radic.* ℥iiß. *M. S.*

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

DE MEDICAMENTIS ERRHINIS.

Int. QUæ vocantur medicamenta *errhina*?

R. Ea, quæ irritant, rarefaciunt, emulgentque glanduloſam tunicam, qua nares intus veſtiuntur, ſic ſucceſsivè lympham, ſeu pituitam, per illam excerni ſolitam, versùs illam proliciunt, ejuſque excretionem facilitant.

Int. Quot ſunt differentiæ errhinorum?

R. In duplici ſunt differentia: alia, quę non ciendo ſternutationem, humores in glandulis narium hærentes reſolvunt, & glandulæ leniter ad excretionem eorum ſtimulant; aliaque, quę glandulas, & membranam narium fortiter ſtimulando, ſternutationem cauſant, & humores cum impetu excutiunt: hæc propriè ſternutatoria vocantur, illa veró errhina dicuntur.

Int.

Int. A quibus indicantur hæc medicamenta?

R. Errhina, ab humoribus copioſis circa nares, & in partibus vicinis hærentibus.

Sternutatoria, à doloribus capitis, à partu difficili, quatenus promovent excluſionem fœtus, & à appoplexia, &c.

Int. Quid obſervandum venit pro exhibitione horum medicamentorum?

R. I. Obſervandum, quod ubicumque ſerum deficit, ut in cholericis, aliiſquè, vel à morbis, vel ſenio exſiccatis, ibi errhina, & ſternutatoria, minùs conſultiùs præſcribuntur.

II. In ſenibus, quorum corpora, pituita viſcida repleta ſunt, ſternutatoria non ſemper tuta ſunt.

III. *In vertigine* eſſentiali, ſternutatoria facilè ad *appoplexiam* diſponunt.

IV. Quamvis in *appoplexia*, *&* *epilepſia* præſente, ſternutatoria ſæpiùs cum fructu uſurpentur, in imminente tamen, facilè in actum deducunt.

V. Sternutatoria oculorum affectibus *inflammatoriis*, quàm maximè exaſperant.

VI. Si propenſio adeſt ad *hæmorrhagiam narium*, ſternutatoria nullum habent uſum: quoniam eamdem facilè excitant.

VII. In diſpoſitione ad *hæmothpiſim*, aut alias, malo conſtituto pectore, ſternutatoria minùs tuta ſunt.

VIII. In gravidis ſternutatoria facilè, propter motum graviorem, ad abortum diſponunt.

IX. Infantibus, propter teneram cerebri, & nervorum conſtitutionem, ſternutatoria minus conveniunt.

X. Sternutatoria fortiora, convulſiones excitare ſolent.

XI. In *coryza* conſueta ſuppreſſa, errhina inſignem habent uſum: quatenus omnia mala exinde provenientia, præcavent, & tollunt.

Int. Quę medicamenta in ſpecie ſunt errhina?

R. Radices: *Iridis*, *Cyclaminis*, *Cucumeris*, *Hellebori albi*, *&* *nigri*, *Jalappę*. Folia: *Betę*, *Braſicæ*, *Anagallidis*,

dis, Majoranę, Betonicę, Pulegi, Origani, Nicotianæ, Aquæ, Radicuum, & Foliorum prædictarum. Semina: *Nigellæ, Sinapi, Piper. Heuphorbium, Caſtoreum, Vitriolum album. Salia volatilia, Species de Majorana, Diatabaci, Mynſicht, &c.* Ex quibus variæ præſcribi poſſunt formulæ.

FORMULÆ ERRHINORUM.

PULVERES.

℞. *Fol. tabac. m.* j. *herb. major. & thym. à m.* ß. *flor. lavend. lilior. conv. & aneth. à pug.* j. *M. S. F. P. ſubtiliſsimus.*

℞. *Sumit. beton. orig. & ſerpill. à m.* ß. *flor. roſar. cyan. & viol. à pug.* j. *ol. major. gut.* vj. *M. S. F. pulvis ſubtiliſsimus.*

AQUA.

℞. *Aq. majoran.* ℥iij. *cui diſſolv. vitriol. alb. gr.* iij. *attrahatur in nares.*

MIXTURA.

℞. *Aq. Reg. Hung.* ℥j. *ſpirit. ſal. ammon.* ʒiij. *M. S. odore attrahatur ad nares.*

FORMULÆ STERNUTATORIORUM.

PULVERES.

℞. *Pulv. irid. flor.* ʒij. *rad. helleb. alb.* ʒß. *herb. orig. roſ. & major. à m.* ß. *flor. violar. & aneth. à pug. ol. deſtill. major. gutt.* viij. *moſch. & zibeth. à gr.* ij. *M. S. F. pulvis ſubtiliſsimus.*

℞. *Flor. calend. cyan. & lavendul. à p.* j. *ſem. nigell.* ʒß. *ol. deſtill. major. gut.* vj. *M. S. F. pulvis ſubtiliſsimus.*

AQUA.

℞. *Aq. major.* ℥j. *vitriol. alb. & elater. à gr.* ij. *m. attrahatur ad nares.*

MIXTURA.

℞. *Spirit. ſal. ammon.* ʒij. *eſſent. caſtor.* ʒj. *M. S. odoratu attrahatur in nares.*

CAP.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

DE MEDICAMENTIS EVACUATIONEM ſalivæ promoventibus, ſeu de appophlegmatizantibus.

Int. QUid eſt *ſalivatio?*

R. Eſt evacuatio artificialis, per remedia inſtituta, ut humores ſuperflui, & corrupti per ductus ſalivales expellantur.

Int. Quotuplex eſt ſalivatio?

R. Quadruplex: alia eſt *univerſalis*, alia *particularis*, alia excitatur per remedia *interna*, alia per *externa*; alia eſt *levior*, alia eſt *fortior.*

Int. Quid eſt ſalivatio *particularis?*

R. Eſt evacuatio artificialis à Medico, per remedia appophlegmatizantia, & maſticatoria, eum in finem inſtituta, partim ut ſaliva è ductibus, & glandulis ſalivalibus, partim verò alii humores è confiniis oris, ſive partium adjacentium evacuentur.

Int. Quotuplex eſt ſalivatio *particularis?*

R. Quadruplex: alia, quæ fit per remedia ſicca, alia verò per humida, alia excitatur à remediis acribus, alia ab inſipidis.

Int. Quomodò operantur medicamenta appophlegmatizantia?

R. Quædam, etſi minimè ſint acria, ſed prorſus inſipida, diu ſaltem in ore maſticata, ſalivam è glandulis eliciunt: uti ſunt globulus plumbeus, cryſtallus, maſtix, &c. & hęc propriè vocantur maſticatoria. Alia verò, quæ ſtrictè appophlegmatizantia audiunt, maſticata, gargarizata, aut palato applicata, non tantùm calore, & motu, quàm virtute ſalina, & particulis ſuis aculeatis, inciſoriis, & fundentibus, glandulas ubique in ore concitatas aperiunt, irritant, humoreſque ſalivales fundunt, liquant, & ex diverticulis proximioribus glandulis evocant.

Int. A quibus affectibus indicantur remedia appophlegmatizantia?

R. Indicantur, à *catharralibus* capitis, & vicinorum locorum affectibus, ut dentium, maxillarum, gingibarum, &c. à *vertigine*, *memoriæ debilitate*, *affectibus ſoporoſis*, *morbis oculorum*, *& aurium frigidioribus*, *fœtore oris*, *aphonia*, *&c.*

Int. Quid obſervandum venit circa uſum horum medicamentorum?

R. I. Obſervandum, numquam niſi præmiſsis univerſalibus remediis, & ſublata cacochymia, in uſum trahantur; neque etiam faucibus ſpeciatim affectis, *in pthyſi*, *tuſsi*, aliiſque pulmonum affectibus.

II. Maſticatoria, non niſi tempore matutino, vacuo adhuc ventriculo uſurpentur: cibis enim repleto ventriculo, digeſtio ob deficientem ſalivam impeditur.

III. In horum remediorum uſu: media tenenda eſt via: ſi enim diu uſurpantur, nimia ſalivæ laudabilis copia evacuatur; ſi verò nimis parcè in uſum trahantur, nihil juvant.

IV. Saliva non deglutiatur: quoniam facilè *cardialgiæ*, aut *vomitus* ſequuntur, quare ſemper expuatur.

Int. Quæ medicamenta ſunt apophlegmatizantia in ſpecie?

R. Radices: *Acori*, *Angelicæ*, *Iridis*, *Gentianę*, *Galangæ*, *Piretri*, *Hellebori*, *Calami aromatici*. Folia: *Salviæ*, *Majoranæ*, *Hyſſopi*, *Origani*, *Lauri*, *Naſturci*, *Nicotianæ*. Semina: *Naſturci*, *Sinapi*, *Staphiſagrios*, *Nigellæ*, *Piper albus*, *niger*, *Aniſi*, *Fœniculi*, *Baccæ lauri*, *Cubebæ*, *Cinnamomum*. Gummi: *Maſthichis*, *Myrrha*, *Ammoniacum*, *Caſtoreum*, *Fumum tabaci per fiſtulam hauſtum*, *Acetum ſquilliticum*, *Oxymel ſquilliticum*, *Theriaca*, *Confectio anacardina*, *&c.*

FORMULÆ APPOPHLEGMATIZANTIUM.

RADICES.

℞. *Rad. pireth. Q. S. teneatur ſub lingua.*

ALIÆ

ALIA.

℞. *Zingib. Q. S. uſurpetur, ut anteà.*

℞. *Fol. Nicot. convol. Q. S. maſticetur probè.*

℞. *Fol. Naſturt. Q. S. uſurpetur, ut anteà.*

IN FORMA ELECTUARII.

℞. *Maſtic. elect.* ʒij. *ſem. ſynap. & rad. pireth. à* ʒß. *cardam. & cubeb. à* ℈j. *mell. Q. S. M. S. F. electuarium.*

℞. *Sem. ſynap. Zingib. rad. pireth. à* ʒj. *cubeb. & cardam. ana.* ʒß. *oximel. Q. S. M. S. F. electuarium.*

IN FORMA DECOCTI.

℞. *Rad. pireth.* ʒij. *herb. Nicot. m.* j. *ſem. ſynap.* ʒj. *coq. in aq.* ℔j. *col. & colat. teneatur calidè in ore.*

℞. *Rad. cyclam.* ʒij. *herb. Nicot. & piperit. à m.* j. *ſem. eruc. & ſynap. à* ʒj. *coq. in aq. & acet. à Q. S. col.* ℔j. *add. oximel.* ℥ij. *M. uſurpetur ut anteà.*

IN FORMA ROTULÆ.

℞. *Rad. pireth. zingib. cubeb. cinam. piper. long. & caſtor. ver. à* ℈ij. *ſacchar. Q. S. ſolv. ſacchar. in aq. roſar. & cinnamom. à Q. S. M. fiant rotulæ ſub lingua tenendæ.*

Int. Quid eſt ſalivatio univerſalis?

R. Eſt illa, quæ per remedia appropriata, tam interna, quàm externa, univerſa maſſa ſanguinea à partibus impuris, & corruptis liberat.

Int. A quo medicamento præcipuè movetur ſalivatio?

R. A Mercurio.

Int. Quomodò eam movet?

R. Inter affectiones, ſeu proprietates Mercurii numerantur tenuitas, & ponderoſitas. Tenuitas Mercurii, planè evincitur ex eo quod ab igne facilè in ſublime fertur, & in auras evaneſcit. Gravitas Mercurii omnibus obvia eſt. Ob tenuitatem enim promptè poros corporis pervadit, & ſanguinis maſſæ admiſcetur, & cum ea per totum corpus motu inteſtino, ac circulari movetur. Ab alternato autem motu ſyſtaltico, & dyaſtaltico cordis, & arteriarum, optimè cum reliquis humo-

moribus conquaſſatur, & dividitur Mercurius in molleculas minimas, quæ ob ponderoſitatem, humores dividunt, ſolvuntque in liquorem ſalivoſum, ſeu ſalivæ ſimilem. Hoc enim evenit ovorum albumini ſi cum glandulis plumbeis conquaſſatur; nam albumen ſtatim amittit ramoſitatem, & tenacitatem, quam habet, & in liquorem fluidum abit: quia à glandulis plumbeis vi conquaſſationis, franguntur cohæſiones particularum ramoſarum albumen componentium. Mercurius enim in molleculas minimas ſic diviſus, omnes corporis poros ac tubulos ſubit, eoſque reſerat, non ſolùm ſua ponderoſitate, frangendo humorum cohæſiones, & ſpiſsitudines; ſed præcipuè id facit, ſuo ſpecifico alkali, acidum fermenti venerei abſorvendo, à quo, humorum concretiones, & omnia alia ſympthomata in lue venerea ducunt originem.

Int. Cur Mercurius humores á viru venereo infectos, redigit in liquorem ſalivoſum?

R. Quia acidum fermenti venerei ex ſua natura, plus afficit humores ſeroſo-lymphaticos, quàm alios, eoſque coagulando, acrioreſque reddendo, unde dolores articulares, concretiones *gummoſas* in craneo, *oſteocoposas* in reliquis oſsibus trahunt originem. Ab uſu enim Mercurii duo non rarò eveniunt effectus, ſcilicet, acrimonię humorum correctio, & eorumdem concretionum diſſolutio. Hi enim humores à Mercurio ſoluti, cum à ſua natura ſalivoſi ſint, ſeu aquoſi ly lymphatici, analogiam habent cum glandulis ſalivalibus, ut potiùs ſeparentur ab eis, & foras propellantur, quam ab aliis.

Int. Cur ab uſu Mercurii obveniunt oris, & gingibarum exulcerationes?

R. Quia Mercurius, abſorvendo ſalia acida fermenti venerei, redditur valdè corroſivus valens corrodere oris partes ad quas ſimul cum humoribus ſolutis fertur. Evenit Mercurio in corpore, quod accidit ei quando cum aqua forti miſcetur, & aqua poſteà evaporatur: tunc enim abſorvendo ſalia corroſiva aquæ fortis, valdè corroſivus fit, ut experimur in pulvere *Joannis Vigonis.*

Int.

Int. In quibus morbis commendatur Mercurius?

R. Primariò commendatur ad *luem veneream*, hinc etiam ad *elephantiaſim*, *ſcabiem virulentam*, *ulcera crurum cachoetica*, ad *aſthma humoroſum*, *paralyſim*, & alioſque affectus contumaciores, ab humore viſcido, glutinoſo acido oriundos, ſolidas præſertim partes affligentes.

Int. Quot modis adhibetur Mercurius?

R. Duplici modo, vel extrinſecus per *unguenta*, *ſuffitus*, *emplaſtra*, *cingulos*, *pediluvia*, & per *ſoleas*; vel intrinſecus per *bolos*, & *pillulas*.

Int. Quid notandum in uſu Mercurii?

R. I. Notetur, quod ſalivatio noſtris temporibus eſt quidem remedium ſatis commune, ſed nihilominùs infidum eſt auxilium, & non raró inſignia, & admodùm periculoſa poſt ſe trahit incommoda: quarè in ejus adminiſtratione magis opus eſt cautelis.

II. Minoris tamen periculi ſunt incommoda illa, quæ in unctionem mercurialem, quam quæ internorum remediorum uſum ſequuntur.

III. Cura luis venereæ per ſuffimigationem, cum cinabari, vel mercurio dulci, quamvis caput etiam optimè obvolutum ſit, & munitum, nihilominùs graviſſima excitat ſympthomata: quarè etiam à RR. prorſus rejicitur.

IV. Pariter ſummè noxius eſt fumus mercurialis ore per infundibulum, ſalivationis gratia exceptus: quatenus caput, & pulmones admodùm lædit.

V. Securior eſt modus ſalivationem excitandi, ſi emplaſtra mercurialia, locis illis, qui aliàs unguento mercuriali inungi ſolent, imponuntur: ſic enim Mercurius facilè per poros corporis penetrat.

VI. Eumdem uſum præſtare ſolent ſoleæ ſuperiùs alegatæ: in primis, ſi pedes lateri callido imponuntur. Sic enim Mercurius ope caloris excitatus, facilè per poros plantæ pedis corpus ingreditur.

VII. Pediluvia mercurialia, ſi Mercurius aquæ ferventi injicitur, poteſt aliquem habere uſum: ſin veró

Mer-

Mercurius ſublimatus huic ſubſtituitur, partes facilè arroduntur: quarè horum uſus omittitur, præſertim cum talis modus ſit minimè conſuetus.

VIII. Cingulum Mercuriale, interdum cum fructu uſurpatum fuit in malo mitiori; ſed cum ſæpiùs inſignia tormina excitaverit, meritò ei præfertur inunctio locorum convenientium.

IX. Non facilè inſtituatur ſalivatio in iis, qui jam emaciati, ac viribus fracti ſunt.

X. In ſiccioribus temperamentis, vel nulla ſalivatio inunctionem ſequitur, vel corpus magis exſiccatur: quarè corpus priùs humectandum eſt.

XI. Si viſcera interna ſunt corrupta, ſalivatio non ſolùm nullam habet utilitatem, ſed mortem accelerat.

XII. Pueri, ſenes, & gravidæ, non facilè ferunt ſalivationem; imò gravia interdum ex ea ſequuntur incommoda.

XIII. Antequam corpus unguento Mercuriali inungatur, priùs purgantia exhibentur, vena aperitur, ac corpus balneis aquæ dulcis immittatur: ut hoc modo humores ad faciliorem ſalivationem diſponantur.

XIV. Facta præparatione, inungantur primò plantæ pedum, tarſus, ac poſtmodùm flexura genuum; ſequentibus verò, juncturæ manuum, & cubiti, donec ſalivationis ſigna appareant.

XV. Numquam autem ſumatur nimia unguenti doſis, ſed talis tantum, quę ultra Mercurii ʒij. aut ℥ß. ad ſummum, & quidem in robuſtioribus haud continet.

XVI. Nucha, atque dorſum, ob gravia metuenda ſympthomata, non inungantur; quamvis ſint, qui hancce inunctionem commendent.

XVII. Facta inunctione, æger committatur lecto in conclavi calido, & ab aere frigido probè arceatur; aliàs enim gravia ſequuntur ſympthomata.

XVIII. Si glandulæ oris, gingibæ, ac lingua intumeſcunt, ab ulteriori frictione abſtinendum eſt: hæc enim, ſalivationem imprompt u indicant.

XIX.

XIX. Interdum in ſubjectis ſucculentis, & aliàs ad ſalivationem pronis, poſt primam ſtatim inunctionem, ſalivatio ſequitur.

XX. Ultrà quintam, vel ſextam inunctionem, facilè non eſt progrediendum, niſi ſubjecta admodùm robuſta fuerint.

XXI. Si ſalivatio nimis tardè, aut non ſtatim poſt peractas frictiones ſuccedit, exhibendum eſt vomitorium Mercuriale, quod optimè eam promovet.

XXII. Si verò, nec poſt horum uſum ſalivatio ſuccedat, ſatius eſt ab ulterioribus frictionibus, & remediis abſtinere, ne uſui continuato gravia ſequantur damna.

XXIII. Ori, & faucibus inflammatis, proſpiciendum eſt per gargariſmata lenientia, & detergentia ex *lacte tepido*, *decocto hordei cum radice liquiritiæ*, *altheæ*, & *melle roſaceo*.

XXIV. Hiis ſubjunguntur adſtringentia gargariſmata ex *roſis rubris*, *ſalvia*, & *hordeo* parata.

XXV. Talia gargariſmata adſtringentia in principio adhibita, ſympthomata oris, & faucium exaſperant.

XXVI. Si nimium fluit ſaliva, ſtatim exhibeantur purgantia levia cum aliquo ſtimulo: hæc enim optimè nimiam ſalivationem imminuit.

XXVII. Fortiora tamen purgantia vitentur, ne ſalivatio prorsùs cum inſigni periculo ſiſtatur.

XXVIII. Non raro ſalivatio degenerat in alvi fluxum, qui clyſteribus ex *lacte*, & *vitellis ovorum* paratis aut *theriaca*, *diaſcordio*, aliiſque *opiatis*, ſiſti poteſt.

XXIX. Diæta, durante ſalivatione, ſit tenuis. Conſulo juſcula *hordeacea*, aut carnium cum paucò pane.

XXX. Loco potus conveniunt decocta lignorum ſecundaria, quæ ſcilicet ex reſiduo prioris decocti parantur.

XXXI. Toto ſalivationis tempore, ægri vitent aerem frigidum: quia ſalivationem maximè impedit, & gravia mala excitat.

XXXII. Si ſpatio quindecim dierum, vel trium ſeptimanarum ſalivatio, pro circunſtantiarum ratione duraverit, tandem ſenſim ſenſimque minuitur, & ſpontè ceſſat.

XXXIII. Si antè ordinarium tempus ceſſat, vel exhibeatur Mercurius dulcis, aut panacea mercurialis, vel corpus adhuc aliquotiès unguento mercuriali fricetur.

XXXIV. Quod ſi verò ultrà terminum ordinarium extendatur ſalivatio, exhibeantur aliquotiès purgantia, ut hoc modo, materia quæ ſurſum fertur, ad inferiora revellatur, & evacuetur.

XXXV. Cùm ſæpiùs poſt ſalivationem, aliquid mercurii adhuc in corpore remaneat, hinc omnis generis ſympthomata metuenda ſint: ejus excretio promovenda eſt, partim per laxantia repetita, ac diaphoretica, partim verò, monetæ aureæ linguę impoſitæ. Inter omnia facilè palmam prępripiunt pulv. ſolares *D. Richteri*, & in primis *tinctura reſolvens*, quæ quod reliquum eſt in corpore mercurii, interdum per ſalivationem ejicit, quo facto, ſalivatio ſtatim ceſſat: ſæpiùs verò mercurium ſummè reſolutum, aut per urinam, aut per ſudorem expellit.

XXXVI. Expulſo hoc modo mercurio, ægroti adhuc per aliquod tempus vitent aerem frigidum, & abſtineant à nimis cibis, nimio potu, & venere.

XXXVII. Mercurius dulcis, & panacea mercurialis excitant quidèm ſalivationem; ſed longè tardiùs operantur, quam unguentum mercuriale.

XXXVIII. Si per *mercurium dulcem*, ſalivationem inſtituere animus eſt, exhibeantur prima vice gr. xv. ſecunda ℈j. tertia ʒß. & ſic ſemper uſque ad ʒj. donec ſalivationis ſigna appareant.

XXIX. Panacea mercurialis, quæ nihil aliud eſt quam mercurius dulcis deciès, vel duodeciès ſublimatus, eodem modo propinatur, ſed minori doſi, prima ſcilicet die gr. xij. ſecunda, xv. tertia ℈j. quarta gr. xxv. quinta ʒß. idque manè, & veſperè, donec ſuperiùs recenſita ſalivationis ſigna in conſpectum veniant.

XL.

XL. Ut, fluxus hiſce eò meliùs ſuccedat, ſingulis binis, vel ternis diebus panaceæ gr.xij. ægro exhibeantur; & ut omne virus cum ſaliva expellatur, per integrum menſem, fluxus hiſce conſervetur.

XLI. Si per arcanum corallinum, aut turpethum minerale ſalivatio inſtitui intenditur, in univerſo morbo nulla alia doſis propinari debetur, quam gr.xv. v.g prima die, gr.ij. tertia, vel quarta, gr.iiij. & ſic deinceps, donèc quantitas aſsignata uſurpata ſit.

FORMULÆ MERCURIALES.

IN FORMA BOLI.

℞. *Conſerv. roſ.*℥ß. *Mercur. dulc. gr.*xv. *ſyrup. roſar. ſolutiv. Q. S. M. S. F. bol.*

℞. *Conſerv. fumar.* ℥ß. *panac. mercur. gr.* xij. *ſyrup. flor. perſic. Q. S. M. S. F. bolus.*

℞. *Conſerv. graciol.* ℈j. *turpet. miner. gr.* iij. *ſyrup. flor. perſic. Q. S. M. S. F. bolus.*

℞. *Conſerv. flor. perſic.* ℈j. *arcan. corall. gr.* iij. *ſyrup. roſar. ſolut. Q. S. M. S. F. bolus.*

IN FORMA PILLULARUM.

℞. *Mercur. dulc. gr.*xv. *mic.pan.alb. Q. S. M. S. F.pill.*

℞. *Panac.mercur.gr.*xij. *mic.pan.alb. Q.S.M.S.pillulæ.*

IN FORMA UNGUENTI.

℞. *Ping.porcin.*℥j. *mercur.viv.*ʒij. *M.S.F.unguentum.*

℞. *Mercur. viv. cum ſaliva extincti* ℥ß. *tereben. venet. & ung. de pom. Q. S. M. S. F. unguentum.*

CAPUT DECIMUM NONUM.

DE EVACUATIONE PER PECTUS, ſive de Expectoratione.

Int. QUid eſt *expectoratio?*

R. Eſt evacuatio artificialis per remedia convenientia, cum in finem inſtituta, ut humo-

res

res quantitate, & qualitate pectori inimici, maturè expellantur.

Int. Quibus modis promovetur expectoratio?

R. Duplici modo, alia promovetur per remedia *præparantia*, ita ut materia ad excretionem inepta præparetur, & diſponatur ad exitum, ut à natura ipſa per tuſsim expelli poſsit.

Alia per ſtimulantia, quando videlicet tuſsis præſens eſt inſufficiens: per remedia convenientia augetur, ita ut materia noxia eò faciliùs expelli poſsit.

Int. Quæ materiæ diſpoſitiones, indicant uſum expectorantium?

R. Materia nimis fluxilis, & acris glandulis, & pulmonibus infenſa, quę incraſſatione, & correctione antè evacuationem opus habet.

Mucus viſcidus, & tenax pulmonum tubulos obſtruens, & reſpirationem admodùm difficilem reddens, quæ tamen priùs, quàm excernatur, reſolutione indiget.

Materia cruenta, & purulenta in *pleuritide*, & peripnæumonia, multa, & inſignia incommoda pariens.

Int. Quomodò operantur medicamenta, quæ expectorationem promovent?

R. Quędam, materiam nimis tenuem, & acrem incraſſant, ut eò commodiùs ſine pulmonum noxa excerni poſsit; uti ſunt *incraſſantia*, *mucilaginoſa*, lenitèr adſtringentia, opiata, &c.

Alia, mucum nimis tenacem, & viſcidum incindunt, & reſolvunt, fluxilitatemque ei conciliant, qualia ſunt *reſolventia*, *acria*, *amara*, *ſulphurea*, *gummoſa*, &c.

Quædam, fibras aſperę arterię aggrediendo, & acrimonia ſua ſtimulando, tuſsim excitant, & materię pręparatæ excretionem promovent, uti ſunt *acria volatilia.*

Int. Quid obſervandum ad debitam exhibitionem medicamentorum expectorantium?

R. I. Semper in expectorantibus, ſeu Becchicis exhibendis, humoris expectorandi qualitatem attendendam eſſe: ut inter incindentia, & incraſſantia acurata fiat diſtinctio.

II.

II. Expectoratio numquam eſt inſtituenda, niſi materia anteà ſatis mobilis reddita, aut ſufficientèr præparata fuerit.

III. Quando affluxus humorum ad pectus eſt nimiùs, cavendum eſt à nimiis expectorantibus, quoniam affluxum augent; potiùs conveniunt laxantia, diuretica, diaphoretica, & diſcutientia.

IV. Adſtringentibus v. g. in hæmophtiſi ſemper reſolventia, & expectorantia admiſcenda, quia magna ex eorum præpoſtero uſu ſequuntur incommoda, quatenùs materiam inſpiſſant, atque in pulmonibus incarcerant, unde materia acrior reddita pulmones agreditur.

V. In tuſsi ſicca, aut etiam humida, ſimul corpore inſigniter attenuato, exſiccantia magis exſiccando nocent.

VI. Dulcia pectoralia numquam diù uſurpentur, quia licèt expectorationem promoveant, ventriculo tamèn facilè nocent, menſtruum ejus obtundendo, parietes, ac fibras laxando, & ſic appetitum dejiciendo.

VII. Tuſſes ſuppreſſos ſanguinis fluxus ſequentes, numquàm expectorantibus cedunt, niſi præmiſſa fuerit venæ ſectio.

VIII. Si pulmones ſunt affecti, ſummè noxii ſunt *ſpiritus acidi*; *ſulphura*, *nitroſa*, *vitriolica* pectori inimica ſunt; partim ſerum coagulando, partim irritando, partim fundendo, tuſsimque prorritando, exulcerationem, vel producunt, vel promovent.

IX. Opiata præpoſterè, & materia nondum evacuata exhibita tuſsim quidèm ſedant, ſed ſimul etiam mucum cum damno in pulmonibus detinent.

Int. Quæ medicamenta ſunt in ſpecie expectorantia?

R. Quæ incraſſando expectorationi inſerviunt, ſunt: Rad. *Alth. Malv. Liquiritiæ.* Herbæ: *Veronica*, *Hedera terreſtris*, *Virga aurea.* Semina: *Althea*, *Malvarum*, 4. *Frigida majora*, *Lini*, *Hyoſciami*, *Papaveris*, *Ficus*, *Paſſulæ minores*, *Jujubæ*, *Tragacantum*, *Gummi Arabicum*, *Amigdalæ dulces*, *Lac*, *ſperma ceti*, *Cremor hordæi*,

Gelatinæ variæ, Pulvis Ali recens, Species Diatragacanti; Conſervæ Roſarum; Syrupi, lyquiritiæ, de Symphito Ferneli. Pillulæ *de Cynogloſa; Theriaca, Laudanum opiatum, &c.*

INCINDENTIA.

Radices, *Heleni, Bardanæ, Angelicæ, Ari, Feniculi, Sarſaparrilla.* Herbæ: *Scabioſa, Tuſſilago, Hyſopus, Nicotiana, Eriſimus, Pulmonariæ maculata, Scordium.* Flores: *Tuſſilaginis, Sambuci.* Semina: *Aniſi, Feniculi, Cardui benedicti, Marię; Ligna, Saſſafras, Sanctum; Gummi ammoniacum, Bdellium, Benzoes, ejuſque flores, Mirrha, Succinum.* Spiritus, *Salis ammoniaci, Aniſi. Aquæ, Scabioſæ, Hyſopi, Scordii, Cherefoli.* Syrupi: *Tuſſilaginis, Scabioſæ, Hyſopi, Nicotianæ, de Eriſimo.* Conſervæ, *Hyſopi, Scabioſæ.* Extracta: *Heleni, Scabioſæ, Bellidis, Iridis Florentini, Oxymel ſquilliticum, Balſamum ſulphuris aniſatum.* Pillulæ: *Polychreſtæ Sthalii, Balſamicæ Mortonis, &c.*

FORMULÆ REMEDIORUM pectoralium.

IN FORMA DECOCTI.

℞. *Rad. enul. pimpin. alb. & helen. à* ℥ß. *herb. ſcabioſ. Hyſop. bellid. & piloſell. à m.* ß. *coq. in S. Q. aq. ad* ℔iß. *cola & col. pro uſu ſerva doſis* ℥vj.

℞. *Rad. chin. & liquirit. à* ℥j. *in fund. per noctem, & coq. in S. Q. aq. ſimplic. ſub finem coctionis adde herb. Hyſop. veron. ſcabioſ. & bellid. à m.* ß. *col. & detur pro potu pectorali in tuſſi venerea.*

IN FORMA PULVERIS.

℞. *Rad. irid. flor.* ʒj. *flor. ſulphur.* ʒß. *ſacchar.* ʒij. *ol. deſtill. aniſ. gutt.* xij. *M. D. bis, vel ter per diem* ℈j.

℞. *Pulv. Aly recent. diſpenſ.* ℥ß. *divid. in* 4. *ps. æqs.*

IN FORMA POTIUNCULÆ.

℞. *Aq. ſcabioſ.* ℥iiij. *acet. ſchillit.* ʒvj. *ſyrup. hiſop.* ℥ß. *M. S. F. potio.*

℞.

℞. *Aq. veron. & cherefol. à* ℥ij. *oximel. ſchill. & ſyrup. nicot. à* ℥ß. *m. doſ. cochlear.* ij. *aut* iij.

IN FORMA ROTULÆ.

℞. *Pulv. irid. flor.* ʒij. *flor. ſambuc. & extract. liquirit. à* ʒß. *cum S. Q. ſacchar. in aq. hyſop. ſolut. M. S. F. rotulę.*

℞. *Succ. liquir.* ʒiij. *extract. enul.* ʒj. *flor. benz.* ʒß. *C. S. Q. ſacch. in aq. hyſſop. ſolut. M. S. F. rotulę.*

IN FORMA ELECTUARII.

℞. *Conſerv. heder. terreſt. & ſcabioſ. à* ʒvj. *antihect. poter.* ʒj. *flor. ſulphur.* ʒj. *benz.* ℈j. *ſyrup. jujub. Q. S. M. S. F. electuarium.*

℞. *Conſerv. roſ. antiq. & heder. terreſt. à* ℥ß. *pulv. Aly recent.* ʒij. *ſyrup. ſcabioſ. Q. S. M. S. F. electuarium.*

IN FORMA LINCTUS.

℞. *Loch. de pulm. vulp. & ſan. expert. à* ʒvj. *pulv. Aly recent.* ʒiß. *ſyrup. heder. terreſt. Q. S. M. S. F. linctus.*

℞. *Syrup. Hyſſop. ſcabioſ. & papav. rh. à* ℥j. *extract. liquirit. enul. veron. & ſpec. diatrag. frig. à* ℈ij. *M. S. F. linctus.*

CAPUT VIGESSIMUM.

DE MEDICAMENTIS SPECIFICIS.

Int. QUæ medicamenta vocantur *ſpecifica*?

R. Juxta AA. ea, quæ huic, vel illi parti ſpeciatim ſuccurrunt occulta quadam ſympathia, & magnetiſmo: Juxta RR. autem illa remedia dicuntur ſpecifica, quæ quoad diverſam particularum ſuarum diſpoſitionem, in hujus, vel illius partis poris admitti, vel ob majorem, vel minorem activitatem, in hac, vel illa parte effectum ſuum magis oſtendere poſſunt.

Int. Reperiuntur verè talia medicamenta ſpecifica?

R. Ut vulgi Medicorum opinio fert, talia ſpecificorum remediorum genera, quæ ſempèr in omnibus ſubjectis, certò, & indubitantèr ſalutarem exſerant ef-

fectum, non reperiuntur. Ejuſmodi enim virtutis medicamenta nullibi ſunt reperienda, & falſa utiquè eſt perſuaſio, quaſi operationes, atquè effectus formaliter inſint pharmacis, & ab his tantummodò perficerentur, qui demùm ex actione medicaminis, & reactione, ſive diſpoſitione ipſius corporis reſultant: omnia quippè medicamenta agunt non tantùm ſecundùm ſphæram ſuæ activitatis, verùm etiam ſecundùm diſpoſitionem ſubjecti.

Int. Quæ ergò medicamenta dicenda veniunt ſpecifica?

R. Ea, quæ vel agendi viribus inſtructa ſunt, ut ad hunc, vel illum morbum ſanandum efficaciora ſunt, magiſque proficua; vel quæ in certo morbo ad certum edendum effectum, longa experientia innotuit, & abundè confirmata eſt: hinc cortex chinæ in ſiſtendis intermittentium paroxiſmis, opium in doloribus levandis, mercurialia in expugnanda lue venerea. Vel quæ partibus morbo affectis magis amica ſunt: ſic partes nervoſæ, & membranaceæ medicamenta aromatico fragrante oleo imbuta, quàm optimè ferunt; minùs verò narcotica, opiata, & conſtringentia.

Ventriculus acidis delectatur, ut iis perfuſus meliùs appetat, & digerat: è contrà verò pulmonum bronchia ab iis offenduntur, & ad ſpaſmos ſtimulantur.

Cantharides, & inſecta ſale volatili cauſtico prædita, nec ventriculum, nec inteſtina afficiunt; renum autèm tubuli urinarii, uretheres cum veſica, ipſaque urethera ab iis vellicantur, & ſpaſmodicis agitantur ſtricturis.

Concepta ſic virtute ſpecificorum, jam ut ſpecialiùs de his, quæ morbis magis appropriata ſunt aliquid dicendum venit. Ad febres quidèm intermittentes, maximèque earum paroxiſmos compeſcendos *cortex chinæ chinę* maximè celebratur; quia ob ſpecificum elementum amaricans balſamicum, fermentum febrile corrigit, & ob virtutem adſtringentem, ſolida languentia

in-

inſignitèr firmat. Flores camomillæ etiam numerantur inter ſpecifica febrifuga, dum ob inſitam amariciem, oleum, & vim antiſpaſmodicam, in febribus, quàm maximè proficuam, & lenitèr etiam conſtringentem tonicam vim obtinent.

Quandò verò hę febres ſunt contumaces, ob nimiam obſtructionem glandularum pancreatis, nihil efficacius eſt ad eas tollendas, quam mixtura ex mercurio dulci, regulo antimonii medicinali, & ſulphure antimoniali correcto. Eſſentia verò rhabarbari, & gentianæ cum lixivio ſalis tartari, ſpiritu ſalis ammoniaci parato, in quartana ſpeciatim, quadam efficacia ſplendet.

Quandò autem quartana adeò contumax eſt, ut omnia alia remedia eludat, mercurius dulcis, vel diaphoreticus ritè paratus, efficaciſsimæ virtutis eſt.

In omnibus inflammationibus, & in omni æſtu febrili, ſingulari quadam efficacia medetur *nitrum* purificatum cum momento *camphoræ* permixtum, eò quod præter virtutem, qua motum inteſtinum partium ſulphurearum in ſanguine figit, ob hæreſcentem quoque in vaſorum anguſtiis ſpiſſentem ſanguinem, ac lympham ſolvit, & ſimul fibras rigidas, & tenſas humectando relaxat, adeòque antiſpaſmodicam exſerit virtutem.

In maligna humorum putredine ſpecificum, & nihil præſtantiús remedium eſt, quam *camphora nitro* nupta: hæc quippè balſamica ſua vi, craſsim, & mixtionem ſanguinis conſervat, vim fermenti infringit, & perſpirationem ſine exeſtuatione, intendendo eliminationem ſordium per cutis ſpiracula egregiè promovet.

In peſte, & in morbis maximè malignis ſumum alexiterium dici meretur acetum, vel ſimplex, vel cum radicibus alexipharmacis, & cordialibus præparatum.

Succus *limonum*, *pomorum*, *citri*, *ſyrupus acetoſitatis citri*, *cum oleo de cedro conditus*, uti acida, potentèr reſiſtunt putredini, cujus matrix, & fomentum eſt

principium alkalino-ſulphureum exaltatum, tendens diſſolvere texturam, ſeu mixtionem particularum ſanguinem componentium. Ad vires penitùs proſtratas refocilandas, præcipuè in morbis malignis, nobiliſsima ſunt remedia ex *cortice citri*, & *cinamomo parata.*

Lumbrici terreſtres, vel ſuccus ex ipſis expreſſus, vel pulvis illorum præſertim cum abſorbentibus, cinnabari, & nitro remixtus, ac cum lacte aſinino, vel ſero lactis, largius, & diutiùs uſurpatus, eggregiè levant cruciatus artuum ſcorbuticos, rhæumaticos, & arthritidem vagam.

Diuturnas rhæumaticas paſsiones, & tractiones artuum moleſtiſsimas, eggregiè levat pulvis Antimonii crudi, ſi ſucceſsivè à minori ad majorem doſim aſcendendo, à granis circiter decem ad drachmæ dimidiæ pondus, quotidiè aſſumatur, interpoſito leniori ex temperatis lignis decocto.

Decoctum ex radice *Artemiſię*, Scorzonerę, Sarſaparillæ, Chinæ, Liquiritiæ, Polypodii, & hermodactilis, liberalius, & aliquandiù hauſtum podagricis eggregiè prodeſt.

Pathematibus hyppochondriacis, & hyſtericis, non ſolum aquę thermales, & acidulæ proſunt; ſed etiam inſigniter levant gummata medicamenta mali odoris, ut aſſa *fætida*, *ſagapenum*, *oppoponax*, & *caſtoreum*, quæ ſola in pillularum formam compacta, vel meliùs cum purgantibus, ut *aloe* correcta, *extracto rhabarbari*, *hellebori nigri*, *myrrha*, & croco mixta, & crebrius, moderatè tamen, uſurpata, mirificè obvios ſpaſmos placant, tonum nervearum partium firmant, & ſimul viſcidos, tenaces humores colliquant, & blandè evehunt.

Inſaniæ, tam furibundæ, quam melancholicæ, præter ſanguinis miſsiones, acidularum, & thermarum uſum necnon emetica, nonnulla ſpeciali quadam efficacia celebrantur: ut helleborus albus, ſed ejus uſus exolevit jam penitus, propter nimiam efficaciam in operando. In ea verò mentis emotione, quæ potiùs ab ani-

animi affectuum vehementia, quàm hyppochondriorum obſtructione oborta, lac aſininum, nitrum, & ſanguis aſininus, in pulverem tritus, eximiam demulcentem, effrænes nervearum fibrarum ſtricturas ſedantem poſsident facultatem.

Pulvis lumbricorum terreſtrium, ſecundinæ humanæ, cinnabaris, raſura cranii humani, & ungula alcis, plus præſtant pro ſananda epilepſia, quàm reliqua omnia, quæ pro ſpecificis numerantur antiepilepticis.

Gummi ammoniacum, balſamus peruvianus, crocus, oppoponax, vel in pillularum conſiſtentiam, vel cum tinctura tartari in eſſentiam redacta, uſum atque utilitatem præſtant incomparabilem, in aſthmate, quando à pituita, ſeu à muco viſcido in ſubſtantia vaſculoſa, ſeu veſiculoſa firmiter inhærente, ortum ducit.

Ad movendas urinas in hydropicis, valdè ſpecificus eſt pulvis cantharidarum, cum ſale tartari mixtus, additis aliquot ad arcendam inflammationem nitri depurati granis, & uno camphoræ.

In Ictero, Rhabarbarum, radix curcumæ, & rubiæ tinctorum, præſertim ſi in aqua, & vino, adjecto nitro, & ſale tartari, decoquantur, ſingularem prorsùs edunt effectum.

Ipecacuanhæ radix mirabile eſt ſpecificum pro curanda dyſſenteria, nam ut plurimum eam ita certè tollit, ut china china febres acceſsionales fugat.

Kermes mineralis potentiſsimum eſt medicamentum, ad curandas febres malignas, à coagulatione ortas; nam non ſolùm attenuat, & incindit humores craſſos, & viſcidos, ſed etiam ſpecialitèr abſorbendo acidum fermentum, ſanguinis circularem motum auget, ſecretiones, & excretiones promovet; ut plurimùm, leniter per vomitum, & ventrem, aliquandò verò, vel per ſudores, vel per urinam.

In calculoſa renum diſpoſitione ſpectatiſsima infuſionis ſummitatum Millefolii eſt facultas, quandó quis ea crebriùs, & diutiùs utitur. Nec eximia deneganda virtus *fragis* exſiccatis, fructibus *AlKeKengi*, *Cynosbati*,

ſemini *Dauci*, ac potiſsimum cortici radicis *Acaciæ*, ſi vel cum infuſo ex aqua, vel cum ſpiritu *Juniperi* temperatiori, ſumantur. Hæc enim remiſſum tubulorum renalium tonum eggregiè firmant; ſubſtantiam renum exulceratam, & ex parte diſſolutam conglutinant, atque curant.

In affectibus fœminarum, ex uteri, & maximè menſium, vel lochiorum vitio, præter *Aloem* correctam, *Myrrha*, *Croco ſuccino*, *Caſtoreo*, & *Ariſtolochia rotunda*, debita ratione in pillularum formam redactis, optimè excipiuntur, eamque ob cauſam in iiſdem affectibus, magno cum fructu præſcribuntur pillulæ *Becherianæ*, vel *Policreſtæ*.

Pillulæ ex *Aſſa fœtida*, *Sagapeno*, Mercurio dulci, & extracto Rhabarbari confectæ, ſpecificum ſunt remedium, ad enecandos, & expellendos vermes in inteſtinis nidulantes.

Nitrum in aqua ſolutum, & ſucceſsivè oblatum, multum valet ad compeſcendas hæmorrhagias; nec ad præcavendas, pulvere dentis Hippopotami, repetitis maximè vicibus, vix quidquam præſtabilius.

In gonorrhea virulenta incomparabilem præſtant efficaciam, *Terebenthina veneta* ejuſque oleum æthereum, vel loco hujus Balſamum *de Copaiva*, ſi cum, vel ſine *Camphora*, in emulſione ex ſeminibus quatuor frigidis, poſt congruum mercuriale purgans præſcribantur.

Experientia teſte, ſpecifica antiſcorbutica ſunt, *Trifolium fibroſum*, *Cochlearia*, Becabunga, Naſturtium, *Radix Armoraciæ*, &c. quorum effectus eo magis exoptatus certuſque, ſi ſuccus ex ipſis expreſſus cum ſero lactis aſſumitur. Si verò ſcorbutus inveteratus fuerit, & doloribus ſtipetur, *Strobili pini* in ſero lactis decocti, addita medulla, & pinguedine ex oſsibus boum, & vitulorum, continuato aliquando uſu, eximiè proſunt.

Ad debellandam luem veneream, inter ſpecifica remedia, primum locum tenent, argentum vivum, *lignum Guajacum cum cortice*, ipſumque *Antimonium* ritè paratum.

Ad

Ad lepram, herpetem, & ſcabiem mali moris, necnon aliàs cutis defœdationes, & ulcerationes, optimum auxilium ex *viperis* earumque decocto, necnon *Antimonio*, ac præcipuè ejus ſulphure ſperandum. In epiphora quando ſalſa, & calida fluxio cum oculorum rubedine advenit, & noctu præſertim palpebræ à viſcoſo humore conglutinantur, gr. j. *vitrioli albi*, cum butiro recenti ſubactum, & orbitæ oculi majori inditum, admirabilem fert opem. Pelliculam viſum intercipientem, recens *viperarum pinguedo* oculo inſtillata promptè abſtergit. Guttam ſerenam incipientem, egregiè diſcutit *ſulphur antimonii interius* aſſumptum.

Quando partes contractura, vel rigiditate laborant, nihil præſentius eſt, quam membra afflicta crebriùs in animalia recenter diſſecta, & adhuc calentia immittere, quo blando oleoſo, & naturali calido vapore foveantur, & fibrę tenſæ laxentur. Denique, ubi poſt lapſum, aut gravem contuſionem partium externarum, ſtagnantes, & coeuntes humores, & ſanguis varia creant incommoda, decoctum, vel infuſum *Arnicæ* omne ferè curationis punctum abſolvit, ob ſingularem qua pollet incindentem, reſolventem, & diſcutientem efficaciam.

CAPUT VIGESSIMUM PRIMUM.

DE MEDICAMENTIS CEPHALICIS.

Int. Quæ medicamenta vocantur *Cephalica*?

R. Ea, quæ cerebro amica, capitiſque affectibus tollendis deſtinata ſunt.

Int. Quot ſunt differentiæ medicamentorum cephalicorum?

R. Cephalica in duplici ſunt differentia, alia volatiliora, quæ volatilibus ſuis particulis, ſpiritus animales reſtaurant, excitant, poros cerebri, & nervorum occluſos dilatant, membranas, fibraſque nerveas variis modis vellicatas demulcent, ſerum excedens diſsipant,

pant, & ejus acrimoniam dulzorant. Alia fixiora, quæ ſpirituum ferociam, & motum continuum ligant, effrenes eorum tumultus domant, invertendo, ſaturando, & acrimoniam humorum abſorbendo.

Int. Quid obſervandum in remediorum cephalicorum exhibitione?

R. I. Spiritus per cephalica nimis calida, oleoſa, ac ſpirituoſa, & vaporoſa, numquam nimis efferandos, turbandos, ac ſic caput feriendum eſſe.

II. Camphorata nocere, quibus caput debile, & ſpiritus ſubtiliores, ac laxioris compagis ſunt.

III. Spiritus numquàm nimiùm ligandos per vaporoſa, opiata, &c.

IV. Lympham in capite, nec nimis abſumendam, vel concentrandam, nec nimis fundendam.

V. Nervis laborantibus, non tam eorum inſertioni, quam origini applicanda remedia.

VI. Acida ſola ſibi relicta, nervis inimica, ſpiritus figendo, & membranas mordicando; amica tamen maritata cum ſulphure ſubtili.

Int. Quæ medicamenta ſunt cephalica in ſpecie?

R. Radices: *Peoniæ, Valerianæ, Galangę, Zedoariæ, Iridis Florentini*; *Ligna, Saſſafras, Xyloaloes, Viſcus quercinus, Tilliaceus, Corillinus.* Herbæ, & Aquæ: *Betonicę, Camadrios, Lavendulę, Majoranæ, Melliſſæ, Pulegii, Roris marini, Salviæ.* Flores: *Anthos, Betonicæ, Lavendulę, Lilium convallium, Peoniæ, Spica nardi, Tiliæ, Stæcados.* Semina: *Peoniæ, Cubebę.* Præparata Chymica: *Succinum, Caſtoreum, Craneum humanum, Ungula alcis, Stercus Pavonis, Cinnabaris nativa, & Antimonii, Smaragdus, Saphirus*; *Magiſteria, Perlarum, Corallorum*; *Pulvis Marchionis epilepticus, Species, Diambrę*; *Extracta, Caſtorei, Succini, Zedoariæ.* Eſſentiæ: *Roris marini, Salviæ, Caſtorei, Succini.* Spiritus: *Cornu Cervi, Crani humani, Succini, Salis armoniaci.* Syrupi: *Betonicæ, Peonię, Stechados.* Conſervæ, *Acori, Florum Anthos, Salviæ, Stechados.* Confectiones: *Al-Kermes, Theriaca Smaragdorum, Hyacinthorum.* Olea:

Lau-

Lauri, Rutæ; Spicæ, Succini; Balſama Appoplectica, Perubianum. Unguenta, *Nervina, de Alabaſtro, Populeonis, &c.*

FORMULÆ MEDICAMENTORUM Cephalicorum.

IN FORMA DECOCTI.

℞. *Rad. Peon. & Valer. Silveſt. à* ℥iß. *Rad. Sarſ. parill.* ℥ß. *contuſ. coq. in S. Q. aq. ad remanent.* ℔iij. *col. & colat. add. ſyrup. flor. Peon.* ℥iß. *M. S. F. decoctum doſis* ℥v.

℞. *Rad. galang. & zedoar. à* ℥j. *irid. florent.* ℥ß. *cinnabar. nat. contuſ. & in nodul. ligat.* ℥j. *coq. in S. Q. aq. ad reman.* ℔iiij. *col. & colat. add. ſyrup. de beton.* ℥ij. *M. S. F. decoctum, doſis* ℥vj.

IN FORMA PULVERIS.

℞. *C. C. pp.* ℈j. *cinnab. antim. & ſuccin. alb. pp. à gr.* viij. *M. S. F. pulvis.*

℞. *Pulv. March. epilep.* ℈j. *ſterc. pavon.* ℈ß. *ung. alc. gr.* v. *M. S. F. pulvis.*

IN FORMA PILLULARUM.

R. *Extract. caſtor. & cran. hum. pp. à* ℈ß. *cinnab. nat. gr.* v. *M. S. F. pillulæ.*

IN FORMA POTIONIS.

R. *Aq. ceraſ. nig.* ℥iiij. *Magiſt. perl. & pulv. de Guttet. à* ℈j. *ſyrup. de beton.* ℥ß. *M. S. F. potio.*

R. *Aq. flor. til.* ℥v. *confect. AlKerm.* ʒß. *pulv. imper.* ℈j. *cinnabar. antim.* ℈ß. *ſpirit. C. C. gutt.* xx. *ſyrup. de peon.* ℥ß. *M. S. F. potio.*

CAPUT VIGESSIMUM SECUNDUM.

DE MEDICAMENTIS OPTHALMICIS.

Int. QUę medicamenta vocantur *opthalmica*?
R. Ea, quæ oculis amica, affectibus eorum ſuccurrunt.

Int.

Int. Quæ differentiæ opthalmicorum reperiuntur?

R. Multiplices, alia, quę oculos corroborant, & propriè opthalmica dicuntur, alia, quæ eorum dolorem leniunt, alia, quæ humores ad eos fluentes repellunt, alia, quæ diſcutiunt, alia, quæ exſiccant, & alia, quæ eorum ſordes detergunt.

Int. Quid obſervandum pro applicatione ophtalmicorum?

R. I. Notetur, in oculis affectis non ſolùm locum, ſed & focum ſpectandum eſſe: locus eſt oculus, focus tùm caput, tùm hyppochondria, tum maſſa ſanguinis acris, ſeroſa, ſcorbutica, &c.

II. Repellentia non debere eſſe nimiùm frigida, ſed admiſcenda lenientia.

III. Supurationem præſertim interiorem, oculis funeſtam eſſe, & ſic arcendam frigidiuſculis, & diſcutientibus, venæ ſectione, veſicatoriis, &c.

IV. Emplaſtica, & anodina oculis inflammatis potiùs nocere, quam prodeſſe, præſertim opiata, quæ magis mortificant, quàm dolorem leniunt.

V. Acriuſcula in tempore applicata, optima eſſe opthalmica.

VI. Vitanda eſſe ſternutatoria.

VII. Remedia debere eſſe à ſordibus diligentiſsimè liberata.

Int. Quæ medicamenta ſunt in ſpecie opthalmica?

R. Radices, *Valerianę*, *Heleni*, *Fœniculi*, *Caryophillatę*. Herbæ: *Betonica*, *Euphraſia*, *Verbena*, *Meliſſa*, *Chelidonia major*. Semina: *Aniſi*, *Fœniculi*, *Sileris montani*, *Cubebę*, *Succinum*. Aquæ: *Chelidoniæ majoris*, *Euphraſiæ*, *Verbenæ*, *Ruttæ*, *Roſarum*, *Fœniculi*; *Albumen ovorum*, *Alumen*, *Crocus metallorum*, *Vitrum antimonii*, *Fel Luci piſcis*, *Tutia pp.* *Vitriolum album*, *Magiſterium ſacchari Saturni*, *Crocus*, *Lac muliebre*; *Mucilagines*, *Seminis Pſilii*, *Cydoneorum*; *Sanguis columbinus*; *Medulla panis cum lacte*, *Pomorum dulcium*, &c.

FORMULÆ REMEDIORUM Ophtalmicorum.

COLIRIA REPELLENTIA.

R. *Aq. roſ. & plantag. à* ℥ij. *liquor. album. ov. agitat. ſpum. detracta* ℥j. *trochiſc. alb. rhaſ. ſin. op.* ʒß. *M. S. F. collirium.*

R. *Mucilag. ſem. pſil. & cydon. extract. cum aq. roſ.* ℥ij. *aq. agitat. album. ov. & plantag. à* ℥j. *camphor. gr.* ij. *M. S. F. collirium.*

AD DOLOREM LENIENDUM.

R. *Mucilag. ſem. cydon. & pſil. extract. in aq. roſ.* ℥iß. *aq. album. ov. detract. ſpum.* ℥j. *trochiſc. alb. rhaſ. cum op.* ʒß. *M. S. F. collirium.*

R. *Pulp. pom. coct.* ℥j. *mic. pan. alb.* ℥ß. *cum lact. M. S. F. cataplaſma.*

AD REPELLENDUM, ET ALIQUOMODO reſolvendum.

R. *Aq. roſ. & euphraſ. à* ℥j. *tuth. pp.* ℈ß. *M. S. F. collirium.*

AD RESOLVENDUM.

R. *Tuth. pp.* ℈iß. *vitriol. alb. gr.* x. *aloes lot.* ℈j. *ſacchar. cand.* ℈ij. *conter. & infund. in aq. fœnicul. & eufraſ. à* ℥iß. *col. & F. colirium.*

R. *Sal. ſaturn. gr.* xv. *ſal. ammon. gr.* iij. *aq. roſ.* ℥iij. *M. S. F. colirium.*

AD EXSICCANDUM, ET DIGERENDUM.

R. *Tuth. lot. in aq. euphr.* ʒiß. *aloes hepat. ſimiliter loct.* ʒß. *mell. opt. & pomat. recent. à* ℥ß. *M. S. F. collirium.*

R. *Aq. Regin. Hung.* ʒij. *aq. roſ.* ℥ij. *M. pro collirio.*

AD DETERGENDUM.

R. *Sacch. cand.* ʒij. *vitriol. alb. gr.* viij. *oſsis ſepię ſtercor. lacert. & mirrh.* ʒß. *M. F. pulv. tenuiſſ. excipiendus mell. majal. & pomat. recent.*

AD

AD SCABIEM PRURIGINOSAM palpebrarum.

℞. *Vin. alb. & aq. roſ. à ℥j. aloes hepat. ſubtilit. pulv. ʒj. pro ablutione palpebrarum.*

CAPUT VIGESSIMUM TERTIUM.

DE MEDICAMENTIS CARDIACIS.

Int. QUæ medicamenta vocantur *Cardiaca*?

R. Illa, quæ vires imminutas, depreſſas erigunt, reſtituunt, & confortant.

Int. Verè reperiuntur talia cardiaca?

R. Ut ut cardiacis in refocilandis viribus non deneganda ſit ſua virtus, ea tamen valdè reſtricta, & limitata eſt, & non ut vulgus putat adeſſe talia, quæ efficaciter vires depreſſas, & deficientes in omni ferè morbo redintegrant: in morbis verò non rectiùs, & certius reſtituuntur vires, quàm cauſas morbificas, quę eas frangunt, auferendo.

Int. Quomodò medicamenta cardiaca vires reſtaurant?

R. Variis modis id præſtant: vel flamulam vitalem depreſſam, nec ſatis emicantem inſtaurando particulis ſuis volatilibus balſamicis, ſeu ſpirituoſis, alacriorem ſanguinis in corde rarefactionem, & in ſpiritus exaltationem promovendo; vel flamulam vitalem præternaturam exardentem, particulis ſuis aqueis, acidis, nitroſis, mucilaginoſis, & adſtringentibus refrenando; vel acidum ſanguinem inſpiſſans, & coagulans abſorvendo, & corrigendo; vel nimis fuſam maſſam ſanguinis, ut ſpiritus ſuos vix contineat, conſtipando; vel peregrinum malignum fermentum diſcutiendo; vel ſpiritus recreando, dum vel tenuitate, & volatilitate ſua, facilè, & citò in ſpiritus convertuntur, vel eos veluti torpidos, aut minùs ſaltèm motos excitant.

Int. Quæ medicamenta ſunt in ſpecie cardiaca, ſeu cordialia?

R.

℞. Radices: *Serpentinę virginianę, Cedoarię, Scorzonerę, Caryophilatę, Acetoſæ, Bugloſę.* Folia: *Melliſſæ, Roris marini, Salvię, Acetoſæ, Acetoſellæ.* Flores 4. *Cordiales, Citri, Aurantiorum, Lilium convallium, Tunicę, Anthos, Crocus.* Semina 4. *Frigida majora, Lignum Aloes, Grana Kermes, Aromata præparata, Cornu Cervi philoſophice pp. Hebur ſine igne pp. Oculi Cancrorum pp. Lapis Bezoar Orientalis, & Occidentalis, Perlæ pp. Mater perlar. pp. Species cordiales, Diambre, Diamoſchi, Diamargaritonis, de Gemmis.* Aquæ: *Bugloſæ, Naphæ, Cinnamomi, Acaciæ.* Florum: *Sambuci.* Eſſentiæ: *Ligni Aloes, Ambræ, Cinnamomi, Elixir vitæ, Mathioli, Tinctura corallorum.* Spiritus: *Roſarum, Lili convalli. Acetum roſatum.* Syrupi: *Acetoſitatis citri, Limonum, Granatorum, Corallorum Quercetani, Bugloſę, De corticibus citri.* Conſervæ 4. *Florum cordialium, Melliſſæ, Tunicæ,* Confectiones: *AlKermes, Hyacintorum, Extractum, Ligni Aloes, Croci, Granorum Kermes.* Olea: *Cinnamomi, Cariophilorum, Citri, Ligni Rodii, &c.*

FORMULÆ CARDIACORUM.

DECOCTUM CARDIACUM REFRIGERANS.

℞. *Rad. acetoſ. & ſcorzon. à* ℥j. *herb. borrag. & acetoſell. à m.* j. *coq. in aq. Q. S. ad* ℔ij. *col. & add. ſyrup. granat.* ℥ij. *M. S. Doſ.* ℥vj.

CALLIDUM.

℞. *Rad. ſerpent. virg. & cedoar. à* ℥j. *herb. meliſſ. & ſerpill. à m.* j. *flor. anth. p.* j. *coq. in aq. Q. S. ad* ℔iiß. *col. & colatur. ad ſyrup. de cortic. citr. & cinnam. à* ℥j. *M. Doſ.* ℥vj.

POTIUNCULA FRIGIDA.

℞. *Aq. bugloſ. & borrag. à* ℥iij. *rob. rib. & verb. à* ʒiij. *confect. hyacint.* ʒj. *ſyr. grator. acidor.* ℥ß. *m. pro duab. doſ.*

CALLIDA.

℞. *Aq. ceraſ. nig.* ℥v. *cinnam. c. vin.* ℥j. *eſſent. lign. aloes* ℈j. *confect. alKerm.* ʒj. *ſyrup. cortic. aur.* ℥j. *m. doſ. cochleatim.*

EMUL-

EMULSIO FRIGIDA.

℞. *Sem. 4. frig. maj. à* ℨiß. *aq. flor. cord. Q. S. extrah. emul. colat.* ℥vj. *add. cryſtal. mont.* ℨß. *ſacchar. perlar. Q.* S. *M.* S. *F. emulſio pro una doſ.*

ELECTUARIUM CARDIACUM attemperans.

℞. *Conſerv. flor. tunic. acetoſel. & aliv. cydon. à* ℥ß. *rob. rib. & verb. à* ℨiij. *confect. hyacint.* S. *arom.* ℨiß. *ſyrup. ceraſ. acid. Q. S. M.* S. *F. elect.*

CALLIDUM.

℞. *Conſerv. meliſſ.* ℥j. *zingib. condit.* ℥ß. *pulv. cedoar. caryoph. & cubeb. à* ℈ij. *confect. AlKerm. compl.* ℨij. *eſſent. cinam.* ℨiß. *ſyrup. cort. aur. Q.* S. *M.* S. *F. elect.*

CAPUT VIGESSIMUM QUARTUM.

DE MEDICAMENTIS ALEXIpharmacis.

Int. QUæ medicamenta vocantur *Alexipharmaca*, ſeu *Alexiteria*, & *Bezoardica*?

R. Ea, quæ venenis, & humorum malignitati reſiſtunt.

Int. Quid eſt venenum?

R. Eſt illud, quod corpus humanum violenter valet deſtruere, ac in vitæ periculum, vel mortem conjicere.

Int. Quot modis conſiderari poteſt venenum?

R. Dupliciter, velut corpori infertur, & propriè dicitur venenum, vel ut in eodem producitur, & dicitur fermentum malignum veneno analogum.

Int. Quot modis lædere poſſunt venena?

R. Variis modis: nam alia lædunt inſpiratu, alia hauſtu, alia ſolo tactu, alia ictu, & morſu, alia exiguo temporis ſpatio occidentia, alia lenta, & temporaria, alia ſoli homini, alia brutis adverſa, alia univerſalia omnibus, atque ſingulis animalibus adverſa, ut *Arſenicum, Mercurius ſublimatus*, alia particularia, quorum in ſpecie humana, alia nervis, & ſpiritibus inimica,

ut

ut *ſolanum furioſum*, alia pulmoni, ut *Lepus marinus*, alia ventriculo, ut *corroſiva*, alia veſicæ, ut *canthari-des*, alia partibus ſpirituoſis, ut *ſpuma canis rabidi*; alia ſolidis magis afficiunt, alia *vegetabilia* ſunt, alia *ani-malia*, & alia *mineralia*.

Int. Quid notandum de venenis?

R. I. Venena non tam occultis, quam manifeſtis age-re qualitatibus.

II. Venena eſſe, vel corroſiva ventriculo, ſcharam, & necroſim inducentia, vel fermentativa, motum præ-ternaturalem abſolutè læthalem, vel ſummè periculo-ſum inducentia, unde calor febrilis, æſtus, deliria, &c. Vel vaporoſa, ſpiritus obnubilantia, ſuffocantia, & deſtruentia, vel mixta: prima ſolidis partibus, ſecun-da humoribus, tertia ſpiritibus in primis ſunt hoſtilia, quarta univerſis.

III. Venena mineralia agunt potiſsimum corroſivita-te. Animalia vi fermentativa peregrina. Vegetabilia vaporoſitate peregrina ſulphuris cujuſdam impuri, mu-cilaginoſi nervis inimica: venenum verò in corpore genitum, vi fermentativa tyrannidem ſuam exercet.

Int. Quomodò operantur medicamenta Alexiphar-maca?

R. Alexipharmaca vim ſuam exerunt, vel putredini reſiſtendo, vel fermentum peregrinum excludendo, roborato balſamo nativo, calore exſuſcitato, circula-tione, & motu ſanguinis, ac limphæ reſtaurato, vel obtundendo, & involvendo veneni particulas acutas, & corroſivas, vel in veneno vaporoſo, poros cerebri reſerando, illamque volatilem, & figentem glutinoſi-tatem attenuando, & in halitus reſolvendo, vel fer-mentativum deſpumando, & orgaſmum invertendo, aut coagulationem ſanguinis, vel nimiam ejus diſſolu-tionem impediendo, &c.

Int. Quid obſervandum circa medicamenta alexi-pharmaca?

R. I. Obſervandum venit, quod uti diverſa ſunt ve-nena, ita diverſa ſunt alexipharmaca.

II. Volatilia magis heroica, utpotè activiora eſſe.

III. Ubi volatilia contraindicantur, ut in infantibus, gravidis, debilibus, pulſu fræquenti, fluxu ſanguinis, &c. magis temperatis: ex illis verò, parciùs utendum.

IV. Corpora impura, quo magis volatilibus bezoardicis agitantur, eo lædi magis.

V. In venenis incognitis communi alexipharmaco potiùs utendum expulſivo; incognitis verò peculiari.

VI. In venenis mineralibus, & corroſivis conveniunt *vomitoria*, hinc *pinguia*, ut *butyrum*, *oleum amygd. dulc. lac*, & præcipitantia, ac acorem corroſivum infringentia, ut *chryſtallus.*

VII. In venenis animalium, quæcumque activiora fermentativum venenum illatum explodentia: in vegetabilibus verò, acida ſunt appropriata bezoardica.

Int. Quæ medicamenta ſunt in ſpecie bezoardica?

R. Radices: *Angelicæ*, *Carlinæ*, *Biſtortæ*, *Contraiervæ*, *Dictami albi*, *Gentianæ*, *Petaſitidis*, *Scorzioneræ*, *Tormentillæ*, *Zedoariæ*. Herbæ: *Cardus benedictus*, *Scordium*, *Ruta*, *Salvia*. Flores: *Sambuci*, *Calendulæ*, *Baccarum juniperi*, *Myrtilli*, *Camphora*, *Succinum*, *Lapis Bezohar Orientalis*, *& Occidentalis*, *Cornu Cervi philoſophice pp. Bolus armena*, *Terra ſigillata*, *Antimonium diaphoreticum*, *Bezoardicum minerale*, *martiale. Sal volatile Cornu Cervi.* Aquæ: *Scorzioneræ*, *Florum Sambuci*, *Galegæ*, *Cardui benedicti*, *Theriacalis*, *Elixir peſtilentiale Crollii.* Spiritus: *Cornu Cervi*, *Theriacalis*, *Camphoratus.* Aceta: *Bezoardica.* Syrupi: *Acetoſitatis Citri*, *de Scordio*, *Theriaca*, *Confectio AlKermes*, *Diaſcordium Fracaſtorii*, *Electuarium de ovo.* Extracta: *Scordi*, *Galegæ*, *Theriacale.* Olea: *Juniperi*, *Angelicę*, *Citri*, *Rutæ*, *Succini*, *Salvię*, *Camphoræ*, *&c.*

FORMULÆ ALEXIPHARMACORUM.

IN FORMA DECOCTI.

℞. *Rad. carlin. & biſtort. à* ℥iß. *coq. in aq. Q.S. ad* ℔iiß.

col.

col. & colat. add. confect. al Kerm. ʒij. *bezoard. miner.* ʒiß. *ſyrup. de ſcord.* ℥iß. *M. Doſ.* ℥vj. 4. *quaque hora.*

℞. *Rad. angel. & zedoar. à* ℥j. *herb. card. benedict. & ſcord. à m.* j. *flor. calend. p.* j. *coq. in aq. Q. S. ad* ℔iiij. *col. & colat. add. tinct. myrrh.* ʒß. *tinctur. Kerm.* ʒij. *camphor.* ℈j. *M. D.* ℥v. 6. *quaque hora.*

IN FORMA POTIONIS.

℞. *Aq. ſcorz. & flor. ſambuc. à* ℥ij. *aq. theriac.* ℥ß. *ſtib. diaphor. & C. C. pp. à* ℈j. *camphor. gr.* ij. *M. S. F. potio.*

℞. *Aq. card. bened.* ℥iiij. *acet. bezoard.* ℥j. *Bol. armen. & terr. ſigill. à* ℈j. *ſpirit. theriac. camph.* ʒß. *ſyrup. de ſcord.* ℥ß. *M. S. F. potio.*

IN FORMA PILLULARUM.

℞. *Extract. ſcord. & confect. hyacint. à* ℈j. *bezoard. miner.* ℈ß. *lap. bez. orient. gr.* vj. *M. S. F. pillulæ.*

℞. *Diaſcord. fracaſt.* ʒß. *pulv. C. C. philoſ. pp.* ℈j. *camphor. gr.* ij. *M. S. F. pillulæ.*

CAPUT VIGESSIMUM QUINTUM.

DE MEDICAMENTIS ADSTRINgentibus.

Int. QUid eſt *adſtrictio?*

R. Eſt operatio artificialis eum in finem inſtituta, partim ut partes, & pori nimis relaxati conſtringantur, partim, ut humores pręter naturam nimis fluentes, cœrceantur.

Int. Quotuplex eſt adſtrictio?

R. Duplex, alia, quæ reſpicit partes ſolidas nimis relaxatas, & alia, quæ reſpicit humores nimis efferatos, fluxiles, tenues, & impetuosè motos.

Int. Quomodò operantur medicamenta adſtringentia?

R. Variis modis operantur. Nàm quædam agunt temperando motum ſanguinis, in primis in hæmorrhagiis,

quæ à ſanguinis orgaſmo originem trahunt, in quibus *nitroſa*, & *ſalia neutra* magnum præſtant effectum.

Alia incraſſant, & coagulant aliquomodò ſanguinem, & ſic uberiorem ejus effluxum impediunt, uti *abſorventia*, *acida*, *nitroſa*, *&c.*

Alia fibras ſtringunt, & poros minores reddunt, qualia ſunt ſtrictè ſic dicta *adſtringentia.*

Alia motus ſpaſmodicos, & expreſſorios leniunt, uti *correcta opiata*, *&* *anodina.*

Alia externè applicata, ſanguinem affluentem incraſſant, & in pultem quaſi redigunt, ut *farina* largiter vulneribus inſperſa.

Alia condenſant ſanguinem, & ſimùl fibras conſtringunt, id quod optimè præſtat ſpiritus vini rectificatiſsimus.

Alia citiſsimè ſanguinem coagulant, ac fibras potentèr ſtringunt, *uti vitriolum*, ejuſque *oleum*, & *cauteria actualia.*

Int. A quibus indicantur medicamenta adſtringentia?

R. A laxitate partium ſolidarum, & pororum. Ab hæmorrhagia, tam à cauſa interna, quam externa orta, & ab aliis ſeroſis fluxibus.

Int. Quid obſervandum circà uſum adſtringentium?

R. I. In fluxibus ſanguinis, ad adſtringentia fortiora non ſtatim confugiendum eſt, ſed mitiora potiùs tentanda ſunt.

II. Ubicumque, coactivæ fiant fluxiones ſanguinis, aliorumque humorum, adſtringentia eaſdem non remorare, ſed promovere potiùs: per coactivas fluxiones intelligimus, provenientes, vel ab obſtructione vaſorum, & ab ordinario denegato ſpatio, vel ab orgaſmo, & copia humorum, ut alveis ſuis contineri nequeant, in quo caſu potiùs conferunt venæ ſectio, purgatio, & aperientia remedia.

III. Si hæmorrhagiæ, in primis à cauſis internis, & in ſubjectis plecthoricis præpoſterè ſiſtuntur, facilè ſequuntur ſanguinis ad aliàs partes translationes, oplectiones, inflammationes, infarctus, &c.

IV. Reſolventia, & temperantia adſtringentibus mixta, in hæmorrhagiis activis optimè conveniunt.

V. Fluxus ſeri, Diarrheæ, Diſſenteriæ, &c. per adſtringentia ſuppreſsi, multis malis anſam præbet.

VI. In eorum uſu ſempèr ratio habenda ventriculi, ne fermentum ejus deſtruatur.

VII. Adſtringentium vim augent anodina, & moderant reſolventia: ideòque perpetuò miſcenda in ſputo ſanguinis, vomitu cruento, caſu ab alto, &c.

VIII. Adſtringentia ſeligenda ſunt appropriata, cauſæ, & parti magis convenientia.

IX. Oppiata cautè reliquis remediis admiſceantur.

Int. Quæ medicamenta ſunt in ſpecie adſtringentia?

R. Hæc in duplici dantur differentia, alia inſerviunt uſui interno, alia externo, interna ſunt:

Radices: *Symphiti, Tormentillę, Biſtortæ, Plantaginis.* Herbæ: *Millefollium, Plantago, Pyrola, Sanicula, Alchimilla.* Flores: *Roſarum balauſtriarum, Papaveris rhæados.* Semina: *Hyoſchiami albi, Plantaginis, Millefollii* 4. *frigida majora, Papaveris albi; Gallæ, Sorbus, Maſtiches, Sanguis Draconis.* Aquæ: *Plantaginis, Tormentillæ, Millefollii.* Gummi: *Arabicum, Tragacanthum, Succinum, Alumen, Cornu Cervi uſtum, Bolus armena, Terra catechu, Lemnia, Sigillata, Lapis hæmatitis, Corallum rubrum, Crocus martis adſtringens, vitriolum.* Tincturæ; *Florum hypericonis, Corallorum, Martis adſtringentis, Terræ catechu.* Syrupi: *de Symphito, Fernelii, corallorum, Roſarum ſiccarum, Papaveris, Plantaginis, Pilloſellæ.* Conſervæ: *Roſarum antiquarum, Symphiti, Cydoneorum.* Extracta: *Tormentillæ, Biſtortæ, Myrtillorum, Theriaca Andromachi, Cœleſtis, Laudanum oppiatum, & liquidum. Pillulę de Cynogloſa. &c.*

EXTERNA.

Plumbum uſtum, Minium, Ceruſa, Litargirium, Saccharum Saturni, Terebenthina, Theriaca, Balſamum ſulphuris terebenthinatum, Arcei, Peruvianum, Unguentum rubrum, &c.

FORMULÆ ADSTRINGENTIUM internorum.

IN FORMA DECOCTI.

℞. *Rad. torment. & biſtort. à ℥ß. herb. ſanic. & millef. à m.j. coq. in aq. Q.S. ad ℔ij. col. & colat. add. ſyrup. de ſymphit. Fern. & roſ. ſicc. à ℥iß. M. S. doſ. ℥v.*

℞. *Rad. ſymph. & torment. à ℥ß. herb. pyrol. & ſanic. à m. j. flor. roſ. rubr. & balauſt. à p. ij. coq. in aq. Q. S. ad ℔ij. col. & colat. add. ſyrup. plantag. & de ſymphit. Fernel. à ℥j. M. S. doſ. ℥vj.*

IN FORMA PULVERIS.

℞. *Corall. rubr. pp. lap. hæmatit. & ocul. cancr. pp. à ʒß. M. divid. in 3. æquales partes. Doſ. ʒß. ſing. 4. vel 6. hor.*

℞. *Sang. Dracon. corall. rubr. pp. ſuccin. pp. & Maſtich. à ʒß. M. divid. in 4. æqual. part. detur, ut anteà.*

IN FORMA BOLI.

℞. *Conſerv. roſ. antiq. ʒß. corall. rub. pp. gr.* xxiiij. *croc. mart. adſtring. gr.* vj. *ſyrup. corall. Q. S. M. F. bol.*

℞. *Conſerv. bellid. ʒj. ſang. dracon. ℈j. terr. ſigill. gr.* viij. *ſyrup. de ſymphit. Q. S. M. F. bolus.*

IN FORMA ELECTUARII.

℞. *Conſerv. bellid. & roſ. rubr. à ʒvj. lap. cancr. pp. terr. Japon. & lap. hęmat. à ℈ij. maſſ. pillul. de cynogloſ. gr.* xij. *ſyrup. ſcabioſ. Q. S.* M. *F. elect.*

℞. *Conſerv. ſcabioſ. & heder. terreſt. à ʒvj. C. C. philoſ. pp. terr. ſigill. maſtich. balſam. peruv. & croc. mart. adſtring. à ℈j. ſyrup. roſ. ſicc. Q. S. M. F. elect.*

IN FORMA POTIUNCULÆ.

℞. *Aq. plantag. ℥vj. tinctur. corall. terr. catech. à ʒj. ſyrup. corall. ℥ß. M. Doſ. ſing. 3. hor. ℥ij.*

℞. *Aq. meliſſ. ℥iij. cinnam. cydon. ʒvj. theriac. Androm. ʒj. extract. torment. ℈j. ſyrup. corall. ℥j. M. Doſ. ut anteà.*

IN FORMA PILLULARUM.

℞. *Extract. torment. & diaſcord. ana. ℈j. tinct. corall. Q. S. M. S. F. pill.*

℞.

℞. *Extract. biſtort.* ℈j. *theriac. magn. gr.* xx. *tinctur. op. Q. S. M. S. F. pill.*

CAPUT VIGESSIMUM SEXTUM.

DE MEDICAMENTIS EMOLlientibus.

Int. QUid eſt *emollitio?*

R. Eſt ſpecies methodi medendi, cujus ope durities præternaturalis ſolidas partes occupans tollitur, & debita laxitas ipſis reſtituitur.

Int. Quot modis fieri poteſt emollitio?

R. Duplicitèr, vel per medicamenta interna, vel per externa.

Int. A quibus indicantur medicamenta emollientia?

R. Emollitionem, indicat omnis durities in partibus præter naturam occurrens, earumque functionem impediens: ut varii tumores, & infarctus, viſcera, aliaſque partes occupantes: fœces alvinę induratę, &c.

Int. Quomodò operantur medicamenta emollientia?

R. Quædam tantùm ſimpliciter humectando, & laxando fibras nerveas, irritatas, & tenſas emolliunt, uti *aqua callida.* Quædam emolliunt *mucilagine aquoſo*, uti balnea ex decoctione *emollientium*, *fotus*, *clyſteres*, & *cataplaſmata.* Quædam relaxant, *ob partes oleoſas*, quibus fibras criſpatas flexiles reddunt, & emolliunt, uti *olea*, & *pinguedines*, & ex his parata unguenta.

Quædam ſua forma emplaſtica, adhærendo parti, & occludendo ejus poros, ſpirituum effluxum inhibent ſicque ſuo calore, & humiditate, partis calorem augendo, vel fovendo, poros inſupèr, & fibras laxando, ut materia magis colligi, & coqui poſsit, ſanguinem in illa extravaſatum ſupurant, adeòque hæc *ſupurantia* vocantur.

Int. Quid obſervandum circà uſum emollientium?

R. In uſu horum notetur I. emollientia eſſe communia præſidia, non ſpecifica, & ita apropriatis commodè jungi,

gi, & miſceri; adeòque pro diverſitate affectuum, emollientibus modò jungantur reſolventia, modo, carminativa, modò alexipharmaca.

II. In uſu horum, non ſolùm partis cujuſdam tonum, ſed, & affectum, materię que contentę qualitatem, & naturam attendendum eſt: quædam enim materia promptè apta eſt, ùt diſcutiatur quædam, ùt ſupuretur.

III. In tumoribus ſchirroſis malignis, emollientia minimè applicentur, quia materiæ malignitas, potiùs in centro detinenda, & corrigenda, quàm diffundenda eſt.

IV. In tumoribus emolliendis, remediis externis ſemper jungantur interna reſolventia.

V. Si ulceribus emollientia applicantur, proptèr pororum relaxationem, major humorum fit affluxus, & ulcera magis ſordida redduntur; adeòque ſemper cum abſtergentibus miſcenda, nè ulcus nimis humidum, & ſordidum reddatur.

VI. Numquàm nimis diù emolliendum eſt, nè nimiùs ad partes affectas fiat humorum affluxus.

VII. In affectibus pulmonum, ubi copioſa mucoſa materia hæret in pulmonibus, emollientia, tam interna, quam externa minùs proſunt: quia poros relaxando, majori humorum affluxui anſam præbent.

Int. Quæ medicamenta ſunt in ſpecie emollientia?

R. Radices: *Althea*, *Liliorum alborum*, *Malvarum*. Herbæ: *Parietaria*, *Malva*, *Branca urſina*, *Mercurialis*, *Atriplicis*, *Verbaſcum*. Flores: *Chamomillæ*, *Meliloti*, *Verbaſci*, *Linariæ*, *Violarum*. Semina: *Lini*, *Fœnu greci*, *Ficus*, *Dactilli*, *Paſſulæ*, *Crocus*, *Gummi ammoniacum*, *Galbanum*, *Sperma ceti*, *Mel. Pinguedo humana*, *Cervi*, *Hyrci*, *Anſeris*, *Canis*. Olea: *Amygdalarum dulcium*, *Chamomillæ*, *Liliorum alborum*, *Lini*, *Scorpionum*. Unguenta: *Althea*, *Anodinum*. Emplaſtra: *Diachylonis ſimplex*, *& compoſitum*, *de Meliloto*, *Filii Zachariæ*, *de Cicuta*, *de Ammoniaco Foreſti*, *Mucilagines*, *Gelatinę*, *&c.*

FOR-

FORMULÆ EMOLLIENTIUM.

IN FORMA LINCTUS.

℞. Ol. amygd. dulc. ſyrup. violar. & ſacch. cand. à ℥ß. ſperm. cet. ʒij. M. S. F. linctus.

℞. Ol. lin. ℥ß. ſperm. cet. ʒj. M. pro una doſ.

IN FORMA DECOCTI.

℞. Rad. alth. & liquirit. à ℥ß. fol. malv. m. j. flor. chamom. & violar. à p. ij. dactil. & fic. ping. à n. iiij. inciſ. coq. in aq. Q. S. ad ℔ij. col. detur calidè ℥vj.

IN FORMA CLYSTERIS.

℞. Rad. alth. melil. & lil. alb. à ℥ß. herb. Malv. pariet. & violar. à m. ß. flor. chamom. p. ß. ſem. fœnu grec. & lin. à ʒij. inciſ. coq. in S. Q. aq. colat. ℥x. add. unguent. clyſmat. & ol. lil. alb. à ℥ß. vitell. ov. n. j. M. S. F. clyſter.

IN FORMA CATAPLASMATIS.

℞. Rad. Alth. & lil. alb. à ℥iij. herb. malv. parietar. & mercur. à m. j. flor. Chamom. verbaſc. & melilot. à p. j. inciſ. coq. in lact. Q. S. trajiciantur per ſetaceum, & add. farin. ſem. lin. ℥j. ol. lil. alb. Q. S. M. F. Catap.

IN FORMA UNGUENTI.

℞. Unguent. de alth. comp. ℥ij. ol. aneth. & ping. huma. à ʒvj. m.

IN FORMA BALNEI.

℞. Herb. malv. pariet. violar. & chamom. à m. vj. inciſ. includ. ſacc. & coq. in S. Q. aq. pro baln.

IN FORMA EMPLASTRI.

℞. Maſſ. emplaſt. de ammon. de hyoſc. & de cicut. à ℥j. Malaxetur ol. cherefol.

CAPUT VIGESSIMUM SEPTIMUM.

DE MEDICAMENTIS STOMACHICIS.

Int. Quæ vocantur *ſtomathica* medicamenta?

R. Ea quæ ſtomacho appropriata illi ſuccurrunt.

Int.

Int. Quomodò ſuam exſerunt virtutem?

R. Id præſtant, vel particulis ſuis volatilibus, igneum calorem ſtomachi promovendo, & conſervando, vel fibras ſtomachi conſtringendo, vel humores acres bilioſos temperando, abſorvendo, & pręcipitando, vel fermentum ejus inerte acuendo.

Int. Quid obſervandum circa uſum medicamentorum ſtomachicorum?

R. I. In omnibus medicamentis ſtomachicis adhibendis, videndum eſſe quomodò ſe habeant erga ventriculum.

II. Ita ſemper corrigendum eſſe fermentum, ne calorem, vel tonum ventriculi negligamus, ipſique noxam inferamus: & viceverſa, ita ſemper calorem alterandum, & roborandum, negligamus fermentum.

III. Refrigerantia nimium ventriculo nocent, uti etiam nimium laxantia, ut tepida, pinguia, & oleoſa, &c.

IV. Ita alterandum eſſe ventriculum, nè contrarius præternaturalis ſtatus inducatur.

Int. Quę medicamenta ſunt in ſpecie ſtomachica?

R. Radices: *Ari*, *Acori*, *Galangæ*, *Zedoariæ.* Herbæ: *Abſynthium*, *Mentha*, *Meliſſa*, *Salvia*, *Ros marinus.* Flores: *Chamomillæ*, *Spicæ*, *Salviæ*, *Roris marini*, *Roſarum.* Semina: 4. *Carminativa*, *Coriandrium*, *Cortex citri*, *Aurantiorum*, *Lignum aloes.* Aromata: *Caryophili*, *Nux moſchata*, *cinnamomum*, *Macis*, *Pulvis Sthomacalis Quercetani.* Salia: *Abſynthii*, *Centauræ minoris*, *Cræta alba*, *Cinnabaris nativa.* Aquę: *Menthæ*, *Cinnamomi*, *Abſynthii*, *Melliſſæ*, *Salviæ.* Eſſentiæ: *Abſynthii*, *Menthæ*, *Ambræ*, *Nucis moſchatæ.* Spiritus: *Maſtichis*, *Salis*, & *Vitrioli dulcis.* Elixires: *Proprietatis Paracelſi*, *Vitæ Mathioli.* Syrupi: *de Mentha*, *Abſynthi*, *Corallorum*, *Myrtillorum*, *Cydoneorum*, *Granatorum.* Conſervæ: *Menthæ*, *Florum Salviæ*, *Anethi.* Condita: *Corticum citri*, *Nucis moſchatę*, *Mirabolanorum*, *Acori.* Electuaria: *Diaſcordium Fracaſtoris*, *Theriaca*, *Mithridatum.* Confectiones: *AlKermes*, *Hyacinthorum.* Olea: *Abſynthii*, *Maſtichis*,

chis, Menthę, Nardi, Cydoneorum, Aniſi, Carvi, Balſamum Peruvianum. Emplaſtra: *De baccis lauri, de cruſta panis, Diaphœniconis, Sthomaticonis, &c.*

FORMULÆ REMEDIORUM Stomachicorum.

IN FORMA DECOCTI.

℞. *Rad. ar. & galang. à* ℥ß. *herb. menth. & ror. mar. à m.* j. *flor. chamom. p.* j. *ſem. coriand.* ℥ß. *inciſ. coq. in aq. Q. S. ad* ℔iiß. *col. & colat. add. ſyrup. abſynth.* ℥ij. *doſ.* ℥vj.

IN FORMA POTIONIS.

℞. *Aq. meliſſ.* ℥iij. *aq. menth.* ℥j. *aq. cinnam.* ℥ß. *pulv. ſtomach. Quercet.* ℈j. *ſyrup. cortic. citr.* ℥ß. *M. F. P. pro 2. vic.*

IN FORMA PULVERIS.

℞. *Pulv. corall. rubr. pp. & ebor. S. ign. pp. à* ʒß. *ſal. abſynth. & centaur. min. à* ℈ß. *eſſent. cinam. gutt.* iij. *m. pro 2. doſ.*

IN FORMA PILLULARUM.

℞. *Extract. abſynth. & theriac. mag. à* ʒß. *pulv. caryoph. & nuc. moſch. à* ℈ß. *M. & C. elixir. prop. Paracel. formentur pillul. pro 2. doſ.*

IN FORMA BOLI.

℞. *Conſerv. flor. anth. & ſalv. à* ʒß. *pulv. ſtomach. Quercet.* ℈j. *caſtor. & cinnab. nat. à gr.* iiij. *ſyrup. de cortic. citr. Q. S. M. F. bolus.*

IN FORMA ELECTUARII.

R. *Conſerv. menth.* ℥iß. *cret. alb. & pulv. corall. rubr. pp. à* ʒj. *ſpet. diagalang.* ℈ij. *balſam. peruv.* ℈j. *Syrup. cortic. aurant. Q. S. M. F. elect.*

IN FORMA MIXTURÆ.

℞. *Elix. prop. Parac. & vit. mathiol. à* ʒj. *M. dentur bis, vel ter per diem gut.* xx.

IN FORMA LINCTUS.

R. *Eſſent. abſynth. & menth. à* ʒj. *M.*

IN FORMA EMPLASTRI.

R. *Maſſ. emplaſt. diaphen. Q. S. extende ſuper adlutam; & F. ſcudum pro ſtomacho.*

CAPUT VIGESSIMUM OCTAVUM.

DE MEDICAMENTIS HÆPATICIS.

Int. Quæ medicamenta dicuntur Hæpatica?
R. Ea, quæ hæpati amica, affectibus illius ſuccurrunt.

Int. Quomodò operantur medicamenta hæpatica?

R. Id præſtant, vel particulis ſuis tenuibus, incindentibus, & abſtergentibus, vaſa aperiendo, & cruditates, ſi quæ ſint averruncando.

Vel alcalinis ſuis ſalibus maſſam ſanguinis diſſolvendo, & acidum deſtruendo.

Vel tonum ejus, villos, ac acinos glanduloſos firmando, ac roborando; vel bilem copioſam acriorem, & nimis mobilem temperando, refrenando, & denſando.

Vel etiam juxta RR. bilem inertem, aquoſam, vel viſcidam, ſeu particulis ſalinis, & ſulphureis volatilibus non inſtructam, acuendo, & reſtaurando.

Int. A quibus indicantur medicamenta hępatica?

R. Ab obſtructione hępatis, ab inertia bilis, ab ejus nimia ubertate, & ab acrimonia.

Int. Quid obſervandum in deſcriptione hępaticorum?

R. I. Medicamenta aperientia non eſſe præſcribenda, citra diluentia humores fluxiles reddentia.

II. Dulcia facilè bileſcendo, hæpar lædere.

III. Ad hępatica medicamenta referri etiam aquas acidulas, & thermas: illas locum habere ſalvis pulmonibus, & viſceribus, ubi diluendi, ac temperandi humores, ac laxitas fibrarum corrigenda, ubi humores bilioſi, calidi, ſulphurei, volatiles, alcalini peccant: thermas ubi humores acidi magis exſuperant, & corpus laxiori habitu gaudet.

Int.

Int. Quæ medicamenta ſunt in ſpecie hæpatica?

R. Radices: *Cichoriæ*, *Acetoſæ*, *Graminis*, *Quinque aperientes majores, & minores, Rubiæ tinctorum, Helleni, Calami Aromatici, Rhabarbari, Curcumę.* Herbæ: *Abſynthium, Agrimonia, Bellidis, Cochlearia, Cuſcuta, Epithymum, Fumaria, Chamędrios, Chamępithæos, Centaurum minus.* Cortices: *Capparum Caſsię ligneæ, Armoratiæ.* Ex pręparatis: *Ebur ſine igne pp. Oculi Cancrorum, Corallum, Mater Perlarum, Cinnabaris nativa, Crocus martis, Cremor, & Cryſtallus Tartari.* Pulveres: *Cachecticus Quercetani, Tartarus vitriolatus.* Salia: *Abſynthi, Centauræ minoris, Tartari.* Species: *Diatrium Santalorum, Diarrhodonis Abbatis, Dialaccæ, Diacurcumę, Trochici, Deupatorio, Pillulę, Tartareæ Quercetani.* Aquæ: *Endiviæ, Cichoriæ, Fragariæ, Menthę, Abſynthi.* Spiritus: *Aperitivus Penoti, Cochleariæ, Tincturę, Corallorum, Roſarum.* Syrupi: *de quinque Radicibus, de Cichoria cum & ſine Rhabarbaro, de Adianto.* Conſervæ: *Fumariæ, Cochleariæ, Acetoſellę, Roſarum, Salviæ.* Condita: *Corticis citri, Helleni, Acori, Nucis moſchatæ, Mirabolanorum.* Olea: *Capparum, Abſynthi, Aniſi, Carvi, Tartari, &c.*

FORMULÆ REMEDIORUM
hæpaticorum.

IN FORMA DECOCTI.

℞. *Rad. rub. tinct. & pimpin. à* ℥j. *herb. abſynth. & agrimon. à m.* j. *flor. acac. & ſchænat. à p.* ß. *coq. in aq. Q. S. ad* ℔iij. *col. & colat. add. ſyrup. aperit. Penot.* ℥ij. *M. Doſ.* ℥v.

℞. *Rad. cichor. & acetoſ. à* ℥ß. *herb. endiv. & fragar. à m.* j. *flor. cichor. p.* ij. *coq. in aq. Q. S. ad* ℔ij. *col. & colat. add. ſpir. ſal. dulc.* ʒj. *ſyrup. de cichor.* ℥ij. *m. doſ. ut anteà.*

IN FORMA PULVERIS.

℞. *Pulv. tartar. vitriolat.* ℈j. *ſal. abſinth.* ℈ß. *M.*

R. *Pulv. cachect. Quercet.* ʒß. *ſal. centaur. min. gr.* vj. *M.*

IN

IN FORMA BOLI.

R. *Conſerv. fumar.* ʒj. *tartar. vitriolat.* ℈j. *croc. mart. aperitiv.* ℈ß. *ſyrup. cochlear. Q. S. M. F. B.*

R. *Conſerv. Acetoſell.* ʒj. *Arcan. duplic.* ℈j. *nitr. purif.* ℈j. *ſyrup. cichor. Q.* S. *M. F. B.*

IN FORMA ELECTUARII.

R. *Conſerv. cochlear.* ℥ij. *pulv. ſtomach. Quercet. ocul. cancr. & matr. perl. à* ʒj. *ſal. mart.* ʒß. *ſyrup. de* 5. *radic. Q. S. M. F. elect.*

R. *Conſerv. flor. cichor.* ℥iß. *pulv. ebur.* S. *ign. pp. corall. rub. pp. & lapill. cancr. à* ℈ij. *ſyrup. oxalid. Q. S. M. F. elect.*

IN FORMA POTIONIS.

R. *Aq. beton.* ℥ij. *aq. menth. & Abſinth. à* ℥ß. *ſal. centaur. min.* ℈ß. *ſpirit. aperit. Penot. gut.* x. *ſyrup. de adiant.* ℥ß. *M.*

R. *Aq. endiv. & oxalid. à* ℥ij. *ſpirit. nitr. dulc.* ℈j. *ſyrup. cichor.* ℥ß. *M.*

IN FORMA PILLULARUM.

R. *Extract. fumar.* ʒß. *pulv. cachect. Querc.* ℈j. *croc. mart. aperit.* ℈ß. *M. F. P. argententur.*

R. *Maſſ. pillul. tartar. Quercet.* ʒß. *ſal. mart.* ℈ß. *M. & C. ſyrup. abſynth. form. pillul. deaurentur.*

CAPUT VIGESSIMUM NONUM.

DE MEDICAMENTIS SPLENETICIS.

Int. Quæ medicamenta vocantur ſplenetica?

R. Ea, quę lieni familiaria affectibus illius ſuccurrunt.

Int. Quomodò operantur medicamenta *ſplenetica*?

R. Suam edunt operationem, vel motum ſanguinis, & ſeri in liene retardatum augendo, ac humores acidos, ponticos, & auſteros, ſanguinis partes volatiles figentes corrigendo.

Vel obſtructiones aperiendo, vel ſeri ſtatum volatiliorem, ſeù acrimoniam ejus reſpiciendo.

Vel

Vel tollendo recrementa pituitoſa, tartarea, limoſa, ſero immerſa, & facilè in ſabulum cænoſum, arenulas, ac calculum ipſum fatiſcentia.

Int. A quibus affectibus indicantur medicamenta ſplenetica?

R. Indicantur ab obſtructione, infarctu, & ſcirrho lienis; à ſanguine acido, tartareo, à ſero vapido, & craſſo, & à cruditatibus acidis, viſcidis primæ regionis, ortis à mala digeſtione alimentorum.

Int. Quid obſervandum pro adhibitione horum medicamentorum?

R. I. Aquas acidulas, & thermales unicum ſæpè eſſe ſpleneticorum remedium.

II. Martialia itidèm hyppochondriacorum, & ſcorbuticorum panaceam eſſe, & dici.

III. A præcipitantibus ſummum etiam accipere remedium.

IV. Variare ſplenetica pro vario, & diverſo ſpleneticorum ſtatu, unde volatilia, tum ſalina, tum ſpirituoſa, & aromatica in ſcorbuto frigido profunt: in calido autèm nocent.

V. Dulcia ſpleni minùs amica eſſe.

VI. Lienem volatilioribus & activioribus gaudere medicamentis, quam hæpar.

VII. Diluentia actuationem ſpleneticorum, quàm maximè juvare, præcipuè ubi ſerum non abundat, vel ſtagnat.

Int. Quæ medicamenta dantur in ſpecie ſplenetica?

R. Præter hæpatica ſuperiùs dicta ſunt in ſpecie ſplenetica:

Radices: *Aſparragi*, *Fæniculi*, *Polipodium.* Herbæ: *Aſſarum*, *Becabunga*, *Chælidonia minor*, *Cochlearia.* Folia: *Ebuli*, *Galiopſis*, *Fumaria*, *Aſplenum.* Flores: *Geniſtæ*, *Bugloſæ*, *Borraginis.* Semen: *Fraxini*, *Lapis lazuli*, *Vitriolum martis.* Aqua: *Fumariæ*, *Maſſa pillular tartarearum*, *Emplaſtrum de Cicuta*, &c.

Huc quoque ſpectant medicamenta antiſcorbutica, quę ſale volatili abundantia, fermentationes corrigunt, craſ-

craſſos, & crudos humores penetrant, eoſque ſubtiles, & tenues reddunt, & obſtructiones aperiunt.

Radices: *Trifolii fibroſi, Raphani ruſticani, Acetoſæ, Cichoriæ, Pimpinellæ.* Herbæ: *Naſturtium aquaticum, Hortenſe, Becabunga, Cochlearia, Fumaria, Numularia minor, Piperitis, Summitatum pini, Semen Synapi, Pomum citri, Cortices Capparum, Tamariſci. Aquæ anti ſcorbuticæ. Spiritus, & liquores aperitivi, ut Cochleariæ, Sal Cochleariæ, Pulvis ſthomaticus Quercetani, Cachecticus ejuſdem, Vitriolum martis, Conſervæ Cochleariæ, Fumariæ, &c.*

FORMULÆ MEDICAMENTORUM *ſpleneticorum, & antiſcorbuticorum.*

IN FORMA DECOCTI.

℞. *Rad. aſparrag. & fœnicul. á* ℥iß. *herb. fumar. & chælid. min. á m.* j. *flor. geniſt. p.* ß. *crem. tartar.* ʒij. *coq. in aq. Q. S. ad* ℔iij. *col. & colat. add. ſyrup. de* 5. *radic.* ℥iij. *M. Doſ.* ℥vj.

DECOCTUM ANTISCORBUTICUM.

℞. *Rad. trifol. fibr. & raph. ruſtic. á* ℥j. *herb. becabung. & cochlear. á m.* j. *ſummit. pin. p.* ß. *coq. in aq. Q. S. ad* ℔iij. *col. & colat. add. ſyrup. fumar.* ℥ij. *M. Doſ.* ℥iiij.

POTIO SPLENETICA.

℞. *Aq. fumar.* ℥iiij. *ocul. cancr.* ʒß. *tinct. mart. aperit.* ʒß. *ſyrup. de* 2. *radic. ſin. acet.* ℥ß. *M.*

POTIO ANTI SCORBUTICA.

℞. *Aq. becabung. & chelidon. min. á* ℥iß. *ſpirit. cochlear.* ʒß. *ſyrup. fumar.* ℥ß. *M.*

PILLULÆ SPLENETICÆ.

R. *Extract. Chælidon. min.* ʒß. *vitriol. Mart.* ℈ß. *M. F. pill. deaurentur.*

PILLULÆ ANTI SCORBUTICÆ.

R. *Extract. fumar.* ℈ij. *bezoart. mart. gr.* xx. *M. F. pill. deaurentur.*

PUL-

PULVIS SPLENETICUS.

R. *Tartar. mart.* ʒß. *ſal. geniſt.* ℈ß. *eſſent. cinnam.* *gut.* ij. *M. F. pulv.*

PULVIS ANTI SCORBUTICUS.

R. *Pulv. ſtomach. Quercet.* ℈j. *ſal. cochlear.* ℈ß. *M. F. pulv.*

CAPUT TRIGESSIMUM.

DE MEDICAMENTIS NEPHRITICIS.

Int. QUæ medicamenta vocantur *Nephritica*?

R. Ea, quæ renum, veſicæ, & ureterum affectibus medentur.

Int. Quomodò operantur medicamenta nephritica?

R. Operantur, vel ſalinis ſuis particulis, materiam amurcoſam, tartaream, & coagulatam reſolvendo, ac ſabuloſam exturbando.

Vel incindentibus, rigidiſque ſuis particulis, calculum paulatim atterendo, & abrradendo, quamdiù eſt mollior, & ſabuloſus. Hæc propriè dicuntur lythontriptica.

Vel dolorem, & acrimoniam mitigando, ac reſpiciendo vellicationem, & tenſionem ſpaſmodicam plexus nervoſi, & membranoſi.

Vel mollibus, & detergentibus ſuis particulis, urinæ ardori ſubveniendo.

Int. A quibus affectibus indicantur medicamenta nephritica?

R. Indicantur ab Hiſcuria, Strangurria, & Dyſuria, á quacumque proveniant cauſa.

Int. Quid obſervandum pro adhibitione medicamentorum Nephriticorum?

R. I. Notetur, quod quæcumque medicamenta, quæ renibus proficua ſunt, etiam veſicæ competere.

II. Quælibet remedia nephritica, deberi ſuo indicanti ſpeciali, nec eſſe inter ſe confundenda, ſed diſtinguenda tempora, affectus, & remedia; videndum

etiam in ſingulis, quid magis urgeat, quid contraindicet.

III. Diuretica in calculis, quandoque obeunt, vel impuritates ad locum affectum deducendo, vel calculum magis compingendo, ablata portione aquea, & relicta tartarea, vel præſertim calculum, eumque quietum intempeſtivè ad pelvim è loculis, & tubulis ſuis præcipitando cum ſummo periculo.

IV. Abſtinendum à calidioribus in eroſione, exulceratione, ardore, gonorrhęa, &c.

V. Nephritica indigent væhiculo humido, tum alimentitio, tum medicamentoſo.

VI. Topica, ut clyſteres, balnea, unguenta, ſacculi, &c. internorum vim juvare.

Int. Quæ medicamenta ſunt in ſpecie nephritica?

R. Radices: *Althee, Ononidis, Saxifragiæ, Quinque aperientes, Lappati, Liquiritiæ.* Herbæ: *Cherefolium, Hæ-dera terreſtris, Virga aurea, Fragaria, Lignum nephriticum.* Baccę: *AlKeKengis Cynosbati, Juniperi.* Nuclei: *Perſicorum, Ceraſorum, Dactyli.* Semina: *Dauci, Lycopodii, Millefollii, Violarum, 4. Frigida majora, Pulpa Caſsiæ fiſtulæ.* Lapides: *Judaicus, Nephriticus, oculi Cancri.* Ex præparatis Chymicis: *Mille pedes pp. Sperma ceti, Cryſtallus, & Cremor tartari, vitriolum, Spiritus Vitrioli, & Salis coagulati, Sanguis Hirci pp. Sal volatile Succini, Succinum album pp. Trochiſci AlKeKengis.* Aquę: *Petroſelini, Cherefolii, AlKeKengis, Ononidis, Fragarię, Spiritus Terebenthinæ.* Syrupi, *de Althea Fernelii, Adianti, Violarum, de Mucilaginibus, De duabus, & quinque radicibus.* Olea: *Juniperi, Scorpionum, Chamomillę, Terebenthinæ, Succini, &c.*

FORMULÆ MEDICAMENLORUM nephriticorum.

IN FORMA DECOCTI.

℞. *Rad. ononid. & alth. à* ℥iß. *herb. chæreſol. & virg. aur.*

anr. à m. j. *ſem. dauc. p.* ß. *coq. in aq. Q. S. ad* ℔iij. *col. & colat. add. ſyrup. de alth.* ℥iiß. M.

IN FORMA PULVERIS.

℞. *Crem. tartar.* ℈j. *Mill. ped. pp.* ℈ß. *ſal. volat. ſuccin. gr.* vj. *M. F. pulv.*

IN FORMA PILLULARUM.

℞. *Terebenth. lot.* ʒß. *ſuccin. alb. pp.* ℈ß. *lap. judaic. gr.* vj. *M. F. pill.*

IN FORMA POTIONIS.

℞. *Aq. alKeKeng. & ononid. à* ℥iß. *mill. ped. pp.* ℈ß. *ſal. volat. ſuccin. gr.* iiij. *ſpirit. ſal. dulc. gut.* x. *ſyrup. liquirit.* ℥ß. *M.*

IN FORMA EMULSIONIS.

℞. *Sem. mill. fol. & 4. frig. à* ʒj. *cum aq. petroſelin. Q. S. extrah. emul. & add. ſyrup. de alth. Q. S. ad gratum ſaporem.*

CAPUT TRIGESSIMUM PRIMUM.

DE MEDICAMENTIS UTERINIS.

Int. QUę medicamenta dicuntur *uterina?*

R. Ea, quæ utero appropiata, affectibus illius dicata ſunt.

Int. Medicamenta uterina quomodò operantur?

R. Hæc medicamenta ſuam præſtant operationem, primò, vel menſes movendo, quatenus vel vias uteri occluſas reſerant: vel ſanguinis qualitatem vitioſam, pituitoſam, acidam, ad motum ineptam corrigunt, ut orgaſmum menſtruum recipiat, vel uterum immediatè abſtergunt, poros dilatant, ſtimulant, & emolliunt.

Vel ſecundò, fœtus, & ſecundinarum excluſionem promovendo, quatenus, vel acrimonia irritant fœtum ad calcitrationes, & agitationes, aut uterum ſtimulant, aut naturam roborant, aut vias emolliunt, aut ſpiritus animales majori copia ad fibras uteri proliciunt.

Vel tertiò, fibras uteri nerveas roborando. Vel quartò humores acres, corruptos, acidos eos lancinantes

temperando, abſorvendo, diſsipando, & figendo.

Int. A quibus affectibus indicantur medicamenta uterina?

R. A fluore albo, à menſibus, & lochiis ſuppreſsis, à ſuffocatione uterina, ſeú hyſterica paſsione, à difficili partu, à ſecundinarum retentione, &c.

Int. Quid obſervandum in adhibitione medicamentorum uterinorum?

R. I. Emenagoga, ſeù menſes moventia, ante ſolitum menſtruorum fluxum data, & ſæpiùs repetita, ut plurimùm eorum motum juvant.

II. Eadem etiam eſſe fœtum exturbantia, unde gravidis numquam exhibenda.

III. Optimum tempus movendi menſtruationes, eſſe vernum, unde 6. vel 8. diebus ante diem menſtruationis, emenagoga propinanda.

IV. In fœtu excludendo, medicamenta emenagoga, ſeu fœtum exturbantia non propinanda, niſi conſtet adeſſe veros dolores partus, & actuali niſu ad excernendum fœtum, ſic quó natura opis magis indiga, eò magis juvanda, ut in fœtu mortuo, ſecundina retenta, &c.

V. Dulcia, hyſtericis exoſa eſſe, uti etiam acida.

Int. Quæ medicamenta ſunt in ſpecie emenagoga, & hyſterica?

R. Radices: *Bryonię, Ariſtoloquiæ, Dictami, Rubiæ tinctorum, Zedoarię, Quinque aperientes.* Herbæ, & Aquæ: *Artemiſſæ, Calaminthę, Cherefolii, Abrotani, Marrubi albi, Matricariæ, Pulegii, Sabinæ, Capillorum veneris, Serpili, Artemiſſę.* Flores: *Anthos, Calendulæ, Crocus. Baccę Lauri, Cicera rubra, Aromata, Nux moſchata, Caſsia lignea, Cinnamomum, Macis, Cariophili, Borrax venetus, Myrrha, Caſtoreum, Succinum pp. Cinnabaris nativa, Aſſa fœtida, Fœcula Bryonię, Crocus martis apperitivus, Trochiſci de Myrrha.* Extractum, *Artemiſſæ, Zedoariæ, Aquæ hyſtericæ, Vitæ mulierum, Appoplecticæ, Elixir proprietatis, uterinum Crollii, Sal volatile, Spiritus Salis ammoniaci, Fuliginis.* Eſſentiæ: *Caſto-*

torei, Croci, Electuarium de baccis Lauri. Olea: *Caſtorei, Succini, Rutæ, Liliorum alborum, Sabinæ, Juniperi.* Emplaſtra: *de Tacamacha, de Galbano, de Baccis Lauri, Matricale Minſicht, &c.*

FORMULÆ MEDICAMENTORUM uterinorum.

DECOCT. PRO MOVENDIS LOCHIIS, & menſibus.

℞. *Rad. bryon. & rub. tinct.* à ℥j. *herb. artemiſ. & matricar.* à *m.* j. *bacc. laur. & cicer. rub.* à ℥ß. *flor. calendul. p.* j. *inciſ. coq. in aq. Q. S. ad* ℔iij. *col. & colat. add. ſyrup. ſabin.* ℥iij. *M. Doſ.* ℥iiij.

POTIO AD EUMDEM SCOPUM.

℞. *Aq. Sabin. & cherefol.* à ℥iß. *tinct. myrrh.* ℈j. *ſuccin. alb. pp.* ℈ß. *ſyrup. artemiſ.* ℥ß. M.

PILLUL. PRO EODEM FINE.

℞. *Extract. ſabin.* ʒß. *extract. caſtor.* ℈ß. *Borr. venet. gr.* vj. *M. F. pill. & deaurentur.*

POTIO PRO PASSIONE HYSTERICA.

℞. *Aq. meliſſ. camphor.* ℥iij. *tinctur. caſtor.* ʒß. *bezoard. Jovial. gr.* iiij. *M.*

PILLUL. PRO EODEM SCOPO.

℞. *Extract. caſtor.* ℈j. *extract. myrrh.* ℈ß. *pulv. Aſſæ fœtid. gr.* vj. *laud. op. gr.* j. *M. F. pill. deaurentur.*

Huc etiam ſpectant medicamenta, nimios menſes ſiſtentia, quæ operantur, vel motum ſanguinis refrenando, orgaſmum humorum concentrando, eorumque rarefactionem, fluxilitatem, tenuitatem coercendo, & acrimoniam, ac impetum tollendo, qualia ſunt refrigerantia, adſtringentia, oppiata, &c. Vel vaſa nimis laxa, hiantia, & eroſa conſtringendo, glutinando, firmando, fibraſque uteri roborando.

Int. Quid obſervandum circà uſum horum medicamentorum?

R. I. Adſtringentibus, maritanda ſanguinis copiam deplentia, & revellentia, ac præcipuè venæ ſectio.

II. Menſes ſiſtere, quandoque per accidens aperientia, abſtergendo amurcoſam, vaſorum acrem, & limoſam materiam.

III. In gravidis, fœtum roborantia, impropriè etiam menſes ſiſtunt.

IV. In fluore albo, primarió abſtergentia, hinc roborantia, & adſtringentia conveniunt.

V. Materiam medicamentorum menſium ſiſtentium, deſumendam eſſe, ex incraſſantibus, & adſtringentibus.

CAP. TRIGESSIMUM SECUNDUM.

DE MEDICAMENTIS CARMINATIVIS, seù flatuum expellentibus.

Int. QUid eſt flatuum expulſio?

R. Eſt medicatio artificialis, cujus ope flatus in corpore geniti, & multas moleſtias creantes, per remedia carminantia è corpore expelluntur.

Int. Quomodò operantur medicamenta flatus diſcutientia?

R. Quædam id efficiunt, humorem ſtagnantem, & vitiosè rarefactum diſplodendo, ac reſolvendo, uti aromata, & reſolventia.

Quædam, portam pandunt flatibus, uti clyſteres emollientes, laxantia, ſalia neutra, &c.

Quædam, fermentationem ex qua flatus ſuſcitantur, compeſcendo, acidumque invertendo, ac præcipitando, uti alkalia.

Quædam, partium poros, quibus flatus continentur, aperiendo, ut tranſpirent, uti reſolventia, emollientia, & dolores demulcentia.

Int. Quid obſervandum pro uſu medicamentorum carminantium?

R. I. Carminativa numquàm exhibeantur, niſi alvus ſit apperta.

II. In ſubjectis plethoricis V. S. carminativis præmiſſa, præſentaneum ſæpiùs eſt remedium.

III. Carminativa, ſeù calidiora reſolventia, præſente calore præternaturali, minùs commoda ſunt.

IV. In diſcutiendis flatibus, magis cauſam, quam effectum reſpiciendum.

V. Flatus doloroſus, carminativis, anodinis, & educentibus obtemperatur.

VI. Carminativa, interiùs humida, exteriùs forma ſicca, ut ſacculi, &c. activiora ſunt.

Int. A quibus indicantur carminativa medicamenta?

R. A flatibus ipſis inteſtina prçter naturam extendentibus, & à materia flatuum, quç ad præcavendam eorumdem generationem, removeri debet.

Int. Quç medicamenta ſunt in ſpecie carminativa?

R. Radices: *Carlinç Acori, Galangç, Zedoariæ.* Flores: *Chamomillç.* Semina: *Quatuor carminantia.* Herbæ: *Melliſſa, Mentha, Abſynthium, Chamomilla, Baccæ Lauri, Juniperi, Caryophili, Cinnamomum, Cortices Citri, & Aurantiorum, Electuarium de Baccis Lauri, Theriaca, Mithridatum, Extractum Acori, Cortices Citri conditç.* Aquæ: *Melliſſæ, Chamomillæ, Fœniculi, Cinnamomi, Theriacalis, de Corticibus Citri, Aurantiorum, Spiritus; Nitri dulcificatus.* Conſervæ: *Melliſſç, Pulpç Citri, Syrupi, Cinnamomi, Corticum Aurantiorum, Citri, Olea deſtillata, Melliſſæ, Fœniculi, Carvi, Cimini, Anthos, &c.*

FORMULÆ MEDICAMENTORUM Carminantium.

IN FORMA POTIUNCULÆ.

℞. *Aq. fœnicul.* ℥iij. *chamom. c. vin.* ℥j. *ſpirit. nitr. dulc.* ʒß. *ſal. armon. aniſat.* ℈j. *ſyrup. cortic. aurant.* ℥ß. *M. detur cochleatim.*

IN FORMA PULVERIS.

℞. *Pulv. zedoar. galang. & aniſ. à* ʒj. *cinnam.* ʒß. *ol. deſtill. aniſ. gut.* vj. *ſacchar.* ℥ß. *M. Doſ.* ʒß.

IN FORMA MIXTURÆ.

℞. *Eſſent. cinnam. & ſpir. cort. citr. à* ℨij. *ſpir. nitr. dulc.* ℨß. *M. Doſ. gutt.* 30. *vel* 40.

CAPUT TRIGESSIMUM TERTIUM.

DE MEDICAMENTIS RESOLventibus.

Int. QUæ medicamenta vocantur *reſolventia*?

R. Ea, quæ vel ſanguinem, & ſerum in vaſis ſuis, vel poris internis, vel externis ſubſiſtentem, in motum ciunt, & humorum coagulum facientem, vel factum reſolvunt.

Int. In quibus affectibus adhibenda medicamenta reſolventia?

R. Utilia ſunt, in ſiggillationibus, contuſsionibus, caſu ab alto, palpitatione cordis, coagulo humorum, ac lymphę, tuſsi, aſthmate, abſceſsibus internis, & externis, coagulatione lactis, vel ſanguinis in utero, &c.

Int. Quid obſervandum circà uſum reſolventium?

R. Alia reſolventia, ſunt generalia, ſanguinem, & ſerum reſpicientia, ut oculi cancri: alia ſpecialia, alterutrum magis reſpicientia, ut ſperma ceti ad ſerum.

II. Medicamenta reſolventia, diſtinguenda ſunt ratione affectuum, & temporum morborum.

III. Ea moderare actionem ſtipticorum, & traumaticorum, adeòque aliquando cum iis jungenda: v. g. in ſputo, & vomitu cruento.

IV. Iiſdem comitari univerſalia, ut diaphoretica, purgantia, &c. exteriùs emollientia, & paregorica.

Int. Quæ medicamenta ſunt in ſpecie reſolventia?

R. Radices: *Zedoarię, Rhabarbari.* Herbæ, & Aquæ: *Bellidis, Chęrefolii, Millefolii.* Ex præparatis: *Myrrha, Sperma Ceti, Oculi Cancri pp. Sanguis Hyrci pp. Dens Apri, Mandibula Luciì, Antimonium Diaphoreticum,*

Cin-

Cinnabaris Antimonii, Acetum deſtillatum, Acetum Schilliticum.

FORMULÆ MEDICAMENTORUM reſolventium.

IN FORMA POTIONIS.

℞. *Aq. papav. rh. & bellid. à* ℥ij. *ſtib. diaphor. & ſang. hyrc. pp. à* ʒß. *ſyrup. papav. rh.* ℥ß. *M.*

℞. *Aq. cherefol. & card. benedict. à* ℥ij. *ocul. cancr. pp.* ʒj. *acet. deſtill.* ʒiij. *ſyrup. flor. ſambuc.* ℥ß. *M.*

IN FORMA PULVERIS.

℞. *Sang. hyrc. pp. & ſtib. diaphor. à* ℈j. *cinnabar. antim. gr.* iiij. *M. F. pulv.*

IN FORMA DECOCTI.

℞. *Rad. Zedoar.* ℥iß. *coq. in aq. Q. S. ad* ℔ij. *col. & colat. add. ſyrup. flor. papav. rh.* ℥ij. *M. Doſ.* ℥vj.

CAP. TRIGESSIMUM QUARTUM.

DE MEDICAMENTIS REPELLENTIBUS.

Int. Quæ medicamenta vocantur *repellentia*, ſeù *reprimentia, & repercutientia?*

R. Ea, quæ extrinſecùs applicata, humorem influentem aliorsùm repellunt, vel levitèr impactum, in alveum ſuum redire faciunt, & ſic criſpando partem, ab humoris copia liberant.

Int. Quæ differentię repellentium reperiuntur?

R. Medicamentorum repellentium, alia eſſe frigida, & terrea, ac *adſtringentia*: alia actu, & potentia frigida, aquea, & mucilaginoſa: alia propriè *repellentia* dicta, quæ partibus affectis applicantur: alia *intercipientia* appellantur, ſeù *defenſiva*, quæ viis, per quas humor defluit, applicata facultate frigida, ſicca, terrea, & adſtringente, humoribus additum intercludunt.

Int. Quid notandum pro debita repellentium applicatione?

R. I. Repellentia non competunt in omnibus inflammationibus.

II. Non enim applicanda in partibus nobilibus.

III. Neque quandò fluxio parti principi vicina eſt, aut humor fluit ad partes in profundo loco ſitas.

IV. Si materia ſit maligna, & venenata.

V. Ubi ab animalis venenati ictu, vel morſu vulnus inflictum eſt.

VI. Si natura rectè agens, criticè materiam in partem aliquam propellit.

VII. Si humor ſit multus, & corpus adhùc plenum; vel humor jam parti ſit impactus.

VIII. Si dolor adſit vehemens.

IX. Tempus adhibendi repellentia, eſſe principium fluxionis: principio vero versùs augmentum vergente, reſolventia admiſcenda: hinc ſola diſcutienda uſurpanda.

X. Repellentia frigida, & humida conveniunt cum humor tenuis, & paucus, aut ſuperficiem corporis occupat, aut cum fluxiones accidunt, ob nimium partis calorem, aut dolor adeſt vehementior; frigida verò, ſicca, & adſtringentia, cum dolor non ita urget; & fluxiones fiunt ob partis debilitatem.

XI. Intercipientibus fortioribus utendum, in habitu corporis duriore, ubi vaſa ampliora, & influentis humoris major impetus adeſt.

Int. Quæ medicamenta ſunt in ſpecie repellentia?

R. Sunt folia: *Lactucæ, Hyoſchiami, Lenticulæ paluſtris, Umbilici veneris, Portulacæ, Plantaginis, Solani, Sempervivæ, Mandragoræ.* Semina: *Pſylii, Hyoſchiami albi, Frigida minora, Mandragoræ, Sempervivæ.* Flores: *Roſarum, Violarum, Nimpheæ.* Succi: *Granatorum, Lactucæ, Portulacę, Sempervivæ, Solani, Plantaginis, Limonum. Aceta omphancina, Albumen ovorum.* Aquę: *Solani, Nimpheæ, Roſarum, Plantaginis, Polygonis.* Olea: *Roſarum, Violarum, Nimpheę, Papaveris, Hyoſchiami, Man-*

Mandragoræ. Unguenta: *Roſatum*, *Refrigerans Galeni*, *Populeonis.* Repellentia adſtringentia, deſumuntur ex adſtringentibus.

FORMULÆ REPELLENTIUM.

REPELLENS IN PRINCIPIO FLUXIONIS applicandum.

℞. *Aq. ſolan. & nimph. à* ℥ij. *acet. roſat.* ℥ij. *applic. c. lint. frigid.*

℞. *Fol. lactuc. hyoſc. & plantag. à m.* j. *flor. roſar. & nimph. à p.* j. *coq. in aq. Q. S. ad* ℔iij. *cui add. ſucc. ſolan. & ſemperviv. à* ℥j. *acet. Roſat.* ℥ij. *M. & admov. loc. affect.*

REPELLENS IN AUGMENTO FLUXIONIS.

℞. *Aq. roſ. plantag. & flor. ſambuc. à* ℥ij. M. *applic. madefact. linct.*

Hæc dicta ſufficiant de Medicamentis repellentibus juxtà AA. doctrinam. RR. verò talia exiliunt ab uſu practico, quia poros partis conſtringendo, & humores condenſando, præpediunt eorum progreſsivum motum, ſicque inflammationem augent.

CAPUT TRIGESSIMUM QUINTUM.

DE MEDICAMENTIS TRAUMATICIS, ſeù vulnerariis.

Int. QUæ medicamenta vocantur vulneraria?

Reſp. Medicamenta vulneraria in duplici ſunt differentia, alia, quæ intùs exhibita calorem innatum roborant, putredini reſiſtunt, materiam probam pro carnis generatione ſuppeditant, ſanguinis nimiam humiditatem abſumunt, ſerum ichoreſcens corrigunt, ejuſque ſtagnationem, & vapeſcentiam, & affluxum ad partem vulneratam, moderata adſtrictione inhibent.

Alia,

Alia, quæ extrinſecus applicata, ſeu glutinant, *glutinantia dicta*, viſcoſitate ſua emplaſtica, vel adſtrictoria labiorum parietes firmando, & ſeri nativam coagulationem promovendo: ſeu carnem generant, *ſarcotica dicta*, moderatè exſiccando, ſordes blandè, & citrà acrimoniam detergendo, & ſic partium nativum calorem conſervando.

Seu cicatricem inducunt, *Epulotica* dicta, efficacitèr deſicando, ſerum in ſuperficie abſumendo, ac in pelliculam coagulando, cutemque contrahendo, denſando, & indurando.

Seu callum generant, *Parotica* dicta, oſsium alimentum vi ſiccandi, & adſtringendi, in callum, & firmitudinem oſſeam convertendo.

Int. Quid obſervandum circa uſum medicamentorum thraumaticorum?

R. I. Ex vulnerariis ſemper ea eligenda eſſe, quæ peculiarem cognationem habent cum parte præternaturam affecta.

II. Ea intrinſecùs præcipuè convenire, cum vulnera, vel ulcera ob vitioſam partis conſtitutionem non facilè curam ſuſcipiunt.

III. Non uſurpanda hæc in principio, & ubi externa ſatisfaciunt, vel ubi febris, & inflammatio adeſt.

IV. In corporibus duris, & ſiccis, & ubi caro durior generanda, convenire pulv. ſarcot. in corporibus mollioribus, forma linim. vel unguent.

V. Epulotica uſurpanda, ulcere carne nondùm omninò repleto, nè cicatrix fiat eminentior.

Int. Quę medicamenta ſunt in ſpecie vulneraria?

R. Radices: *Ariſtoloquię rotundæ*, *Chinæ*, *Ulmariæ*, *ſymphiti*, *Gentianæ*, *Plantaginis*, *Rubię tinctorum*, *Zedoariæ*, *Tormentillæ*. Herbæ: *Agrimonia*, *Alchimilla*, *Ariſtoloquia*, *Bellidis*, *Bethonica*, *Chærefolium*, *Hædera terreſtris*, *Millefolium*, *Pilloſela*, *Plantago*, *Pyrola*, *Sanicula*, *Scabioſa*, *Scordium*, *Veronica*, *Vinca per vinca*. Flores: *Hypericonis*, *Roſarum*, *Balauſtriarum*. Ligna, *Sanctum*, *Saſſafras*, *Fraxinum*, *Cortices*, *Quajaci*. Semina:

Plan-

Plantaginis, Nucis moſchatæ, Oculi Cancri pp. Sperma ceti, Bolus armena, Sanguis Draco, Antimonium diaphoreticum, Terra ſigillata, Minium, Plumbum uſtum, Lapis Calaminaris, Oleum Terebenthinæ, Petroleum, Balſamum Perubianum, de Copaivæ, Vulnerarium, Sulphuris, Unguentum rubrum, & viride, &c.

FORMULÆ MEDICAMENTORUM Thraumaticorum, ſeu vulnerariorum.

IN FORMA DECOCTI.

℞. Rad. *Chin. & ulmar. à* ℥iß. *ariſtol. rotund.* ℥j. *herb. agrim. & bellid. à m.* j. *flor. hyperic. & roſar. à m.* j. *F. decoct. in S. Q. aq. ad* ℔iiij. *col. & colat. add. ſyrup. de betonic.* ℥ij. *M. S. Doſ.* ℥v.

IN FORMA POTIONIS.

℞. *Aq. agrimon. pilloſel. à* ℥iiß. *ocul. Cancr. pp. & antimon. diaphor. à gr.* xv. *cinnabar. antimon. gr.* vj. *ſyrup. hæder. terreſtr.* ℥ß. *M. S.*

IN FORMA PULVERIS.

℞. *Pulv. Bol. Armenic. matr. perl. & ſang. Draco. à* ʒß. *nuc. moſchat.* ℈ß. *M. S. F. pulv. & divid. in* 3. *æquales part.*

IN FORMA PILLULARUM.

℞. *Extract. liquirit.* ℈j. *antimon. diaphoret. & terr. ſigillat. à* ℈ß. *ſyrup. pilloſel. Q. S. F. pill.*

CAPUT TRIGESSIMUM SEXTUM.

DE MEDICAMENTIS ARTHRITICIS.

Int. Quæ medicamenta vocantur arthritica?

R. Ea, quæ articulis appropriata, affectibus eorum ſuccurrunt.

Int. Quomodò operantur medicamenta arthritica?

R. Suam præſtant operationem, vel reſpiciendo copiam, qualitatem, acrimoniam acidam, & ſalſam ſeri, ejuſque fluxum, & motum ad articulos: vel reſpiciendo nervos, membranas, tendines, ligamenta, &

fi-

fibras nervas, ſeu irritatas, ſeu debilitatas: vel dolorem, & membranarum vellicationem.

Int. Quid obſervandum pro debita horum medicamentorum applicatione?

R. I. Notetur, quod ſæpiùs optimum medicamentum topicum arthriricum eſſe, non uti medicamento.

II. Cavendum nedùm per externa juvare intendimus, articulorum tonum deſtruamus, vel ſerum nimis exhauriendo, vel nimis laxando, ut magis influat, vel ad partes principaliores repellendo.

III. Dextro oculo corpus: ſiniſtro articulos reſpiciendos, niſi malum fuerit à cauſa externa.

IV. Topica dum blandiuntur ſenſui, ſæpè inſidioſa eſſe motui.

V. Non conſtantem æquè effectum expectari poſſe à quocumque topico, & ex his ſeligenda in primis defenſiva, & roborantia.

VI. Quæcumque magis impingunt, & figunt humores, ut repellentia, præ cęteris nociva eſſe articulis.

VII. Diſtinguenda eſſe articularia medicamenta, pro diſtinctione morborum, quibus obſidentur articuli.

Int. Quę medicamenta ſunt in ſpecie arthritica?

R. Radices: *Chinæ, Caryophilatæ, Sarſæparrillę, Helleni.* Herbæ: *Chamædrios, Camępytheos, Salvia, & omnes herbæ Cephalicæ.* Flores: *Anthos, Hypericonis, Lavendulæ, Spicæ, Stæchados, Primula veris, Hærmodactili, Oculi Cancrorum, Cinnabaris nativa, Antimonium, Sal volatile Cornu Cervi, Lumbricorum terreſtrium, Emplaſtrum diaphoreticum, Diapalmæ, de Mellito, de Ranis cum duplicato Mercurio, Cataplaſma ex Althea, de Mica panis, Spiritus vini, &c.* Ex his fiant formulæ juxta methodum ſuperiùs conſcriptum.

FORMULÆ MEDICAMENTORUM Artriticorum.

IN FORMA DECOCTI.

℞ *Rad. ſarſaparill. & hælen. à* ℥iß. *herb. Chamędr. & ſalv.*

ſalv. à m. j. *flor. anth. & hypperic. à p.* j. *hermodact.* ℥j. *F. decoct. in S. Q. aq. ad* ℔v. *col. & in colat. M. S. ſyrup. bethonic. & papav. rhæad. à* ℥j. *M.*

IN FORMA POTIONIS.

℞. *Aq. bethonic.* ℥iiij. *ſalv.* ℥ij. *antimon. diaphor. & pulv. C. C. à gr.* xv. *cinnabar. nativ. gr.* viij. *ſal. volat. lumbric. gr.* vj. *ſyrup. de Stechad.* ℥ß. *M. S. F. pot.*

IN FORMA PULVERIS.

℞. *Pulv. lumbric. terreſtr. ocul. Cancr. & C. C. pp. à* ʒß. *cinnabar. nativ.* ℈ß. *ſal. volat. C. C. gr.* viij. *M. S. & F. pulvis. Divid. in* 3. *æqual. part.*

CAP. TRIGESSIMUM SEPTIMUM.

DE MEDICAMENTIS LAC augentibus, & imminuentibus.

Int. QUæ medicamenta vocantur *Lac augentia*?

R. Ea, quæ lactis deffectum, vel imminutam quantitatem reſtituunt.

Int. Quomodò operantur?

R. Id efficiunt, vel chylum, lactis materiam ſuppeditando, ut alimenta euchyma generationi lactis copioſiorem materiam ſugerentia. Vel chylum, ſeu ſerum oleoſum fluxile reddendo, vel laxando, & aperiendo, tàm mammarum glandulas, quàm tubulos lacteos, ut ſic meliùs affluentem chylum admittant, ut flores Sambuci, Pulvis lumbricorum terreſtrium, ſem. Aniſi, Fœniculi, Cryſtallus montana, & alia.

Int. Quę medicamenta externa promovent majorem lactis ſecretionem?

R. Id præſtant mammarum frictiones, nimirùm cum panno aſpero, fortiores ſuctiones, necnon cataplaſmata, atque emplaſtra ex emollientibus parata.

Int. Quæ medicamenta vocantur lac imminuentia?

R. Ea, quæ copioſiorem lactis proventum inhibent.

Int.

Int. Quomodò hæc medicamenta operantur?

R. Id præſtant, vel chylum exſiccando, vel eumdem refrigerando, incraſſando, & ad motum ineptum reddendo, vel lac genitum reſolvendo, materiamve affluentem repellendo.

Int. Quot dantur horum medicamentorum differentiæ?

R. Horum alia internè adhibentur, ut refrigerantia, & alimenta tenuiora, pauciore in quantitate aſſumpta.

Alia externè applicantur, ut refrigerantia, & omnia actu frigida; vel diſcutientia, ut camphora, Ruta, Petroſelinum, vel adſtringentia, Folia Quercus, Flores Balauſtriorum, & ſimilia.

Int. Quid notandum in uſu horum medicamentorum?

R. I. Cavendum, ne mammæ patiantur inflammationem, hinc abſtinendum á pinguibus, oleoſis, unctuoſis, nimium ſpirituoſis, aqueis, & humidis.

II. Cavendum à ſuppuratione, hinc nullibi magis proſunt diſcutientia, & nocent repellentia, quàm in mammis.

III. Refrigerantia, & adſtringentia ſola numquàm facilè ſunt adhibenda, quia lac in mammis coagulant, ſed ſemper combinanda cum diſcutientibus.

IV. Suppurationem, dùm impediri nequit, adjuvandam, & ex duobus malis, minùs eligendum.

V. Ad lactis imminutionem contribuunt omnia, quæ ſerum copioſum evacuant, qualia ſunt purgantia, & diuretica, vel quæ ſanguinem cum chylo mixtum, alia ad loca derivare, vel imminuere poſſunt, qualia ſunt frictiones extremorum, & diſsitarum partium ad dolorem uſque; inſtitutæ item ſcarificationes, & venæ ſectiones in pedibus.

Int. Quæ medicamenta in ſpecie lac augent?

R. Flor. S*ambuc. Herb. Vinc. per Vinc. Lumbric. tereſtr. pp. Cryſtall. pp. ſem. & ol. aniſ. fœnicul. Spec. Diachriſtall. &c.*

CAPUT

CAP. TRIGESSIMUM OCTAVUM.

DE MEDICAMENTIS APHRODIACIS, & de Anta phrodiacis.

Int. QUæ medicamenta dicuntur *Aphrodiaca?*
R. Ea, quæ impotentiæ virili ſuccurrunt, veneremque ſtimulant.

Int. Quot ſunt claſſes Aphrodiacorum?

R. Hæc medicamenta in tres claſſes dividi poſſunt, ita ut alia ſint analeptica, quatenus ſpirituum defectum reficiunt, illoſque roborant, ut vinum generoſum moderatè ſumptum, ſpiritus vini, confectio alkermes completa, ambra, & aqua magnanimitatis.

Alia excitantia, quatenus ſpiritus languidos, torpidoſque ad motum excitant, ut Cinnamomum, Cardamomum, Cubebę, Z. Z. Piper, &c.

Alia ſemen augentia, ut amygdalæ dulces, piſtaceæ nuces, pineæ, oriza, millium, ova ſorbilia, & lac in in primis humanum.

Int. Quæ medicamenta vocantur Anta phrodiaca, ſeu antivenerea?

R. Ea, quæ ſalacitatem, vel nimiam in venerem propenſionem corrigunt, æſtum venereum compeſcunt, atque extingunt.

Int. Quomodò id præſtant?

R. Id efficiunt, vel ſuccum nutricium derogando, vel vias, & poros occludendo, vel ſpiritus incraſſando, hebetando, figendo, &c.

Int. Quid notandum circa uſum horum medicamentorum?

R. I. Aphrodiaca, magis reſpicere coeundi potentiam, quam concipiendi.

II. Ea magis deberi neceſsitati, quam voluptati.

III. Numquam ſtimulandam venerem, ultrà quàm ſuppetat materia.

IV. Aphrodiaca magis convenire verno, & veſpertino tempore, utilia etiam eſſe magis interna.

V. Ea ſæpiùs eſſe remedia maleficiatorum, veneficiorum, & ligatorum.

VI. Ea eſſe varianda, pro temperamentorum varietate.

VII. In uſu anti-venereorum, ſeu anta-phrodiacorum cavendum, ne vel ventriculus, vel totum corpus lædatur.

Int. Quæ medicamenta ſunt in ſpecie Aphrodiaca?

R. Radices: *Satyrionis*, *Eryngi conditæ.* Aqua: *Magnanimitatis*, *Borrax Venetus. Aromata omnia*, *Ambra, Moſcuus*, *Priapus Cervi.* Electuarium: *Dia ſatyrionis, Rotulæ ſtimulantes Minſycht, Confectio AlKermes, Semen Erucæ Nuclei, Pini, &c.* Anta phrodica ſunt: *Aqua Lactucæ, Nimpheæ, Caſtitatis, Emulſio Cannabis, Saccharum Saturni, Os Sepiæ, Nitrum, Semen Agni Caſti, &c.*

FORMULÆ APHRODIACORUM.

IN FORMA DECOCTI.

℞. *Radicis Satyr. & Eryng. ana.* ℥iß. *priap. cerv.* ℥j. *ſem. eruc.* ʒvj. *fiat decoctio in S. Q. aq. ad* ℔iij. *col. & col. add. ſyr. flor. anth.* ℥ij. *M. S. doſ.* ℥v.

IN FORMA POTIONIS.

℞. *Aq. beton.* ℥iij. *aq. magnanim.* ℥ß. *electuar. dia ſatir.* ʒj. *ambr. gr.* ij. *M. S. F. potio.*

IN FORMA BOLI.

℞. *Conſerv. flor. anth. & zinziber. ana.* ℥j. *rad. eryng. cond.* ℥ß. *pul. ſemin. ling. avis* ʒij. *rotul. ſtimul. Minſych.* ʒj. *M. S. & cum ſyrup. de Cortic. citr. F. boli pondere* ʒj. *pro doſ.*

IN FORMA PILLULARUM.

℞. *Extract. Hellen.* ℈j. *pul. ſemin. eruc. gr.* xv. *confect. AlKerm.* ℈ß. *piperi. long. gr.* iiij. *ambr. gr.* ij. *M. S. F. pillul.*

CAPUT

CAPUT TRIGESSIMUM NONUM.

DE MEDICAMENTIS ANTHELminticis.

Int. QUid ſunt medicamenta anthelmintica?
R. Sunt medicamenta vermibus machinam humanam, & præſertim inteſtina inhabitantibus contraria, ipſos fugantia, enecantia, è corpore humano educentia, necnon graviſsima ſympthomata ab ipſis oriunda mitigantia.

Int. Quomodò ſuam præſtant operationem?

R. Eorum operandi modus varius eſt, & differt, prout ipſa anthelmintica differunt; quæ in quatuor claſſes à practicis diſtingui ſolent.

Int. Quæ continentur in prima claſsi?

R. Ea, quæ vermibus contraria, hos ipſos in fugam conjiciunt; hujus generis ſunt, ingrata amaricantia, v. g. *Tanacet. Abſynth. &c.*

Int. Quæ continentur in ſecunda claſsi?

R. Ea, quæ vermes interficiunt: hæc verò multiplicis ſunt generis, alia ſunt terrea, & calcinata, ut *C.C. Ebur, uſt. Muſcus marinus, Corall. Bol. Armen. Limatur. Mart. &c.*

Int. Quomodò hæc medicamenta vermes enecant?

R. Duplici ratione hęc terrea operantur, vel enim cum acido in primis viis latitante conjuncta, vertuntur in ſalſum, vermibus infenſum, vel abſumendo humidum, vermibus detrahunt alimentum ſufficiens: Cumque ſint tenerrima animalcula, ſucceſsivè ab his remediis interficiuntur. Alia ſunt ſalſa.

Int. Quomodò ſalſa vermes interficiunt?

R. Id præſtant, ſolvendo viſcoſitates primæ regionis, in quibus nidulantur vermes, eoſque attingendo, & vellicando, mortem ipſis inferunt.

Alia ſunt alcalia fixa, & volatilia.

Int. Quomodò hæc vermes enecant?

R. Eodem modo id efficiunt, ac ſalſa.

Alia ſunt acria.

Int. Quomodò acria vermes interficiunt?

R. Hæc acrimonia ſua ipſis vermibus loco veneni eſſe ſolent: ut *Raphan. Allium, Cep. &c.*

Alia ſunt oleoſa, & pinguia, ut *Ol. Olivar. Amyd. amar. Nucl. pin. perſic. Abrotan. Hyperic. &c.*

Int. Quomodò hæc remedia interficiunt vermes?

R. Eos involvendo, ac tranſpirationem in illis impediendo, & ſuffocando.

Alia ſunt metallica, quæ ſpecifica vi vermes enecant, ut *Mercur. dulc. Æthyops miner. Cinnabar. Antimon. vel nativ.* Aq. extinctionis metallorum liquefactorum, Aur. Mart. Saturn. &c.

Int. Quæ medicamenta anthelmintica, pertinent ad tertiam claſſem?

R. Ea, quæ vermes enecatos evacuant: Hæc remedia ex purgantium claſſe ſunt accerſenda, vel per os aſſumenda, vel ſub forma clyſmatis injicienda; præ aliis autem in hoc caſu laudantur *Aloetica.*

Int. Quæ remedia pertinent ad quartam claſſem?

R. Ea, quæ vermiculos ſatiant, adeòque ſympthomata graviora imminentia præcavent, & præſentia mitigant: talia ſunt dulcia, nimirùm *Sacchar. Mel. Fic. Paſſul. Dactil. Lac. &c.*

Int. Quid notandum circa uſum anthelminticorum?

R. I. Quęcumque ſimul expellunt, & enecant vermes, optima eſſe anthelmintica.

II. Lumbricos proprios, antidoti loco non habendos: Tum quia nulla ratio, cur ſimile pellat ſimile. Tum quia vermium ſemina ſunt, & potiùs eos de novo generant.

III. Dulcia vermium eſſe illecebras, anthelmintica mortem, & ſic miſcenda, ut ſint quaſi veneni vehiculum.

IV. Ex mercurialibus non eſt abutendum, præcipuè in infantum tenellis corporibus.

V. Amara licèt ſint medicamenta præſtantiſsima, cautiſsimè tamen ſunt adhibenda, quia ex nimio eo-

rum uſu, ſæpiùs ſequta fuiſſe graviſsima ſymptho-mata.

VI. Ingrata, & amaricantia, ut præcaveantur ſymp-thomata, commodè cum dulcibus, vel etiam cum ali-mentis exhibeantur.

VII. Cavendum nè ſalia fixa, & volatilia in nimia doſi, neque infantibus exhibeantur, quia facilè læde-re poſſunt.

Int. Quę medicamenta ſunt in ſpecie anthelmintica?

R. Præter jam recenſita, ſunt, Radices: *Carlinæ, Rhabarbari, Fraxinellæ, Angelicæ, Gentianæ.* Herbæ: *Scordium, Gratiola, Nicotiana, Marrubium, Sabina, Ta-nacetum, Folia, & Flores Perſicorum.* Semina: *Santoni-ci, Citri, Tanaceti, Amygdalæ amaræ, Succi, Limonum, Granatorum.* Olea: *Deſtillata, Abſynthii, Tanaceti, Ze-doariæ, Spicæ, Camphoræ, Colocinthidis, Fel, Lauri, Tro-chiſci Alhandal.* Aquę: *Graminis, Tanaceti, Hyperico-nis, Scordii.* Eſſentiæ: *Myrrhæ, Abſynthii, Centauræ mi-noris, Zedoariæ, Elixir proprietatis.* Spiritus: *Cornu Cervi, Syrupi, de Cichoria cum duplicato Rhabarbaro, Menthæ, Abſynthii, &c.*

FORMULÆ ANTHELMINTICORUM.

IN FORMA DECOCTI.

℞. *Rad. carlin. & gentian. ana.* ℥ij. *florum perſicor. pug.* j. *herb. Marrub. & Abſynth. ana. M.* ß. *ſemin. tanacet. contuſ.* ʒij. *Q. in S. aq. ad* ℔iiij. *col. & colat. add. ſyrup. menth.* ℥iij. *M. S. doſ.* ℥vj.

IN FORMA CLYSTERIS.

℞. *Rad. gramin. & angelic. ana.* ℥ß. *herb. tanacet. & abſynth. ana. m.* j. *coq. in lact. ad remanent.* ℥v. *col. & add. mell. roſac.* ℥j. *fell. taur.* ʒj. *ol. abſynth.* ʒvj. *ſal. commun.* ʒj. *M. S. F. clyſter.*

IN FORMA PULVERIS.

℞. *Pulv. ſemin. ſanton. & tanacet. ana.* ʒj. *M. S. F. pulvis. Doſ.* ʒß.

IN FORMA PILLULARUM.

℞. *Extract. abſynth. & aloes ana.* ℥ß. *æthiop. mineral.* *gr.* x. *M. S. F. pillulæ.*

CAPUT QUADRAGESSIMUM.

DE MEDICAMENTIS ABSORVENTIBUS

Int. QUæ medicamenta dicuntur abſorventia?

R. Abſorventia ſunt medicamenta alterantia, acidos, & acres humores imbibentia, & contemperantia, necnon ſalſos, & ſulphureos temperantia, figentia, atque enervantia.

Int. Quæ medicamenta in ſpecie acidos humores temperant, & in tertium quoddam mutant?

R. Limatura Martis, Oculi Cancri pp. Mater Perlarum pp. Margaritæ pp. Corallum pp. Creta pp. Cornu Cervi uſtum, Ebur uſtum, & Lapides varii generis.

Int. Quę medicamenta in ſpecie acres, ſalſos, & ſulphureos humores figunt, ac temperant?

R. Omnia medicamenta *terrea*, magis, vel minús *unctuoſa*, v.g. *Terræ pingues* ex regno minerali deſumptæ, *ſigillatæ*, vel non *ſigillatę*, uti ſunt, *Bolus armena, Terra lemnia, Antimonium diaphoreticum, ejus ceruſſa.* Ex animali regno, omnia *oſſa*, ac *cornua philoſophico* more parata, ac calcinata, uti ſunt, *Cornu Cervi philoſophicè pp. Dens Apri, Mandibula, Luci piſcis, &c.*

Int. In quibus morbis eſt utilis uſus abſorventium?

R. Præſtantiſsima ſunt, in affectu hyppochondriaco, febribus intermittentibus, pręſertim quartana, morbis infantium, torminibus ventris ex cauſa acida, & in melancholia hyppochondriaca: Cautè tamen, & non niſi reſeratis priùs obſtructionibus, ac primis viis probè expurgatis uſurpanda: ſicque in viſcerum obſtructione, lienis, vel hepatis infarctu, ictero, cachexia, diſpoſitione ad hydropem, rarior ſit uſus abſorventium, vel planè nullus; utpotè augmentum obſtructionibus addunt, atque morbum pejorem reddunt.

Ab-

Abſorventia terrea,in intermittentium cura, optimè permiſcentur cum *ſalibus alcalinis*, *&* *Mercurio dulci*, ſicque evadunt potentiſsima anti febrilia.

In morbis acutis, & febribus malignis, ubi blanda diaphoreſi opus eſt, & nimia adeſt humorum commotio, abſorbentia ex animalium regno deſumpta, ac cum cinnabarinis permixta, egregiam locant operam.

In Diarrhæis, tam infantum, quam adultorum, abſorventia terrea ſunt commodiſsima, quia pręter vim demulcendi humorum acredinem, tonum etiam inteſtinorum nimis ſolutum, roborant, ac firmant.

Int. Quid notandum circa uſum medicamentorum abſorbentium?

R. I. Notandum, quod omnia abſorventia in eo conveniunt, quod acidum abſorbeant, atque pręcipitent: differunt tamen inter ſe ratione peculiaris energiæ, atque virtutis, quam unum præ alio poſsidet: ſic per experientiam conſtat, limaturam *Martis* pręter virtutem abſorbentem, leniter conſtringere. *Corallia*, *Lapilli Cancrorum*, *&* *mater perlarum* abſorvent, ſimulque diaphoreſim, aut diureſim excitant. *Creta* tamen valdè refrigerat, atque incraſſat. *Bolus Armen.* *&* *terræ ſigillat.* ſimul adſtringunt, & incraſſant. *Lapis ſiſſorius*, *&* *Alabaſtrum* in morbis ardentibus, magno cum fructu adhibentur.

II. Commodiſsimè abſorbentibus pręmittuntur, vel etiam aſſociantur aperientia, & ſubjunguntur leniora evacuantia, quo acidum correctum, etiam evacuetur, nè obſtructiones creet, aut ſi adfuerint, nimium augeat.

III. Vehiculum abſorbentibus commodiſsimum præbent *diluentia aquea*, ut abſque nauſea aſſumi queant, ut aqua ſimplex, decoctum Cornu Cervi, &c.

IV. Inter abſorventia, ſalia vegetabilium fixa eminent: quæ quo magis ſunt uſta exicata, & calcinata, eò pręſtantiorem producunt efficaciam in acido deſtruendo, viſcidoque attenuando.

V. Alcalia fixa in nimia quantitate non ſunt exhi-

benda, deſtruunt aliàs penitùs fermentum ventriculi acidum, nimis obturando; unde appetitus emoritur, digeſtio vitiatur, maximè ſi aſſumuntur ventriculo vacuo.

FORMULÆ MEDICAMENTORUM *abſorventium.*

IN FORMA POTIONIS.

℞. *Aquæ card. bened.* ℥iij. *corn. cerv. pp.* & *ſtib. diaphor. ana. gr.* xv. *terr. ſigill. gr.* x. M. *S. F. potio.*

IN FORMA PULVERIS.

℞. *Dent. apr. pp.* & *hebor. uſt. ana.* ℈ij. *corall. rub. pp.* ʒß. *M. S. F. pulv. doſ.* ʒß.

CAP. QUADRAGESSIMUM PRIMUM.

DE MEDICAMENTIS APERIENTIBUS.

Int. QUę medicamenta dicuntur aperientia?

R. Ea, quæ obſtructiones vaſorum reſerant, ſanguinem fluidificant, ejuſque circulum liberiorem efficiunt.

Int. Ex quibus regnis ſumuntur medicamenta apperientia?

R. Ex vegetabili. & minerali.

Int. Quæ medicamenta in ſpecie ſumuntur ex vegetabili?

R. Ex hoc, omnibus palmam facilè prærripiunt amara ſale alcalino terreſtri, fixo ſulphureo referta: cujus auxilio ſanguini inducunt tenuitatem, achores primarum viarum corrigunt, ac tollunt, obſtructiones in viſceribus conſiſtentes aperiunt, alvumque ſtimulant, ut *Scordium, Cardus benedictus, Abſynthium, Gentiana, Centaura min. Fumaria*, & inde parata extracta: ſunt medicamenta polycreſta, quæ commodè adhibentur in cachexia, ventriculi vitiis à cauſa frigida, ictero, affectu hyppochondriaco, ac hiſterico, obſtructione, ſchirreſcentia hæpatis, & lienis.

Ex-

Extracta amara circunſpectè data, evacuationes ſanguinis ordinarias ſuppreſſas revocant, eademque nimias etiam ſiſtunt, quoniam obſtructiones viſcerum, quæ nimiarum hæmorrhagiarum genitrices ſunt, removent.

Extracta amara, ſemper præferenda ſunt infuſis, ac eſſentiis, & optimè aſſumuntur ſub forma pillularum. Amaris ratione virtutis aperitivæ, proximè accedunt acria mitiora, ſale tenui acri volatiliori prædita, qualia ſunt rad. *Aſparrag. Fœniculi, Petroſelini, Apii, &c.*

Int. Quæ remedia petuntur pro ſcopo aperitivo ex regno minerali?

R. *Martialia*, & *Mercurialia* remedia non infimum merentur locum, adeòque ex martialibus commendantur *Limatura Martis*, *Crocus Martis aperitivus*, *Tinctura Martialis aperitiva Zuvelferi*, *Tinctur. Martis, Solaris, &c.* Ex Mercurialibus aperiendi virtute gaudent *Cinnabarina*, *Mercurius dulcis*, *atque ſolaris.*

Aperientium claſſem porró ingrediuntur *ſalia media*; quæ præter virtutem incindentem, & abſtergentem, etiam deobſtruunt, ac viſcerum infarctum tollunt.

Int. Quæ ſalia media deobſtructiva reperiuntur?

R. Hanc vim poſsident *Tartarus Vitriolatus*, *Arcanum duplicatum*, *Tartarus tartarizatus*, *Terra foliata*, *Tartari ſolutio*, *Lapillorum Cancrorum*, *Sal digeſtivum*, *Silvii, &c.*

Int. Quid obſervandum circa uſum medicamentorum Martialium?

R. I. Cautiſsimè procedendum eſt in præſcriptione martialium, ſiquidem infida ſunt, *adſtringentia*, *& aperientia.*

II. In ordinandis martialibus, ſempèr individua probè ſunt conſideranda. Non facilè exhibenda ſunt illis, quæ ſiccioris, & callidioris ſunt naturæ, item Pthiſicis, valdè debilitatis, nec lactantibus, nutricibus, gravidis, &c.

III. Poſt martialium uſum, ſemper motus maximoperè imperandus eſt: motus enim horum virtutem mirùm actuare, & excitare ſolet.

IV. Evacuantia, tam per ſuperiora, quam per inferiora commodè præmittuntur martialibus.

V. Nitroſa, & ſalia neutra, ſive media, optimè miſcentur cum martialibus: horum enim virtutem mirùm augent.

FORMULÆ MEDICAMENTORUM aperientium.

IN FORMA DECOCTI.

℞. *Rad. aſparrag. & apii ana.* ℥ij. *baccar. juniper.* ℥j. *herb. Abſynth. & gentian. ana. M. j. aq. Q. S. F. decoct. ad* ℔iij. *col. & colat. add. ſyrup. de quinq. rad.* ℥ij. *tinctur. mart. aperit.* ʒiij. *M. S. doſ.* ℥v.

IN FORMA POTIONIS.

℞. *Aq. chærefol. & petroſel. ana.* ℥ij. *arcani dupl. gr.* xv. *ſal. geniſt. gr.* x. *M. S.*

IN FORMA PULVERIS.

℞. *Arcan. duplic. & terr. foliat. tart. ana.* ʒj. *ſal. abſynth.* ʒß. *ol. deſtill. aniſ. gut.* iij. *M. S. F. pulvis divide in 6. partes æquales.*

IN FORMA PILLULAR.

℞. *Extract. centaur. min. gr.* xiiij. *croc. mart. aperit. gr.* x. *M. S. F. pillulæ.*

CAP. QUADRAGESSIMUM SECUNDUM.

DE PONDERIBUS, AC DOSIBUS medicamentorum.

Int. MEdicamenta in ordine ad compoſitionem, quomodò exiſtimantur in foro medico?

R. Exiſtimantur, vel pondere, vel *menſura*, vel *numero*, vel *acervo*.

Int. Quid, & quæ ſunt pondera medicamentorum, & quomodò in officinis ſcribuntur?

R. Sunt corpora, ad quorum quantitatem medicamenta ponderantur.

Int.

Int. Quid eſt ponderis initium in uſu medico?

R. I. *Granum* : gr. quod piperis albi, vel hordei granum adęquat.

II. *Scrupulus* : ℈j. pendet gr. xxiiij.

III. *Drachma* : ʒj. tres ſcrupulos continet.

IV. *Uncia* : ℥j. pendet ʒviij.

V. *Libra*: ℔j. eſt pondus ℥xij. Pondere, & lance expenduntur pleraque arida; liquida verò menſuris, quæ ſunt vaſa libris, & unciis deſignata.

Int. Quæ medicamenta ſtimantur *numero*?

R. Fructus, & ſemina majora.

Int. Quomodò inſcribitur numerus?

R. *Numerus* ſic : N. vel num. vel par. 2. 3. &c.

Int. Quę medicamenta deſcribuntur acervo?

R. *Acervo* deſcribitur medicamentorum quantitas per pugillos. P. id eſt, quantum adductis digitorum apicibus attollitur; reſpondetque ʒij. vel iij.

Per *manipulos* : M. id eſt, quantum manu comprehendi poteſt, reſpondetque ℥ß. vel ʒvj.

Per *faciculos* : F. id eſt quantum brachio complicato, tenere licet : uſus horum ſunt herbæ, folia, flores, &c.

Ana inſcribitur à, vel à à, id eſt eorum, quæ recenſentur, æqualis debet eſſe quantitas.

Partes æquales : P. Æqu.

Gutta : G. T.

Quantum ſufficit : Q. S.

Quantum vis. Q. V.

Quantum placet : Q. PL.

Secundum Artem : S. A.

Lege Artis : L. A.

Signetur : S.

Balneum Mariæ : M. B.

Stractum ſuper ſtractum : S. S. S.

Miſce fiat : M. F.

Sit pondus quoddam *dimidium*, tunc ſic, v. g. ℈ß. ʒß. ℥ß.

Cochleare plenum ʒiij. vel ℥ß. correſpondet.

Miſ-

Miſce fiat pulvis. M. F. Pulv. Divide : div. *In doſes:* in doſ.

Quando præſcribuntur pillulæ in fine formulæ, apponuntur litteræ ſequentes : M. F. L. à pillul.

In emulſionibus : F. L. à emulſ. Verbis enim : L. à, admonetur Pharmacopæus, methodo conſueta procedendum eſſe.

Int. Quid quandoque facimus, præſcribendo formulas?

R. Compendium, ſub titulo uno plura intelligentes medicamenta.

Int. Cur Pharmacopæi noſſe debent hæc compendia?

R. Ne Medicus ſemper opus habeat, ea in ſpecie recenſere.

Int. Qua in claſſe illa comprehenduntur?

R. Sequenti : Quinque radices aperientes ſunt *Apii, Aſparragi, Fœniculi, Petroſelini, & Ruci.*

Quatuor herbæ emollientes, *Althæa, Beta, Malva, & Viola,* alii addunt, *Brancam Urcinam, & Parietariam.*

Quinque herbę capillares : *Capillus Veneris, Phillitis, Politrichum, Ruta muraria, & Ceterach.*

Tres flores cordiales : *Borraginis, Bugloſæ, & Violarum.*

Quatuor ſemina calida majora : *Aniſi, Cardamomi, Cumini, & Fœniculi.*

Quatuor ſemina calida minora : *Ammeos, Apii, Carvi, & Dauci.*

Quatuor ſemina frigida majora : *Cucumeris, Cucurbitæ, Citrulli, & Melonum.*

Quatuor ſemina frigida minora : *Cichorei, Endiviæ, Lactucæ, & Portulacæ.*

Lapides quinque prætioſi : *Granatus, Hyacinthus, Saphirus, Carneolus, & Smaragdus.*

Int. Quid tenendum eſt de Medicamentorum internorum doſi?

R. Medicamentorum doſis neque lingua proferri, neque calamo præſcribi potes, ut nobis docuit *Galenus.* Verum tamen eſt, quod metitur à viribus, nam propter di-

ver-

verſam ſubjectorum conſtitutionem, ac vires, augetur, aut minuitur medicamentorum doſis. De hac enim in præſenti tractandum venit, & licet ſuperiùs jam de aliquibus emeticis, & purgantibus diximus, attamèn pro majori tyronum inſtructione, hic agemus ſpeciatim de omnium emeticorum, purgantium, & alterantium doſi.

DOSIS SPECIALIS EMETICORUM regni vegetabilis, in quo continentur.

RADICES.

Aſſari in ſubſtantia à ʒß. ad ℈iiij. in decocto à ℥j. ad ℥ij.
Hellebori albi, cujus extractum ad ℈j. exhibetur.
Ipecacuhanæ, in ſubſtantia à ℈j. ad ʒj.
Squillæ, cujus oxymel infantibus, ad ℥j. præſcribitur.

FOLIA.

Gratiolæ, à ℈j. ad ℈ij.
Nicotianę, cujus decoctum, à ʒj. ad ℥ß.
Sedi vermicularis, in ſubſtantia ʒß. in decocto, ad ℥ij.
Sambuci, *& ebuli folia prima*, *juli* dicta, decocti illorum aliquot unciæ propinentur.

FLORES.

Jacæ, & Perſicariæ, quorum ſyrupus infantibus ad ℥j. præſcribitur.

REGNI MINERALIS.

EX ANTIMONIO.

Reguli Antimonii medicinalis, à gr. iiij. ad ℈j.
Florum Antimonii, à gr. ij. ad gr. iiij.
Sulphur Antimonii, à gr. iiij. ad gr. vj.
Vitri Antimonii, à gr. iiij. ad gr. vj.
Croci metallorum Rulandi, à gr. vj. ad viij.
Aquæ benedictæ Rulandi, à ℥ß. ad ℥j.
Oxyſacchari emetici *Angeli Sale*, à ʒij. ad ℥ß.
Syrupi rubi idæi emetici, à ʒj. ad ʒij.

Sa-

Sapæ vomitoriæ Sylvii, à ʒij. ad ℥ß.
Tartari emetici, à gr. j. ad gr. vj.
Mercurii vitæ, à gr. j. ad gr. iij.
Roſæ mineralis Angeli Sale, à gr. j. ad iij.
Infuſorum Antimonialium quorumcumque nominatorum, ad ℥j.

EX MERCURIO.

Mercurii precipitati rubri, ſeù arcani corallini, à gr. ij. ad gr. v.
Turpethi mineralis, à gr. j. ad gr. vj.
Mercurii præcipitati albi, & auri vitæ Kegleri, à gr. j. ad gr. ij.

EX VITRIOLO.

Vitrioli albi depurati, à gr. xv. ad ʒß.
Gillę Paracelſi, à ℈ij. ʒj.
Salis Vitrioli, à ℈ß. ad ℈j.
Mannæ Vitrioli, & Cryſtalli Lunæ, à gr. j. ad gr. iv.

DOSIS SPECIALIS PURGANTIUM.

REGNI VEGETABILIS.

Acaciæ Florum infuſio ℥j.
Agarici in ſubſtantia, à ʒj. ad ʒij.
Aloës, à gr. x. ad ℈j.
Bryoniæ in ſubſtantia, ʒj. ad ʒij. infuſ. ad ℥ij. ſucci ad ℥j.
Carthami ſeminis, à ʒß. ad ʒij.
Caſsiæ fiſtulę, à ʒij. ad ℥j.
Cataputiæ, à gr. ij. ad gr. vj.
Centauræ minoris extract., à ℈j. ad ʒß.
Colocynthidis, in ſubſtantia, à gr. vj. ad ℈ß. extracti ejus, à gr. iij. à gr. vj.
Cyclaminis ſucci, à ℥ß. ad ℥j.
Ebuli radicis, in ſubſtantia ad ℈j.
Elaterii, à gr. j. ad ℈ß.
Hellebori nigri, à gr. j. ad gr. iv.
Epithymi infuſ. à ℥j. ad ℥ij.

Eſulæ extract. , à gr. j. ad iij.
Gratiolæ herbæ , infuſ. à ʒj. ad ℥ß.
Gummi guttæ , à gr. v. ad ℈ß.
Hermodactyl. à ʒj. ad ʒij.
Jalappæ in ſubſtantia , à ℈ß. ad ʒß.
Iridis Florentini , à gr. iij. ad ℈ß.
Iridis noſtratis radicis , à ʒß. ad ʒj. infantibus , à gr. j. ad iij.
Mataliſtę , & *Mechoacannę*, à ℈j. ad ℈ii. infuſ. ℥ß.
Mannæ , à ℥j. ad ℥iiij.
Mazeræi , ſeu *laureolæ*, Mirabolanorum , à ℥ß. ad ℥j.
Perſicarum florum conſerv. à ʒj. ad ℥ß.
Polipodii radicis infuſ. ℥ij.
Pſylii ſemen , à ʒß. ad ʒj.
Rhabarbari , in ſubſtantia , à ʒß. ad ʒj.
Roſarum pallidarum ſyrup. ℥iß. ad ℥iiij.
Soldanellæ , & *ſcammonij*, à gr. v. ad ℈j.
Sennæ foliorum infuſ. ℥j.
Tamarindorum decoct. à ℥j. ad ℥ij.
Turpethi vegetabilis , in ſubſtantia , à ℈j. ad ʒß. reſinæ ejus , à ℈ß. ad gr. xv.

REGNI MINERALIS.

Auri fulminantis , à gr. j. ad gr. vj.
Magneſię albę , à ʒj. ad ℥ß.
Mercurij dulcis, à ℈ß. ad ℈j.
Nitri , à ʒj. ad ʒij.
Salis Anglicani , à ʒiij. ad ℥j.
Tartareorum , à ʒj. ad ʒij.

Int. Quænam ſunt doſes medicamentorum alterantium?

A

R. Sequentis : Aceta ſimplicia à ʒij. ad ℥j. compoſita , v. g. Theriacale , Bezoardicum , Prophylacticum, Schylliticum à ʒj. ad ʒvj.

Aco-

Acorus condit. ad ʒij.

Antidotus Mathioli ad ʒiſs.

Antimonium diaphoreticum à ℈ſs. ad ℈ij.

Apozema alterans ab ℥ij. ad ℥vj.

Apozema purgans ab ℥j. ad ℥v.

Aquæ deſtillatæ ſimplices, cum aqua fontana, ad libitum.

Aquæ per ſe deſtillatæ ab ℥j. ad ℥iij.

Cum vino deſtillatæ à ʒij. ad ℥j.

Compoſitæ, v. g. Anhaltina Antitodalis Math. & Bezoardica Schroderi à ℥ſs. ad ℥j.

Anti-ſcorbutica Dorncrelli, Arthritica, Apoplectica, ſeu mirabilis Langii, Epileptica Langii, Aſthmatica, & carminativa cum vino, à ʒij. ad ʒvj. ſine vino ad ℥j.

Cæphalica aromatica Schroderi, Cinnamomi cum vino, ad ℥ſs. Bugloſſata ad ℥j.

Cordialis frigida Herculis Saxoniæ ab ℥j. ad ℥iiij.

Cordialis è ſuccis in febribus, & temperata, ad ℥iij.

Dyſſenterica Schroderi, & Cæphalica Caroli Quinti ad ʒvj.

Hyſterica aurea Vienenſis ad cochlear j.

Prophilactica Barbet, Scorbutica ſingularis, ſpleneti ca, & Stomachica, ad ℥j.

Diuretica Schoderi ad cochlearia iij.

Hirundinum uſualis ad ℥j. compoſita, ſeu cum caſtoreo, ad cochlear. j.

Hyſterica alba cum, & ſine camphora, & rubra, ad ʒvj.

Magnanimitatis Schroderi, Maſtichina, Næphritica, & Phyſagonis, ad cochlear. ij.

Theriacalis ad ℥j.

Anti hecticum Poterii ad ℈ſs.

B

Balſama: Embrionum ad ℥ſs.

De Peru, ſeu Indicum nigrum, & album, ad gr. vj.

Copaivæ ad ʒij.

Sul-

Sulphuris ad gut. viij.
Aniſatus, & terebenthinatus ad gut. xij.
Vitæ Schrœderi ad gut. x.
Bezoardicum joviale, Martiale, ſolare Crollii, compoſitum Schrœderi, Minerale, & Saturninum, ad ℈j.
Orientale ad gr. xv. & ultra.
Occidentale ad gr. xxiiij. & ultra.
Borrax Veneta ad ʒß.

C

Cinnabaris nativa, & Antimonii, ad gr. xij. & ultra.
Confectiones: Alkermes completæ ad ʒj. incompletę, ad ʒiß. de Hyacintho, & Anacardina, ad ʒij.
Conſervæ, in quantitate nucis majoris, vel minoris.
Corallia rubra, & alba, à ℈ß. ad ʒj.
Cornu Cervi philoſophicè pp. & ſine igne á ℈j. ad ʒj.
Cranium humanum philoſophicè pp. & Unicornu, ad ʒß.
Foſsile, Crocus Martis aperitivus, & adſtringens à ℈ß. ad ℈ij.

D

Dentes Apri pp. à ℈ß. ad ʒj.
Diacodion. ad ℥ß.
Diachorum ad ʒij. vel ℥ß.

E

Electuaria de Baccis Lauri in Clyſtere ad ℥iß.
Chalybeatum contra Dyſſenteriam, & Diaſſatirionis ad ʒiij.
Diaſcordii fracaſtor. ad ʒij.
Stomachicum Strobel. ad ℥ß.
Cydoniorum ad libitum.
De ovo ad ʒiß.
Eleoſachara: Aniſi, Aurantiorum, Cervi, Citri, Cinnamomi, Fœniculi, Macis, & Nucis moſchatæ à ℈ß. ad ℈ij.

Elixiria: Peſtilentiale Crollii ad ℈ij.
Proprietatis Paracelſi cum, & ſine acido ad gut. xij. & ultra.
Vitæ Mathioli ad cochlear. j.
Uterinum Crollii ad ℈ij.
Emulſiones alterantes, & ſpecificæ ab ℥ij. ad ℥vj.
Eſſentiæ Abſynthii, Ambræ, Aurantii, & citri, à gut. vj. ad xx.
Caſtorei ad gutt. xij.
Croci ad gutt. viij.
Moſchi ad gutt. xx.
Lignorum ad gutt. xxx.
Extracta: Caſtorei ad ℈ß.
Chælidoniæ ad ʒß.
Cynogloſſæ, & Mandragoræ ad ℈j.
Ligni Rhodii ad ℈ß.
Salſæparrillæ, Tormentillę, & reliqua ſimplicia ad ʒß.
Croci ad gr. viij.
Myrrhę ad ℈ß.

F

Fœculæ radicis Ari, Bryoniæ, & Iridis, ad ʒß. & ultra.
Flores Benzoin ad gr. xij.
Flores ſalis ammoniaci ſimplicis, Martialis, & ſulphuris, ad ℈j.
Flores vegetabilium in infuſo, ac decocto à ʒij. ad ʒvj.

G

Gelatina cornu Cervi, & ungulæ Alcis ad ℥iß.

L

Laudanum: Cæſareum à gr. ß. ad gr. iij.
Helmontii ſimplex, cum Ambra, cum Moſcho, & Ambra, & Michaelis ad gr. iij. & ultra.
Looch. ad Aſthma, Paſſularum, ſcyla, & reliqua ad ℥ß. & ultra.

M.

M

Magiſteria: Coralliorum, Perlarum, aliorum lapidum prætioſorum, lapides Cancrorum, Cornu Cervi, ungulę Alcis, & cranii humani ad ʒß.
Saturni, ad gr. ij.
Martis aperitivum Minſicht. ad ʒj.
Mandibulæ Lucii piſcis pp. ad ℈ij.
Mithridatum ad ʒij.
Miva Cydoneorum ſimplex ad cochlear. ij. aromatica ad j.

N

Nitrum: fixum, depuratum, ſeù ſal prunellæ, perlatum, & coralliatum, ad ʒß.
Antimoniatum ad ℈j.

O

Olea: Amygdalarum dulcium ad cochlear. j. in colica, ad ℥j. vel ℥ij. in Clyſteribus ad ℥iij.
Nucis moſchatæ expreſſum, & deſtillatum, ad gr. aliquot intùs, & extùs.
Stomachicum flor. omnium ad cochlear. ß.
Sulphuris cum liquore idoneo, ad gut. aliquot. Dulc. ad gut. xx.
Succini deſtillati ad gut. xij.
Ceræ deſtillatę, philoſophicè deſtillatę, & colocynthidis extùs. Reliqua deſtillata intùs gutatim, & extùs.
Oxymella: Schylliticum ad cochlear. j.
Oxymel ſimplex, & oxiſacharum ſimplex ad ℥ij. vel iij.

P

Pillulæ de Caſtoreo, & de Cynogloſo, ad ℈ß.
Pulvis: Cachecticus, ad caſum cum vino adſtringens, Dyſſentericus, Analepticus, Hyſtericus, contrà abortum, Marchionis, Partum, & ſecundinas pellens Timæi, Pleuriticus, Stomachicus Quercetani,

contrà calculum, ad ℈ij. & ultrà. Pulverum aliorum eadem eſt doſis.

R

Radices omnes à ʒij. ad ʒvj.
Roob datur in magnitudine nucis juglandis majoris, vel minoris.

S

Salia lixivioſa fixa alkalina ad ℈ij. & ultrà.
Acetoſellæ eſſentialis, Coralliorum, Perlarum, Lapidum Cancrorum ad ʒß.
Saturni, ſeù ſacchari ſaturni ad gr. xij.
Cinnamomi ad ℈j. & ultra.
Volatiles, v. g. C. C. ſimplex, ſuccinatum, lumbricorum terreſtrium, viperarum, urinę, cranii humani, ungulę alcis, ſuccini, & tartari ad ℈j.
Oleoſum Silvii, Antifebrile, Cephalicum, Uterinum, & Antivenereum, à gut. vj. ad xxx.
Sanguis Hyrci pp. ad ℈ij.
Species omnes à ℈j. ad ℈jj. & ultra.
Sperma ceti à ℈j. ad ʒiß.
Spiritus gentianæ ad cochlear. j.
Radicis Pæoniæ, & Ligni Sancti ad ʒß.
Nitri, Vitrioli, Sulphuris, & ſalis dulcificati ad gut. xxx.
Salis Ammoniaci, & aliorum, quę ſale dant volatile, ad gut. xxiiij.
Spiritus fructuum ad cochlear. j.
Syruporum ſimplicium ad ℥iij. compoſitorum ad ℥ij. & ultrà.

T

Tartarus martialis à ℈j. ad ℈ij. & ultrà.
Terra ſigillata alba, & rubra ad ℈ij. & ultrá.
Theriaca Andromachi ad ʒiß.
Tinctura Anodina Leydenſis, Traumatica Uvedellii.
Anti-phthiſica ejuſdem, ad gut. xxv. & ultrà.
Antimonii Schroderi ad gut. x.

Be-

Bezoardica Michaelis ad gutt. xxx.

Centauræ minoris, Coralliorum, & florum Bellidis, ad gutt. xxx. & ultra.

Martis aperitiva Minſicht cum vino malvatico, & vitrioli Martis ad gutt. xxx.

Ligni Sancti, & Radicis Satyrionis ad gutt. xxx.

Succini ad gutt. xx.

Trochiſci omnes ad ℈j. & ultrà.

V

Vitriolum Martis ad ʒß. & ultra.

Unicornu verum ad ℈j. & ultra: foſsile ad ʒß. & ultra.

Unguenta extùs ad libitum.

CAP. QUADRAGESSIMUM TERTIUM.

DE FORMULARUM COMPOSITIONE, ſeu præſcriptione.

Int. QUid eſt formularum præſcriptio?

R. Eſt pars Medicinæ practicæ, quę remedia ſelecta, probata, & convenientia pro morborum, ſexus, ætatis, aliarumque circunſtantiarum ratione prudentèr combinare, & debita methodo ordinare docet.

Int. Quid requiritur ad debitam formularum præſcriptionem?

R. I. Medicinę ſtudioſus formulas medicamentorum pręſcripturus, antè omnia accuratam habeat notitiam omnium medicamentorum, tam ſimplicium, quàm compoſitorum.

II. Sciat, quod hęc notitia verſatur circa ipſam ſubſtantiam, atque eſſentiam, vel circa virtutes, & proprietates, vel denique circa doſim uniuſcujuſque medicamenti.

III. Ratione ſubſtantię, atque eſſentiæ medicamen-

ta dividuntur in ſimplicia, & magis compoſita: ſimplicia iterùm ſunt, vel nativa, ſeù cruda, vel præparata in officinis, quæ ex triplici regno deſumuntur.

IV. Ratione virtutis, medicamenta dividuntur in evacuantia, & alterantia. Evacuantia ſunt, vel univerſalia, vel particularia. Alterantia reſpiciunt, vel cauſam morbi, vel certam corporis partem, aut denique certum morbum, quæ omnia in ſuperioribus jam explicabimus.

V. Ratione doſeos denique requiritur, ut ſtudioſus Medicinæ formulas præſcripturus, omnium medicamentorùm, præ primis ſelectiſsimorum, exquiſitam habeat notitiam, qua nimirùm doſi adhibenda ſint, nè error committatur in præſcribendo: id quod potiſsimum circa evacuantia, & oppiata eſt obſervandum.

VI. Gratiora ægrotantium palato arridentia, ubi ſufficiunt, ibi ſemper eligenda ſunt præ ingratis, ac nauſeoſis.

VII. Inodorata, ac ſuaveolentia quantùm poſsibile graveolentibus, ac fœtidis, ſemper prẹferenda ſunt.

VIII. Color turpis, & ingratus, ſi fieri poteſt, fugiendus, vel arte jucundior producendus.

IX. Quantitas, nec major ſit, nec minor.

X. Numerus ingredientium, nec exceſſu, nec deffectu peccet.

XI. Proportio ingredientium ſtrictè eſt ſervanda; ita ut ex ſingulis invicem mixtis, integra emergat doſis.

Int. Formularum præſcriptio, quot involvit partes?

R. Quatuor, cardinales ſic dictas, nempè *baſim, adjuvantem, corrigentem*, & *conſtituentem*.

Int. Quid eſt baſis formularum?

R. Eſt pars principalis, & primarium formularum medicamentum, quod intentioni Medici ſatisfacit, & tanquam indicatum, indicanti è diametro opponitur.

Int. Quid notandum circa baſim formularum?

R. I. Notandum venit, baſis modo unicum medicamentum conſtituit, & tunc *ſimplex* vocatur; modò plura continet, quo caſu *compoſita* audit.

II.

II. Excludenda tamen eſt *multitudo* remediorum, baſim conſtituentium. Nimia enim hæcce farrago non tantum pharmacopæis moleſta eſt, & quęcumque alia ſubſtituendi anſam illis præbet, ſed &, quia diverſi ſapores, & odores hac ratione cumulantur, ægrotis nauſeoſa evadit. Præterea Medicus non facilè finem ſuum obtinet, dum tot ætherogenearum partium ingredientia ſe invicem deſtruunt, & longè alium effectum, quàm qui reſpicitur, cauſant.

III. Baſis tamquam pars principalis, reliquas minùs principales *doſi qualitatis*, non ſempèr autem *quantitatis* debet ſuperare.

Int. Quid eſt adjuvans?

R. Eſt quod baſim adjuvat, atque illius deffectum ſupplet. Fit hoc:

I. Vel *ſtimulando*; v. g. quando reſina jalappæ, vel ſcammonii, laxanti cuidam remedio, quod in operatione ſua ſegniús eſt, ſtimuli loco additur, ut virtus principalis, nempè purgatio augeatur.

II. Vel præparando, atque effectum baſeos facilitando, v. g. quando purgantibus, quæ per ſe ſatis efficacitèr evacuant, ſalia præparantia, & digeſtiva miſceantur, ut materia movenda mobilis reddatur.

Int. Quid eſt corrigens?

R. Eſt, quod corrigit baſim. Hoc ſequentia reſpicit.

I. Vel *ſaporem* nauſeoſum. Hic autem per talia remedia corrigendus eſt, quæ operationem non impediunt, ſed aliquomodò eandem promovent. V. g. ſyrupi, emulſiones, & ſaccharum.

II. Vel *qualitatem* medicamenti *noxiam*. Hujuſmodi corrigentia, purgantibus potiſsimùm adduntur, ut draſtica illorum efficacia per illa infringatur.

III. Oppiata autem, & quæ opus habent tali correctione, in officinis parata, ut plurimúm præſtant.

IV. Corrigatur noxia qualitas. Hoc duplici modo fieri poteſt, I. Invertendo, & immutando medicamenti texturam, disjungendo particulas ſummè agiles à cohæſione ſua, ſic v.g. ſalina corrigunt purgantia.

II. Modo, viſcera defendendo, & roborando, ut noxæ à medicamento tali metuendæ avertantur. Sic v. g. aromata, & alia carminativa, purgantibus addita, ventriculum roborant, & flatus in primis viis excitatos diſcutiunt.

Int. Quid eſt conſtituens?

R. Eſt, quod baſim, adjuvans, & corrigens excipit atque formam medicamenti conſtituit. De hoc notentur ſequentia.

I. Excipiens ſemper ſit proportionatum ad baſeos *quantitatem, & qualitatem* excipiendam. *Quantitatem* quidèm, ut eo commodiùs miſceri poſſunt, & medicamentum in juſtam formam redigi queat. V.g. ad *bolum* formandum, ſufficiens quantitas excipientis conſervæ, vel ſyrupi præſcribenda eſt. Sic potiunculæ, & decocta, ſufficientem portionem aquæ, vel deſtillatę, vel ſimplicis expoſcunt. *Qualitatem* autèm, ut excipiens cum natura excipiendorum conveniat. Sic v. g. virtus purgans ſennæ, mediante menſtruo *aquoſo*, jalappę autem cum ſpirituoſo excipienda eſt.

II. Quando autem excipiens, & excipienda diſparis ſunt naturę, mediante quodam uniente, conjungantur neceſſe eſt. Sic v. g. oleum terebenthinæ, balſamum Peruvianum mediante vitello ovi cum liquoribus aquoſis uniuntur.

III. Excipientia majori doſi, quam excipienda, ſunt præſcribenda.

Int. Quem ordinem obſervare debet Medicus in præſcribendis medicamentorum formulis?

R. I. Quæ majori doſi præſcribuntur, illa remedia reliquis pręponuntur, nullo habitu reſpectu ad *baſim*, nunc ſcilicet primo loco, vel alio ponatur. Sic v. g. in potiunculis, electuariis, & bolis, aquæ, & conſervæ, quæ tamquam *excipientia* majori doſi pręſcribuntur, primum in formula occupant locum. In *emplaſtris* vero, & *morſulis*, excipientia, reliquis poſtponuntur. Hoc etiam obſervatur *in decoctis*, & *infuſis*, quorum reliqua, ſequente ordine ſolent præſcribi: I. radices.

II.

II. Herbę. III. Flores. IV. Semina. V. Cortices. In infuſis autem laxantibus, laxantia, & digeſtiva remedia ultimum occupant locum.

II. Ad requiſita generalia, pertinet etiam *proportio* ingredientium, nempè *baſeos corrigentium*, *adjuvantium*, *& excipientium*. V. g. in *infuſis*, & *nodulis*, proportionata debet eſſe quantitas excipientis, ut virtus medicamentoſa ſufficientèr extrahi poſsit. In electuariis ſufficiens debet eſſe quantitas conſervarum, & ſyruporum. In potiunculis aquę deſtillatę ℥j. pulveris ℈j. aut ʒß. ſyrupi verò ʒj. circitèr addenda eſt.

CAP. QUADRAGESSIMUM QUARTUM.

DE FORMULIS MEDICAMENTORUM.

Int. Quid eſt aqua *deſtillata*?

R. Eſt liquor aqueus in officinis præſtans.

Int. Quotuplex eſt?

R. Duplex, *ſimplex*, vel *compoſita*: illa cum, vel ſinè vino, ex toto, vel ex ſucco herbar. radic. &c. Hæc ex variis ingredientibus deſtillatur.

Int. Quotuplex eſt?

R. Multiplex, prout fit ex variis, vel herbis, vel floribus, vel ſuccis horum expreſsis, vel fructibus, vel radicibus, vel ſeminibus, vel animalium partibus conquaſſatis, maceratis.

Int. Quid eſt *Bochetum*?

R. Eſt decoctum ſecundarium lignorum.

Int. Quid eſt *Bolus*?

R. Eſt medicamentum intèr ſolida, & fluida, mediæ conſiſtentiæ, quod figura ſua, glandem aliquomodo refert, & tanquam morſulus, ſeù fruſtulum, una vice deglutiendus.

Int. Quotuplex eſt?

R. Multiplex, videlicèt, vel purgans, vel alterans, vel corroborans, vel anodinus.

Int.

Int. Ex quibus fit?

R. Fit ex electuariis, pulpis, conſervis, pulveribus, vel ſpeciebus mixtis, in conſiſtentiam minùs fluidam, deglutibilemque redactis.

Int. Quando adhibendus eſt bolus?

R. Quando nauſeoſa prçſcribuntur; hac enim ſub forma ſtomacho minùs adverſantur.

Da exemplum.

BOLUS PURGANS.

℞. *Conſerv. violar.* ℨj. *ſcammon. ſulphur. gr.* xv. *ſyr. roſar. ſolut. Q. S. M. S. F. bolus.*

BOLUS EMETICUS.

℞. *Tartar. emet. gr.* iiij. *conſerv. roſar.* ℈j. *ol. Mac. gut.* j. *M. F. bol.*

BOL. APERIENS.

℞. *Conſerv. flor. cichor.* ℨß. *ſal. mart. gr.* viij. *M. S. F. bolus.*

BOLUS PURGANS.

℞. *Conſerv. cinosbat.* ℨj. *rhabarb. pul.* ℈ij. *reſin. jalapp.* ℈ß. *ſyrup. de cichor. cum rhabarb. Q. S. M. S. F. bolus.*

BOLUS PRO VERMIBUS.

℞. *Conſerv. flor. bellid.* ℨj. *merc. dulc.* ℈ß. *reſin. ſcammon. gr.* iiij. *ſyr. roſar. ſolut. Q. S. M. S. F. bolus.*

BOLUS SALIVANS.

℞. *Conſerv. flor. perſic.* ℨß. *merc. dulc. gr.* xv. *ſyr. roſar. ſolut. Q. S. M. S. F. bolus.*

BOLUS ADSTRINGENS.

℞. *Conſerv. bellid.* ℈ij. *corall. rubr. pp.* ℨß. *terr. ſigill.* ℈j. *ſyr. corall. Q. S. M. S. F. bolus.*

BOLUS SISTENS, ET ANODYNANS.

℞. *Conſerv. flor. antho.* ℨj. *ſtib. diaphor. gr.* xv. *theriac. cœleſt. gr.* iij. *M. S. F. bolus.*

BOL. ALTERANS.

℞. *Conſerv. flor. Borrag.* ℨj. *ſpec. cordial. temp.* ℨß. *aq. roſar. alb.* ℈j. *M. F. bol.*

BOL. CORROBORANS.

℞. *Confect. AlKerm. compl.* ℨß. *conſerv. acetoſ. citr.* ℨß. *ol. deſtill. cinnam. gut.* j. *M. F. bol.*

BOL.

BOL. ANODINUS.

℞. *Conſerv. Betonic.* ℥ß. *ſpecific. cæphalic.* ℈ß. *laudan. opiat. gr.* j. *M. F. Bol.*

Int. Quid eſt *cataplaſma*?

R. Eſt medicamentum topicum, ad pultis ferè conſiſtentiam.

Int. Ex quibus componitur?

Int. Ex radicibus, foliis, ſeminibus, & floribus. Coquuntur ferè ad putrilaginem, poſtea contunduntur, & trajiciuntur per ſetaceum, adduntur pulveres, vel farinæ, vel olea, vel axungiæ: aliud datur extemporaneum, quod ſola commixtione pulverum, & liquidorum fit.

Da exemplum.

℞. *Rad. alth.* ℥iß. *herb. malv. & biſmalv. à m.* j. *flor. chamomill. & mellilot. à p.* j. *coq. ad putrilaginem, & add. vitell. ovor. n.* ij. *ol. chamomill.* ℥iß. *M. F. catap.*

Int. Quid eſt *clyſter*?

R. Eſt liquor, vel decoctum, ano injiciendum.

Int. Ex quibus componitur?

R. Materiam clyſteribus, ſugerunt communitèr decocta plantarum, in primis emollientium, & carminantium, in quorum loco nonnumquam ſuccedunt juſcula carnium, lac, olea, liquata pinguedo, ſerum lactis, &c.

Quantitas liquoris in clyſmate ſit pro adulto ℔ß. ad ſummum ℔j. Pueris dimidia, vel etiam tertia pars ſufficit. Pro ſcopo anodino, vel vulnerario, ſatiùs eſt recipere minorem quantitatem; pro ſcopo vero emolliendi, ſtimulandi, atque irritandi, majorem. Salia pro ſtimulo adjecta, ad ʒj. vel ʒij. ſufficiunt. Diſſolvuntur etiam in liquore opiata, mel, olea, confectiones, &c. nec ultra ℥iiij. aut vj. præſcribi debent.

Da exemplum.

℞. *Rad. alth. & lil. alb. à* ℥ß. *herb. Mercur. verbaſc. & parietar. à m.* j. *flor. malv. & Melilot. à m.* j. *ſal. gemm.* ʒij. *coq. in S. Q. aq. R. decoct. colat.* ℥viij. *confect. diacat.* ℥j. *ol. chamom.* ℥iß. *M. F. clyſter.*

Int.

Int. Quid eſt *conditum?*

R. Eſt res condienda.

Int. Condita, quomodò parantur?

R. Cum ſaccharo, vel melle.

Int. Quæ condiuntur?

R. Radices, ſemina, cortices, flores, & fructus, ſcilicet, talia ſaccharo clarificato, injiciuntur, ac coquuntur, aut ſale, vel aceto aſſervantur.

Int. Cui uſui hæc condiuntur?

R. Uſus eſt varius pro varietate conditorum; præcipuè tamèn condiuntur, ut res diutiùs à corruptione præſerventur.

Da exemplum.

℞. *Fol. ſenn. S. S.* ℥iiij. *cinnam. elect.* & Z. Z. *à* ℈iiij. *aq. endiv.* ℔iiß. *infund. per hor.* 8. *Deindè ebulliant, & lenitèr exprimantur, huic decocto add. ſacchar.* ℥iiij. *paſſul. min. mundat. vel prunor.* ℔j. & *poſt juxtam concoctionem ſerva ad uſum.*

Int. Quid eſt *conſerva?*

R. Eſt res aliqua ſaccharo conſervanda.

Int. Ex quibus fiunt conſervæ?

R. Ex foliis, floribus, ſeminibus, corticibus, fructibus, & radicibus, contuſsis in mortario, præ primis lapideo, cum piſtillo ligneo, & intèr conquaſſandum admiſcendo ſaccharum in dupla, vel tripla doſi, ſi res ſit ſicca. Uſus eſt, ut res conſervetur magis efficax, vel aſſumpta reddatur ſuavior, pro varia Medici intenſione.

Da exemplum.

℞. *Violar. recent. mundat.* ℔ß. *ſacchar. alb.* ℔iß. *M. F. conſerv.*

Int. Quid eſt *decoctum?*

R. Eſt medicamentum, ex variis ſpeciebus mediante menſtruo appropriato, per convenientem coctionem paratum.

Int. Quæ regulæ ſunt obſervandæ in præſcribendis decoctis?

R. I. Obſervandum, quod pro decocto non ſint medicamenta nimis volatilia, nec nimis fixa.

II.

II. Poſſumus tamen juvare coctionem volatilium, ſi tantummodò ebulliant in diplomate, ſeù vaſe clauſo, vel etiam in cucurbita alembico appoſita.

III. Quæ fixiora ſunt, aut coctione diuturniore, aut affuſo menſtruo conveniente, ſubigi debent.

IV. Ut plurimùm adhibetur aqua ſimplex, attamen non raró acuitur per ſalia varii generis.

V. Vinum rectiùs affunditur, ſi reſinoſa ſunt ingredientia.

VI. Gradus coctionis ſunt quatuor. Primus ſi ſaltèm ebulliat compoſitum. II. Si decoquatur ad conſumptionem tertiæ partis. III. Si decoquatur ulteriús ad medietatem. IV. Si decoquatur ad remanentiam quartæ partis.

VII. Quantitas liquoris, metiri debet à Pharmacopæo juxtà regulas ſuæ artis.

Da exemplum.

℞. *Rad. chin. gram. & hellen. à ℥j. herb. fumar. & agrimon. à m. j. flor. borrag. & geniſt. à p. j. ſemin. fœnicul. & aniſ. à ʒiß. inciſis, & contuſis affunde aq. Q. S. F. decoct. ad reman. ℔iij. col. & colat. pro uſu ſerva.*

DECOCTUM LAXANS.

℞. *Decoct. tamarind. ℥v. cui diſſolv. mann. ℥j. ſyr. de pom. laxant. ʒij. M. S.*

℞. *Rad. cichor. & tarax. ana. ℥ß. herb. bellid. min. M. j. tamarind. ℥iij. coq. in S. Q. aq. S. ad ℔j. col. doſ. ℥viij.*

DECOCTUM ANTI HYDROPICUM.

℞. *Rad. cucum. aſinin. ireoſ. herb. ſoldanell. & cortic. med. ſambuc. ana. ʒiij. inciſis, & contuſ. infund. per noctem, & diem, in vin. alb. ℔vj. ebulliant in vaſ. clauſo, ad conſumptionem medietatis. Dein: add. ſem. cumin. & aneth. ana. ʒiß. cort. citri ℥j. gumm. ſagapen. & maſtich. ana. ʒij. ebulliant. i. a. col. & ſerva doſ. ℥vj. poſt intervallum aliquot repetenda.*

DECOCTUM NEPHRITICUM.

℞. *Sem. malv. alth. ana. ʒij. cicer. rubr. ℥iij. 4. frigid. major. ana. ʒij. hord. mund. ℥ij. caric. ping. no. viij. ſebeſten. no. vij. rad. liquirit. ʒvj. coq. in ℔iij. aq. ad con-*

ſump-

ſumption. tertiæ part. col. doſ. ℥iij. *binis, vel ternis horis repetenda.*

GELATINA TEMPERANS.

℞. *Raſur. C. C.* ℥iiij. *ebor.* ℥ij. *coq. lento igne in vaſe vitreato. C. S. Q. aq. ad remanent.* ℔ij. *col. & exprimatur, & cum albumine ovi clarificetur, & adde ſacch. alb.* ℥v. *vini alb.* ℥vj. *ſucc. citr.* ℥j. *Redigantur in conſiſtentiam gelatinę.*

Int. Quid eſt *electuarium*?

R. Eſt medicamentum forma mellis, pauló ſpiſsius, pro pluribus doſibus ſumibile, in magnitudine nucis juglandę.

Int. Ex quibus paratur?

R. Ex conſervis, conditis, pulveribus, pulpis, extractis, ſyrupis, eſſentiis, & elæoſaccharis: adeòque fieri poteſt, vel purgans, vel alterans, vel confortans, vel anodinum.

Da exemplum.

℞. *Conſerv. roſar.* ℥ij. *theriac. magn.* ʒij. *rad. enul. condit.* ʒiij. *extract. croc. gr.* iij. *pulv. rad. liquirit.* ʒij. *ſyr. flor. peon. Q. S. M. F. electuarium.*

ELECTUARIUM PURGANS.

℞. *Pulp. tamarind. & paſſular. ana.* ℥j. *pul. rad. mechoa.* ʒiij. *jalapp.* ʒj. *extract. dia citr.* ℈ij. *ſyr. de pom. lax. Q. S. M. S. F. electuarium, de quo manè, aliquot cuſpides cultri, plenę ſumantur.*

ELECTUARIUM DIURETICUM.

℞. *Rob. juniper.* ʒvj. *conſerv. roſar.* ʒiij. *extract. alKeKeng. oculor. cancr. pp. ana.* ʒiß. *terebent. venet.* ʒj. *ſyr. heder. terreſt. Q. S. M. S. F. electuarium.*

ELECTUARIUM PECTORALE.

℞. *Conſerv. roſar. antiq. bellid. minor. & ſcabioſ. ana.* ℥ß. *ſuccin. pp.* ℈ij. *flor. benzoes* ℈j. *ſyr. hiſſop. Q. S. M. S. F. electuarium.*

ELECTUARIUM ADSTRINGENS.

℞. *Conſerv. roſar. antiq. & heder. terr. ana.* ℥ß. *corall. rubr pp. lapid. hæmat. & terr. japon. ana.* ℈ij. *croc. mart. adſtring.* ℈j. *M. S. F. electuarium.*

Int.

Int. Quid eſt elixyrium?

R. Eſt compoſitum beneficio menſtrui ſpirituoſi, variis ex ingredientibus præparatum.

Int. Cum quibus maximam habet affinitatem?

R. Cum eſſentiis.

Int. Quænam in officinis poſtrant?

R. Elixyrium proprietatis Paracelſi. Album Helmontii. Uterinum. Amarum. Febrile. Spleneticum. Vitæ Mathioli. Peſtilentiale Crollii, &c.

Int. Quid eſt *Emplaſtrum*?

R. Eſt medicamentum tenax, inducendum corio, aut linteo, ut cuti adhæreat.

Int. Quæ hùc pertinent?

R. Cerata emplaſtra molliora. Dropaces, & *Sparadrapa*. Intentioni Medici ut plurimùm ſufficiunt, emplaſtra officinalia, quæ ſaltem malaxanda ſunt, ſufficienti quantitate olei convenientis.

Da exemplum.

℞. *Maſſ. Emplaſt. ſtomach. Crat.* ℥j. *de cruſtr. pan. & de tacamach. à* ℥ß. *Malax. cum S. Q. ol. menth. F. emplaſt. extende ſuprà alut. in forma conſueta pro ſtomacho.*

Int. Quid eſt *emulſio*?

R. Eſt medicamentum liquidum, album, jucundum, ex ſeminibus lateſcentibus, mediante aqua ſimplici, vel deſtillata, paratum.

Int. Ex quibus paratur?

R. Ex nucleis, & ſeminibus contuſis cum aqua, vel decocto aliquo, expreſsis, ita ut quævis ſeminum ʒj. requirit ℥j. aquæ, ſacchari parùm.

Da exemplum.

EMULSIO PURGANS.

℞. *Reſin. jalapp. gr.* viij. *teratur cum vitello ovi, & add. aq. roſar. & flor. acaciæ ana.* ℥j. *aq. cinnam.* ʒij. *F. L. A. emulſio cola. add. ſacchar. perl. Q. S. M.*

EMULSIO DIAPHORETICA.

℞. *Aq. card. bened. ſcord. & galeg. ana.* ℥ij. *amygd. dulci excortic.* ℥ß. *S. L. A. emulſio cola. & add. oculor. cancror. pp. & ſtib. diaphor. ana.* ʒß. *ſacch. Q. S. M. S. F. emulſio.*

EMUL-

EMULSIO DIURETICA.

℞. *Sem. violar.* ℥ß. *mil. ſolis*, *& cartham. ana.* ʒij. *aq. fragor. chærefol. & veron. ana. Q. S. F. L. A. emulſio colat.* ℥viij. *add. oculor. cancror. pp.* ʒj. *ſacchar. Q. S. M. S. cochleatim ſumenda.*

EMULSIO ABSTERGENS.

℞. *Therebent.* ʒij. *vitell. ovi mell. deſpumat. ana.* ʒiij. *aq. fragor. Q. S. M. S. F. emulſio cochleatim ſumenda.*

℞. *Amygdal. dulc. pp.* ℥ij. 4. *ſemin. frigid. major. plantag. & portulac. à* ʒj. *ſemin. alth. & papav. alb. à* ℈j. *contund. ut artis eſt*, *& affund. decoct. hord. Q. S. F. emulſ. pro duabus doſib.*

Int. Quid eſt *Epithèma*?

R. Eſt medicamentum externum, partibus nobilibus admovendum, ad ipſas alterandas, & roborandas.

Int. Quotuplex eſt epithéma?

R. Duplex nempè, ſolidum, & liquidum.

Int. Ex quibus componitur liquidum?

R. Ex aquis, vel decoctis convenientibus, confectionibus pulveribus, & electuariis, cum hac tamen proportione, ut ad ℔j. liquoris, ſint confectionis ʒij. pulveris ʒj. liquoris ad penetrandum, nempè, vel ſucci limonum, vel aceti vini, vel aquæ ſpirituoſæ ℥iß. camphoræ in affectibus calidis, croci in frigidis ad gr. iiij.

Da exemplum.

℞. *Aq. Bugloſ. Borrag. & roſar. à* ℥iij. *aq. flor. aurantior.* ℥iß. *confect. AlKerm. & hiacynthor. à* ʒj. *pulv. Diamargarit. frigid.* ℈ij. *camphor. gr.* iiij. *M. F. epithem. parti admovendum, cum panno craſſo, vel ſcarlatino, hoc liquore, calido imbuto, & expreſſo.*

Int. Ex quibus componitur epithéma ſolidum?

R. Componitur ex confectionibus, & conſervis cardiacis, & ex ſuccis; cum hac verò proportione, ut ad ʒiij. conſervæ, ſint confectionum ʒij. pulverum ʒj. ſuccorum, aquarum, & ſyruporum Q. S.

Da exemplum.

℞. *Conſerv. roſar. & bugloſ. à* ℥iß. *confect. AlKerm.*

&

& hyacint. à ℥j. pulv. diamarg. frigid. ℥iß. *C. ſyrup. de Pom. F. epith.*

EPITHEMA ANODINUM.

℞. *Theriac. mag.* ℥j. *ſuccin. pp.* ʒß. *camph.* ℈ß. *croc. orient. gr.* vj. *aq. Reg. Ungar. Q. S. M. S. F. epithema.*

Int. Quid eſt eſſentia?

R. Eſt liquor contractus, ſeu anima, ſeu vis ſimplex corporum.

Int. Ex quibus corporibus extrahuntur eſſentiæ?

R. Ex herbis, lignis, mineralibus, & metallis.

Int. In quo *eſſentia* differt *ab extracto*?

R. Sola conſiſtentia.

Int. Quid eſt extractum?

R. Eſt rei eſſentia, vi menſtrui proportionati è corpore craſſo educta, & *inſpiſſata.*

Int. Quotuplex eſt extractum?

R. Eſt vel purgans, vel alterans; vel ſpecificum.

Int. Quid eſt *fœcula*?

R. Eſt medicamentum ſub forma pollinis.

Int. Ex quibus deſumitur fœcula?

R. Ex nonnullis radicibus viridibus, lotis, vel raſis conquaſſatis, aqua que ſubinde dilutis: hinc expreſſis fortiter: dum poſtea expreſsio liquida in quiete poſita demittit ad fundum pulverem, fœcula dictum.

Da exemplum.

R. Talis eſt, fœcula *Peoniæ, Iridis, Brioniæ,* & *Ari.*

Int. Quid ſunt flores?

R. Sunt ſublimati pulveres, hoc eſt tenuiores alicujus corporis partes, per ſublimationem à craſsioribus ſeparatæ.

Int. Quid eſt *gelatina*?

R. Eſt ſuccus purus, & clarus inſpiſſatus cum ſaccharo, vel ſyrupo.

Int. Ex quibus conficitur?

R. Fieri poteſt ex fructibus coctis, ac colatura cum S. Q. ſacchari cocta, & inſpiſſata: etiam ex oſsibus ani-

malium teneriorum coctis, & ex carnibus animalium raſpatis diu coctis.

Int. Quid eſt *infuſum*?

R. Eſt liquor ſola maceratione ſpecierum paratus.

Int. Quotuplex eſt?

R. Triplex, vel alterans, dum ſpecies tantum alterantes infunduntur, vel purgans, dum ſpecies purgantes, vel alterans, & purgans ſimul, ſi utræque ſpecies medicamentorum infunduntur.

Int. In quo differunt infuſa à decoctis?

R. In eo, quod infuſa, citra coctionem, vim medicam poſsideant.

Da exemplum.

℞. *Fol. ſenn. S. S.* ℥ß. *rad. Mechoacan. alb. & rhabarb. elect. à* ʒiß. *tartar. ſolub.* ʒß. *inciſ. & contuſ. infund. in aq. Q. S. manè facta levi ebullitione cola. R. Hujus colatur.* ℥iiij. *cui diſſolv. mann. elect.* ℥iij. *clarific. & aromatiz.*

INFUSIO DIURETICA.

℞. *Rad. Petroſelin. apii, ononid. & caryophilat. ana.* ʒiij. *herb. chærefol. capillor. vener. virg. aur. & ana. M.* ß. *flor. bellid. & violar. ana. pug.* ij. *cort. cappar. & tamariſc. ana.* ʒij. *baccar. alKeKeng. no.* viij. *ſal. tart. & geniſt. ana.* ʒij. *inciſ. infund. in vin. alb. Q. S. doſ.* ℥vj. *ſucc. raphan.* ℥j.

INFUSIO ANTI HYDROPICA.

℞. *Ciner. bryon. ſtipit. fabar. abſynth. ebul. juniper. & geniſt. ana. M.* ß. *à fund. vin. vel aq. menſ.* v. *philtra, doſ.* ℥v.

Int. Quid eſt *julepus*?

R. Eſt medicamentum in formam potus exhibitum, odore, colore, & ſapore gratus.

Int. Ad quid præſcribuntur julepi?

R. Ad refrigerandum, & confortandum.

Int. Quid pro baſi ſumitur pro conficiendis julepis?

R. Decoctum aliquod, vel cornu Cervi, vel aliud, vel aquæ ſimplices deſtillatæ, vel fontanę.

Int. Quid his additur?

R.

R. Adduntur ſyrupi, tincturæ, conſervæ, confectiones, & ſpiritus v. g. vitrioli ad gratum ſaporem.

Da exemplum.

℞. *Conſerv. acetoſit. citr.* ʒvj. *confect. AlKerm.* ʒiß. *ſyrup. rub. id.* ℥j. *aq. borrag.* ℥vj. *rub. id. & roſar. alb. à* ℥iß. *ſpirit. vitriol. parum M. F. julepus.*

JULEPUS ROBORANS.

℞. *Aq. ſcord. ſcorzon. flor. acac. & C. C. citrat. ana* ℥iß. *ſyr. berber. & rib. ana.* ℥ß. *ſucc. citr.* ℥ß. *tinct. roſar.* ʒij. *M. detur cochleatim.*

JULEPUS INCRASSANS.

℞. *Aq. ſanic. & portulac. ana.* ℥iiij. *rob. cydon. & granat. ana.* ℥ß. *ſucc. citr. rec.* ʒiij. *ſpirit. nitr. dulc.* ℈ij. *M. S. F. julepus.*

JULEPUS DIAPHORETICUS.

℞. *Aq. card. bened. viper. & papav. rhœad. ana.* ℥ij. *pulv. C. C. philoſ. pp.* ʒß. *bezoar. miner.* ℈ß. *ſyr. papaver. rhœad.* ℥ß. *M. S. F. julepus.*

Int. Quid eſt mixtura?

R. Eſt medicamentum internum plus minùs liquidum.

Int. Quotuplex eſt?

R. Duplex eſt, vel diffuſa, quæ potio audit, & ſumitur, vel hauſtu, vel cochleatim: vel contracta, quæ guttatim, vel cochleatim accipitur.

Int. Ex quibus componitur diffuſa?

R. Ex aquis, confectionibus, ſyrupis, tincturis, &c. contracta verò ex ſpiritibus, oleis deſtillatis, eſſentiis, elixyribus, tincturis, Balſamis liquidis, &c.

Da exemplum.

℞. *Eſſent. caſtor. & lignor. à* ʒß. *croc.* ℈j. *ſpirit. vin. camphor.* ℈ij. *M. doſ. gut.* xxx. *vel* xxxx.

MIXTURA CATHARTICA.

℞. *Reſin. jalapp. gr.* viij. *ſolv. in ſpirit. ceraſor.* ʒiij. *adde julepi roſac.* ʒj. *M. S. F. mixtura pro una doſi.*

MIXTURA ALEXIPHARMACA.

℞. *Eſſent. angelic. imperator. ana.* ʒij. *dictam. alb. &*

carlin. ana. ℨj. *ſpirit. tart. rectif.* ℈ij. *M. S. F. mixtur. doſ. gut.* xxx.

MIXTURA EMANAGOGA.

℞. *Eſſent. myrrh. & ſuccin. ana.* ℨj. *tinct. antim. tartariſ.* ℨij. *M. S. F. mixtura, doſ. gut.* xxv.

Int. Quid ſunt morſelli, ſeu morſuli?

R. Sunt *tabellæ à figura quadrata ſic dictæ, mordendo ſumibiles.*

Int. Quotuplices ſunt?

R. Sunt, vel alterantes, vel purgantes, vel confortantes.

Int. Ex quibus fiunt?

R. Ex pulveribus, electuariis, confectionibus, ſeminibus, conſervis, &c.

Da exemplum.

℞. *Conſerv. flor. anth.* ℥ij. *condit. nuc. indic. & confect. Alkerm. à* ℥j. *cinnamom. pulv.* ℥ß. *cardam. & cubeb. à* ℨij. *ſacchar.* ℔iß. *in S. Q. aq. flor. lilior. convall. ſolut. F. S. A. morſuli.*

MORSULI PURGANTES.

℞. *Conſerv. flor. perſic. & roſar. ana.* ℨij. *pulv. jalapp.* ℨj. *ſem. aniſ. cortic. cinnam. & nuc. moſch. ana.* ℨß. *ſacchar. in aqua roſar. ſolut. Q. S. M.* S. *F. morſuli.*

MORSULI CONFORTANTES.

℞. *Spec. diambr. & diamoſc. ana.* ℨß. *ſuccin. pp. & cinnab. antim. ana.* ℈j. *ſacch. Q. S. M. S. F. morſuli.*

MORSULI STHOMACHICI.

℞. *Conſerv. ment. anthos, & nuc. indic. condi. ana.* ℥j. *rad. acor. galang. & ari ana.* ℨij. *zedoar. cardamom. & cinnam. ana.* ℨj. *C. S. Q. ſacch. in aq. melliſ. ſolut. F. morſuli.*

Int. Quid eſt oleum?

R. Eſt liquor inflammabilis, levis, & unctuoſus.

Int. Quotuplicia ſunt olea?

R. Alia *expreſſa*, alia *deſtillata*, & alia *cocta.*

Int. Ex quibus fiunt?

R. Ex vegetabilibus, animalibus, & mineralibus.

Int. Quid eſt *Peſſarium*?

R.

R. Eſt remedium forma ſolidum, oblongum, & rotundum, ad figuram, & molem digiti compoſitum, quod in vulvam muliebrem immittitur.

Int. Ex quibus medicamentis componitur?

R. Ex variis remediis, ſecundùm diverſas intentiones.

Int. Quibus modis fit?

R. Peſſarium fieri poteſt tribus modis. Primò, vel ex goſsypio in prædictam figuram concinnato; oleis, vel unguentis convenientibus perunćto.

Secundò ex panno lineo, aut ſerico, in quo includitur materia remedii.

Tertiò ex ipſis pulveribus, cæteriſque in formam ſolidam compoſitis. Cuilibet peſſario debet filum appendi, ut extrahi poſsit.

Int. Ad quid præſcribitur peſſarium?

R. Vel ad purgandos ſeroſos, & pituitoſos humores, quando his uterus ſcatet, vel ad menſes movendos.

Int. Quibus fœminis præſcribitur peſſarium?

R. Virginibus numquam, nè frangatur virginitatis clauſtrum. Cæteris ſolummodò quando urget neceſsitas, ob pudoris, & pollutionis periculum.

Da exemplum.

℞. Hyer. picr. & benedict. laxat. à ℥j. pulv. diacart. & myrrh. à ʒß. therebentin. ʒiij. ſucc. mercurial. Q. S. Excipe Cotone, & panno ſerico cum filo pendulo F. duo peſſaria.

Int. Quid medicamentum huic ſimile eſt?

R. Suppoſitorium.

Int. Quid eſt ſuppoſitorium?

R. Eſt remedium, quod forma ſolida, terete, & oblonga paratum, in anum immittitur.

Int. Quotuplex eſt ſuppoſitorium?

R. Duplex, aliud ſimplex, quod paratur ex lardo, vel radice petroſelini, vel betæ, vel braſsicæ, vel alumine, vel ſapone, vel ex allio, vel ex melle ſolo ad duritiem cocto.

Aliud compoſitum, quod fit ex melle, ſale gem-

meo, communi, Trochiſcis Alhandal, Diagrydio, ſale Ammoniaco, Nitro, &c.

Int. Ad quid præſcribitur ſuppoſitorium?

R. I. Ad ſtimulandam vim expultricem. II. Ad revocandos clyſteres, diù retentos. III. Cum de viribus timemus, & quando parcimus pudori.

Da exemplum.

℞. *Hyerę picr.* & *ſal.gemm. à* ℥ß. *diagryd.gr.*vj. *Mell. Q. S. F. ſuppoſitorium.*

Int. Quid ſunt *pillulæ*?

R. Sunt medicamentum ſolidum, rotundum, ex remediis facilè cohærentibus, compoſitum.

Int. Pillulæ ex quibus componuntur?

R. Maſſa pillularum formari poteſt, vel ex ſimplici gummate, aut reſina, vel ex compoſito quodam extracto glutinoſo, vel ex pulvere ſolo gummatoſæ, aut reſinoſæ naturę, adjecto ſolvente appropriato, v. g. aquoſo in gummoſis, ſpirituoſo veró in reſinoſis.

Int. Quæ dantur differentiæ pillularum?

R. Aliæ ſunt purgantes, aliæ alterantes, aliæ officinales, quæ in officinis ſervantur paratæ, & aliæ magiſtrales, quæ à Medicis ſecundùm varias intentiones, & indicationes pręſcribi ſolent, & uſuales nuncupantur.

Int. Quanta debet eſſe pillularum magnitudo?

R. Magnitudo pillularum non excedat duo, vel tria grana; imò quo minores, eó ſumptu gratiores. Si verò una pillula pro doſi exhibenda, illius doſis non excedat gr.vj. vel ℈ß. ſi ſapor, odor, colorvè admodùm ingratus ſit, non malè occultatur inaurando pillulas, vel conſpergendo pulvere lycopodii, vel glyzirrhizæ.

Da exemplum.

℞. *Extract. rhabarb.* & *magiſter. ſcammon. à* ℈ß. *tartar. vitriolat. gr.* v. *M. S. F. pillulę deaurentur.*

PILLULÆ EMETICÆ.

℞. *Extract. cathol.* ℈ß. *reſin. jalapp. gr.* iij. *tartar. emet. gr.* ij. *elix. P. P. Q. S. M. S. F. pillulę.*

℞. *Extract. panchym. Croll. gr.* xij. *hellebor. nig. gr.*v. *merc. vit. gr.* iij. *eſſent. abſynth. Q. S. M. S. F. pillulæ.*

PIL-

PILLULÆ AD GONORRHEAM.

℞. *Oſsis ſep. pp.* ʒß. *therebenth. venet. Q. S. M. S. F. pillulæ.*

PILLULÆ AD SALIVATIONEM.

℞. *Panac. Mercurial. gr.* xv. *mic. pan. alb. Q. S. M. S. F. pillulæ.*

PILLULÆ STHOMACHICÆ.

℞. *Extract. cort. cacarill.* ℈j. *gentian. rubr. & card. bened. ana.* ℈ß. *limat. mart. pp. gr.* v. *M. S. F. pillulæ, doſ.* ℈ß.

PILLULÆ ANODINÆ.

℞. *Succ. liquirit.* ℈j. *pillul.* Uvildeganſii, *& de cynogloſſ. ana. gr.* v. *ſyr. papaver. errat. Q. S. M. S. F. pillul. doſ. gr.* v. vj.

PILLULÆ POLYCRESTÆ, EX PHARMAC. Argentina.

℞. *Extract. Abſynth. card. benedict. cochlear. fumar. hellebor. nigr. à* ʒij. *myrrh. elect. therebenthin. venet. à* ℥ß. *Gumm. heder. juniper. benz. à* ʒij. *flor. ſulphur.* ʒiß. *Aloes ſocotrin.* ℥ß. *M. S. F. pillul. Doſis à* ʒß. *à* ʒj.

Int. Quid eſt pulvis?

R. Eſt medicamentum ſiccum, quod vel ex uno tantùm ſimplici ingrediente, vel ex pluribus talibus comminuendo, & miſcendo paratur.

Int. Quomodò paratur pulvis?

R. Dupliciter paratur, videlicèt, vel per triturationem, vel per lævigationem.

Int. Quotuplex eſt pulvis?

R. Multiplex eſt, nempè, alius compoſitus ex pluribus ingredientibus, qui vocatur *ſpecies.* Alius ſimplex. Si ſubtiliſsimè pulvis eſt tritus, vocatur *Alcohol*; ſi verò groſsior, vel aromaticus ſit, dicitur *tragea.*

Alius *purgans*, alius *alterans*, alius *reſolvens*, alius *præparans*, alius *febrifugus*, alius *alexipharmacus*, &c.

Da exemplum.

℞. *Cremor. tartar.* ʒß. *arcan. duplicat. gr.* xv. *M. F. pulvis.*

PULVIS EMETICUS.

℞. *Sal. vitriol. gr.* xv. *ſacchar. albiſsi. gr.* xviij. *M. S. F. pulvis pro doſi.*

℞. *Rhabarb. elect. gr.* xij. *tart. emetic. gr.* iij. *tart. vitriol. gr.* viij. *M. S. F. pulvis emeticus.*

PULVIS LAXANS.

℞. *Rad. jalapp. opt.* ℈j. *tart. vitriol.* ℈ß. *ol. fœnicul. gut.* j. *M. S. F. pulvis pro doſi.*

℞. *Scammon. ſulphurat.* ℈ß. *mercur. dulc. gr.* vj. *arcan. duplic. gr.* v. *M. S. F. pulvis.*

PULV. DIAPHORETICUS.

℞. *Antim. diaphoret. & oculor. Cancror. pp. ana.* ʒj. *nitr. depurat.* ℈ij. *cinnabar. nativ. pp.* ℈ß. *M. S. F. pul. div. in* 4. *partes.*

℞. *Bezoard. mineral. & pul. C. C. philoſoph. pp. ana.* ℈ij. *nitr. regener. & regul. antim. medicinal. ana.* ʒß. *M. S. F. pulv. div. in* 6. *partes æquales.*

PULVIS AD PELLENDUM PARTUM.

℞. *Borrac. venet.* ℈ij. *cinnabar. antim.* ℈ß. *trochiſ. de myrrh. gr.* vj. *M. S. F. pulv. div. in* 2. *partes.*

℞. *Croc. orient. & trochiſc. de myrrh. ana.* ℈ß. *ſal. vol. viperar. gr.* vj. *ol. ſuccin. gut.* ij. *M. S. F. pulv. div. in* 2. *partes.*

PULVIS ANTHELMINTHICUS.

℞. *Æthiop. mineral.* ʒß. *tartar. vitriol.* ℈ij. *ſacch. alb.* ʒj. *M. in mortario lapideo, div. in* 6. *partes.*

PULVIS ANTI EPILEPTICUS.

℞. *Lumbr. terreſt.* ʒj. *cord. talp. exſiccat. no.* 5. *thalam. lepor.* ℈j. *ungul. alc. ſubtillit. pulv. cort. viſc. quercin. ana.* ℈ß. *cinnab. antim.* ʒß. *M.* S. *F. pulvis, div. in* 12. *partes.*

Int. Quid eſt quinta eſſentia?

R. Eſt ſpiritus puriſsimus è ſuccis fermentatione exaltatis, deſtillatus.

Int. Quid ſunt ſpiritus?

R. Sunt ſalia phlegmate ſoluta.

Int. Quid eſt regulus?

R. Eſt nobilior, & purior minerallium pars metallica.

Int.

Int. Quid eſt ſyrupus?

R. Eſt liquor medicamentoſus, cum ſaccharo, vel melle, ad mellis liquidiuſculi conſiſtentiam coctus.

Int. Quid eſt reſina?

R. Eſt ſubſtantia viſcida, balſamica ex arboribus defluens, & exſudans.

Int. Quid eſt Roob?

R. Eſt ſuccus fructuum, nunc per ſe, nunc cum ſaccharo ad mellis conſiſtentiam inſpiſſatus.

Int. Quid ſunt tincturæ?

R. Sunt extractiones ſine abſtracto menſtruo, retinentes colores rerum ex quibus extrahuntur.

Int. Quid ſunt Trochiſci?

R. Sunt parvi orbiculi, qui ſigno ſtellæ ſignantur, & cum pillulis aliquomodò conveniunt.

Int. Quotuplices ſunt trochiſci?

R. I. Alii ſunt *ſublinguales*, qui leni ſucceſsiva eliquatione in ore conſumuntur, & partim fœtori oris emendando deſtinantur, partim verò ad præſervationem, in morbis contagioſis præſcribuntur.

II. Alii *Bechici*, qui ad affectus pectoris adhibentur.

Int. Ex quibus medicamentis componuntur trochiſci?

R. Ex pulveribus, ſuccis inſpiſſatis, gummatibus, reſinis, nucleis, mineralibus, oleis, deſtillatis, & ex electuariis.

Int. Cujus magnitudinis debent eſſe trochiſci?

R. Pondus uniuſcujuſque trochiſcorum ultra *6.* grana, aut ad ſummum ℈ß. tranſire non debet.

Da exemplum.

℞. *Pulv. liquirit. & ir. florent. à* ʒj. *moſch. gr.*vj. *ſacchar. penid. & cand. alb. à* ℥j. *ol. deſtill. fœnicul. gut.* v. *tragacanth. in aq. ſolut. Q. S. M. F. trochiſc.*

Da exemplum.

℞. *Pulv. rad. irid. flor.* ʒiß. *trochiſc. aliptæ moſchat. & gall. moſchat. ana.* ʒß. *confect. alkerm. compl.* ℈ij. *ſacchar. alb.* ℥ij. *M. S. C. S. Q. Mucilag. tragacanth. cum aqua roſar. F. L. A. trochiſci ſub lingua tenendi pro oris fœtore.*

℞.

℞. *Specier. liberant.* ℨiß. *extract. pimp. alb.* ℈j. *Valerian. & theriacal. ana.* ℈ß. *ol. deſtillat. rut. & junip. ana. gutt.* iij. *ſacch. albiſ.* ℥ij. *M. C. S. Q. mucilag. tragacanth. cum aq. ſcord. F. L. A. trochiſci ſublinguales, ad præſervandum in malignis conſtitutionibus.*

Int. Quid eſt balneum?

R. Eſt lotio totius corporis.

Int. Qui eſt ſemicupium, vel inſeſſum?

R. Eſt lotio tantùm inferioris corporis.

Int. Quid eſt pediluvium?

R. Eſt lotio tantummodò peduum.

Int. Quid eſt capitiluvium, ſeù embrocatio?

R. Eſt lotio ſolius capitis.

Int. Quotuplex eſt balneum?

R. Duplex, vel ſiccum, quod ex cineribus, ſalibus, arena, ſegmentis, &c. paratur, vel humidum, quod adhùc duplex eſt, vel naturale, dum corpus in aqua ſimplici, vel thermali balneatur. Vel artificiale, dum conficitur ex aqua, herbis, floribus, ſeminibus, &c. in ea incoctis.

Int. Quotuplex eſt balneum humidum?

R. Multiplex, vel vaporoſum, quando vapor tantum ex decocto quodam admittitur, ut diaphoreſis, hac ratione excitetur; ut in *ſtupha*, vel quando cuidam decocto lapides candentes affunduntur, ut vapor ſuperficiem corporis attingat. Vel aquæum, quod peculiari artificio parari ſolet, ex ſimpliciſsimis ſpeciebus, nempè ex emollientibus, reſolutivis, & nervinis. Vel ex aqua ſola tepida, vel ex oleo ſolo, vel ex lacte, aut aqua, & oleo.

Int. In quibus morbis utilis eſt uſus balneorum?

R. In *obſtructionibus viſcerum, & glandularum abdominis, motibus ſpaſmodicis, contracturis, ariduris*, in corporibus ſiccis *ad vaſa* laxanda, humores ad cutem evocandos, *ſomnum* conciliandum, & humectandum.

Int. Quid obſervandum in uſu balneorum?

R. Obſervandum, quod tam univerſalium, quam particularium balneorum, debeat eſſe tepida: calida enim

enim nocet. Præterea alvus antè illorum uſum, aperta eſſe debet.

Da exemplum.

℞. *Rad. alth. & lilior. alb. ana.* ℥ij. *herb. alth. violar. mercurial. & pariet. ana. M.* iij. *flor. chamomill. & lilior. alb. ana. pug.* ij. *coq. in S. Q. aq. F. S. balneum emolliens.*

BALNEUM ABSTERGENS IN SCABIE.

℞. *Rad. lapath. acut. & bardan. ana.* ℥ij. *herb. ſaponar. fumar. nicotian. & chelidon. ana. M.* j. *ciner. frag. M.* iiij. *coq. in S. Q. aq. F. balneum.*

BALNEUM AD PELLENDUM fœtum mortum.

℞. *Rad. lilior. alb. & ariſtoloch. rot. ana.* ʒij. *herb. malv. rorismar. & puleg. ana. M.* ij. *flor. chamomill. & chærefoll. ana. pug.* iij. *ſem. lin. & baccar. laur. ana.* ʒj. *inc. cont. M. pro balneo.*

BALNEUM AD SOMNUM conciliandum.

℞. *Fol. malv. violar. lactuc. & ſolan. ana. M.* j. *capit. papaver. alb. P.* iß. *flor. nymph. m.* ß. *coq. in oxycrat. col. & colat. irrigentur pedes manè, veſperè, & hora ſomni.*

℞. *Rad. alth. & lilior. alb. ana.* ℔ß. *folior. malv. pariet. violar. mercurial. & rap. ana. M.* iij. *ſem. lin. petroſel. & fœnicul. ana.* ℥ij. *coq. in aq. font. Q. S. pro ſemicupio. In dolore nephritico, colico, & urinæ ſuppreſſione.*

Int. Quid eſt unguentum?

R. Eſt topicum medicamentum, ex oleo, pinguedine, medullis, reſina, pulvere, cera, & ſimilibus compoſitum, ad firmiorem linimenti conſiſtentiam deductum.

Int. Quotuplex eſt unguentum?

R. Duplex. Aliud officinale, quod in officinis ſervatur paratum, ut unguentum populeonis, de althea, &c. aliud magiſtrale, quod à Medico ex tempore præſcribitur. Cujus uſus multiplex eſt, ſcilicèt ad emolliendum, reſolvendum, ad ſalivationem promovendam, ad ſcabiem curandam, ad dolorem leniendum, &c.

Da

Da exemplum.

℞. *Unguent. dialth.* ℥j. *pinguedin. hum.* ℥ß. *ol. ſcorpion. & petrol. ana.* ʒij. *cappar. & laurin. ana.* ʒj. *M. S. F. unguentum ad emolliendum.*

UNGUENTUM EMOLLIENS AD GINGIVAS infantium.

℞. *Pingued. gallin. & lepor. ana.* ʒij. *mell. rec. & ol. amygd. dulc. & lilior. alb. ana.* ʒj. *M. S. F. unguentum.*

R. *Gumm. ammoniac. acet. ſolut. & inſpiſ.* ℥j. *aloes gummatoſ. & therebent. ana.* ℥ß. *ſev. cervin. & butyr. rec. ana. Q. S. M. S. F. unguentum ad ſcirrhoſos affectus.*

UNGUENTUM OPTALMICUM.

R. *Tut. pp.* ℥j. *corall. rubr. pp. camphor. & ſacchar. ſatur. ana.* ʒß. *nihil. alb.* ʒij. *virid. æri. gr.* xij. *M. S. F. C. butyr. majal. illot.* ℥iiij. *unguentum.*

UNGUENTUM DIGESTIVUM.

R. *Mell.* ℥j. *therebent.* ℥ß. *myrrh. rubr.* ʒij. *vitellor. ovor. no.* ij. *M. S. F unguentum.*

UNGUENTUM ANTI SPASMODICUM.

R. *Unguent. alabaſtr.* ℥j. *populeon.* ℥ß. *anodyn.* ʒij. *ol. nucleor. perſic. ment. & hyoſcyam. ana.* ℈ij. *op. in aceto ſolut.* ʒß. *camphor.* ℈j. *croc. orient.* ℈ß. *M. S. F. unguentum fronti, & temporibus applicandum.*

Int. Quid eſt linimentum?

R. Eſt medicamentum conſiſtentiam habens mediam intèr oleum, & unguentum, oleo craſsiùs, unguento liquidiùs eſt.

Int. Ex quibus componitur linimentum?

R. Ex oleis, axungiis, butyro, pulveribus, medullis, & unguentis.

Int. Quam proportionem medicamenta habere debent?

R. Ea ſit, ut ad duas olei partes, ſit una axungiæ, aut butyri, pulverum ʒj.

Int. Quem uſum præſtat linimentum?

R. Valet ad refrigerandum, & demulcendum dolorem, ad pectus laxandum, ad refrigerandum, ad reſolvendum, roborandum, &c.

Da

Da exemplum.

℞. *Ol. amydal. dulc. lilior. alb. cappar. & laur. an.* ℥ß. *axung. anſerin. & gallin. ana.* ʒij. *M. S. F. linimentum pro facilitando partu.*

LINIMENTUM DIURETICUM.

℞. *Unguent. de alth.* ʒvj. *ol. ſcorpion. & petrol. alb. ana.* ʒiij. *aneth.* ʒiß. *aniſ. deſtillat.* ʒß. *M. S. F. linimentum.*

LINIMENTUM ANTHELMINTHICUM.

℞. *Unguent. de arthanit.* ℥ß. *fell. taur. inſpiſſ.* ℈ij. *ol. colocynth. Q. S. ut fiat linimentum.*

LINIMENTUM SYDENHAM
ad ulcera venerea.

R. *Unguent. baſilic.* ʒvj. *nicotian.* ʒij. *merc. pręcipitat. aq. roſar. lot. & opt. lævigat.* ʒß. *M. applic. c. lint. raſis.*

LINIMENTUM ANTI PODAGRICUM.

R. *Sapon. venet.* ℥ij. *camph.* ʒij. *ſol. in S. Q. aq. & add. ſpir. ſal. ammoniac.* ʒß. *M. S. F. linimentum.*

LINIMENTUM AD HÆMORRHOIDES
cæcas.

R. *Rad. irid. florent. ſem. pſyll. & cydoneor. ana.* ℥ß. *aq. roſar. Q. S. extrahatur mucilago, cui add. vitell. ovor. no.* j. *tinct. opii.* ʒj. *camphor.* ℈j. *M. S. F. linimentum.*

LINIMENTUM NERVINUM.

R. *Axung. caſtor.* ʒj. *balſ. peruv.* ʒß. *zibet. gr.* xij. *moſch. gr.* viij. *ambr. gr.* iiij. *ol. deſtillat. caryophil. gut.* xij. *M. S. F. linimentum.*

Int. Quid eſt ceratum?

R. Eſt remedium conſiſtentia medium, intèr emplaſtrum, & unguentum.

Int. Ex quibus componitur?

R. Fit, vel ex unguentis, & cera addita; vel cùm emplaſtrum, oleis additis, ad molliorem conſiſtentiam deducimus: vel fit ex oleo, pulvere, & cera.

Int. Quam proportionem tenere debent medicamenta?

R. In compoſitione cerati pro ℥j. olei, ſit pulveris ʒiß. ceræ ℥ß.

Int.

Int. Ad quid conferunt cerata?

R. Ad emolliendum, reſolvendum, adſtringendum, nuſquàm ad refrigerandum: quia calefaciunt retinendo vapores.

Da exemplum.

CERATUM AD CAPITIS CONTUSIONES.

℞. *Maſſ. emplaſt. de beton.* ℥ij. *ol. roſ. Q. S. M. S. F. ceratum.*

CERATUM AD TUMORES ſcirrhoſos.

℞. *Gumm. ammon. acet. ſolut. & traject.* ℥j. *ol. de cappar. lilior. & ceræ Q. S. M. S. F. ceratum.*

CERATUM IN DIARRHÆA.

℞. *Pulv. maſtich. bol. armen. acaciæ, & ſang. Drac. ana.* ʒiß. *ol. cydoneor.* ℥ij. *ceræ Q. S. M. S. F. ceratum.*

Int. Quid eſt ſuffitus?

R. Eſt medicamentum forma ſiccum, vel humidum, quod ignis, vel caloris vi expirat odores, variis affectibus convenientes.

Int. Quotuplex eſt ſuffitus?

R. Duplex. Alius eſt ſiccus, & alius humidus, ſiccus componitur ex pulveribus aromaticis, quibus ſi addantur gummata, concinantur in trochiſcos. Humidus verò, vapor eſt, ex liquoribus nempè, aceto, aqua roſarum, naphæ, &c. ex olla vi caloris expirans.

Int. Ad quid conferunt ſuffitus ſicci?

R. Ad roborandum, & alterandum in frigida, & humida intemperie, catarrho, &c. Humidi verò excipiuntur in uteri affectibus per cellam perforatam, aut infundibulum: in aurium morbis per tubulum ad figuram infundibuli concinnatum.

Da exemplum.

℞. *Ladan.* ʒij. *ſtyrac. & calam. aromat. ana.* ʒiß. *benzoes thur. & lign. aloes ana.* ʒij. *ambr. & moſch. ana. gr.* ij. *M. S. F. omnium pulvis, qui ſuper carbones injectus ſuſcipiatur tecto capite. Detrahe moſcum, & ambram, ſi pro mulieribus deſideratur ſuffimentum.*

SUF-

SUFFITUS AD EXSICCANDA MALIGNA ulcera venerea, oris, & faucium.

℞. *Styrac. myrrh. & thur. maſcul. ana.* ℨij. *benzoes* ℨiiij. *cinnab. nat.* ℨj. *& cum mucilag. gumm. tragacant. F. trochiſci, quorum unus injiciatur carbonibus ignitis, fumum ſuſcipiat æger ore hiante.*

SUFFITUS AD EXCITANDOS SUDORES.

℞. *Cinnab. nat.* ℥iß. *ſtyrac. myrrh. calamint. ana.* ℨj. *reſin. pini* ℨij. *therebent. Q. S. M. S. F. trochiſci.*

Int. Suffitus humidi in quibus morbis conveniunt?

R. In menſibus ſiſtendis, aut movendis in dyſſenteria ex adſtringentibus, in ani procidentia, hæmorrhoidibus ſiſtendis, leniendis, pro quibus prodeſt ſequens ſuffitus.

℞. *Folior. verbaſc. & rad. porri, ana. M. j. ſemin. lini* ℥j. *coq. in aq. Q. S. cujus tepidus vapor ano experforato ſedali excipiatur.*

Int. Quid eſt oxyrhodinum?

R. Eſt medicamentum ex aceto, & roſis factum.

Int. Quibus partibus adhibetur?

R. Capiti, fronti, & collo.

Int. Ex quibus medicamentis componitur?

R. Ex oleo roſato & aceto, cum hac proportione, ut ad ℥iiij. aceti, ſit olei ℥iß.

Int. In quibus morbis præſcribitur?

R. In febribus, dolore capitis, inſigni delirio, vel præſente, vel imminente, comate vigil, & ſimilibus, in quibus æſtuat cerebrum.

Da exemplum.

℞. *Acet. roſat.* ℥iij. *ol. roſat.* ℥iß. *M. S. F. oxyrrhodinum.*

℞. *Ol. roſat.* ℥iij. *aq. roſar. & plantag. ana.* ℥j. *acet. roſat.* ℥iß. *M. S. F. Oxyrhodinum.*

Int. Quid eſt frontale?

R. Eſt topicum medicamentum, quod fronti admovetur citrà ſimplicem illinitionem.

Int. Ex quibus componitur?

R.

R. Ex herbis, floribus contuſis, & in aceto maceratis: vel ex unguentis, pulveribus, aqua roſarum, ovi albumine, aceto roſato, & ſimilibus: includuntur hæc, duobus linteis, & fronti, temporibuſque applicantur.

Int. Ad quid confert hoc medicamentum?

R. Ad hæmorrhagiam, & fluxiones in aures, & oculos ſiſtendas. Ad demulcendum capitis dolorem, & ad ſomnum conciliandum.

Da exemplum.

AD HÆMORRHAGIAM SISTENDAM.

R. *Pulv. bol. armen. roſ. & terræ ſigill. ana.* ʒj. *maſtich.* ʒß. *farinæ* ℈iiij. *cum album. ovi, & aq. roſar. agitentur, eumque ſtupis cannabinis, fiat frontale admovendum fronti, & temporibus.*

AD SOMNUM INDUCENDUM.

R. *Album. ovi, aq. roſar. & acet. roſ. ana. partes æquales, agitentur ſimul. excipiatur ſtupis, & fronti admove.*

AD DELIRIA, ET VIGILIAS.

℞. *Conſerv. roſar.* ℥j. *ung. populei* ℥ß. *pulv. requies Nicolai* ʒj. *granor. Kermes* ʒß. *cum ovi album. agitato, & aq. roſar. F. frontale admovendum fronti.*

Int. Quid eſt balſamum?

R. Eſt corpus unguenti inſtàr, factum communitèr ex oleo, vel eſſentia illius rei, cujus deſideratur balſamum.

Da exemplum.

BALSAMUM STHOMACHICUM.

R. *Ol. nuc. moſch. expr.* ℥ß. *deſtill. menth. aneth. tacamach. abſynt. & rut. ana.* ℈ß. *citr. & caryophyll. ana. gutt.* vj. *balſam. peruv.* ℈j. *M. S. F. balſamum.*

CAP. QUADRAGESSIMUM QUINTUM.

DE OPERATIONIBUS Pharmacæuticis.

Int. AD quam partem Medicinæ reducitur *Chymia, Alchimia, Spagyrica*, ſeù *Chymiaſtrica*?

R. Ad Pharmacopæam.

Int.

Int. Quid eſt *Chymia*?

R. Eſt ars corpora concreta, caloris beneficio, ad purum, efficacemque ſtatum elaborandi, & reducendi, pro ſanitate corporis humani tuenda, & reſtituenda.

Int. Ad quid deſerviunt operationes Pharmaceuticæ?

R. Pertinent, vel ad rei diſſolutionem, & corruptionem, vel ad alicujus rei ſeparationem, vel detractionem, vel ad rei alterationem, immutationem, perfectionem, & conſervationem.

Int. Quid eſt *Alcoholizatio*?

R. Eſt, vel ſpiritus vini talis dephlegmatio, & methæorizatio, ut pulverem pyrium accendat; vel pulveris teſtacei in ſubtiliſsimum pollinem redactio.

Int. Quid eſt Amalgamatio?

R. Eſt corroſio metallorum, præcipuè Solis, & Lunæ per Mercurium, qua in calces rediguntur.

Int. Quid eſt calcinatio?

R. Eſt rei per ignem pulveriſatio, fitque vel igne actuali, vel potentiali, per corroſionem, & præcipitationem.

Int. Quid eſt candiſatio?

R. Eſt ſacchari in aqua ſoluti purificatio, atque quadatenùs inſpiſſatio & in cryſtallos concretio.

Int. Quid eſt cœmentatio, ſeù ſtratificatio?

R. Eſt corporis metallici cœmento, ſeu pulveribus corroſivis, ſtratificatim impoſitis igni calcinatio.

Int. Quid eſt circulatio?

R. Eſt digeſtionis ſpecies, qua in vaſe, ad hanc operationem adaptato, materia circulanda volatilior, ac ſpirituoſior redditur, eam ſæpiùs condenſando, & reſolvendo.

Int. Quid eſt clarificatio?

R. Eſt ſuccorum, vel decoctorum depuratio, vel per albumen ovi ſcopulis agitatum, & admixtum, vel per digeſtionem, vel filtrationem.

Int. Quid eſt coagulatio?

R. Eſt corporis fluidi evaporando inſpiſſatio.

Int. Quid eſt cohobatio?

R. Eſt repetita deſtillatio liquore deſtillato relictæ in vaſe materiæ affuſo, ac denuò deſtillato.

Int. Quid eſt colatio?

R. Eſt rei trajectio per colum panneum, vel linteum, vel manicam Hip.

Int. Quid eſt conditura?

R. Eſt rerum diutiùs aſſervandarum ſaccharo ſyrupizato, vel melle calido, immerſio, ac ad uſum repoſitio.

Int. Quid eſt confectio?

R. Eſt rerum ſaccharo obductio, & incruſtratio.

Int. Quid eſt cribratio?

R. Eſt tranſmiſsio per cribrum.

Int. Quid eſt cryſtalliſatio?

R. Eſt ſalium priùs ſolutorum, & eouſque coctorum, dònèc pellicula appareat, ope frigoris in ėlegantes cryſtallos configuratio.

Int. Quid eſt decantatio?

R. Eſt liquoris, per vaſis inclinationem diffuſio.

Int. Quid eſt deliquium?

R. Eſt ſalis in cella repoſiti in liquorem verſio.

Int. Quid eſt dephlegmatio?

R. Eſt ſeparatio phlegmatis per deſtillationem, vel evaporationem.

Int. Quid eſt deſpumatio?

R. Eſt detractio ſpumæ intèr coquendum, cochleari perforato.

Int. Quid eſt deſtillatio?

R. Eſt liquoris, vi caloris attenuati, in recipiens appoſitum prolectio.

Int. Quid eſt detonatio?

R. Eſt calcinatio cùm flagratione, & ſtrepitu ope nitri.

Int. Quid eſt digeſtio?

R. Eſt rei attenuatio, ac veluti coctio per calorem proportionatum.

Int. Quid eſt edulzoratio?

R. Eſt crebior lotio corporis, ſalino menſtruo priùs ſoluti, aqua præſertim calida, ut nempè calx omne peregrinum quod imbibit, iterùm exuat.

Int. Quid eſt extractio?

R. Eſt evocatio ipſius animæ medicamenti, ſeù partium

ſeo-

ſcopo, & intentioni magis accommodatarum beneficio liquoris debiti, ſeu menſtrui.

Int. Quid eſt fermentatio?

R. Eſt reſolutio mixti, multum ſulphuris, & ſpiritum in ſe continentis, ut à calore humido, ad naturam ſpirituoſiorem evehatur, & exaltetur.

Int. Quid eſt filtratio?

R. Eſt tranſmiſsio liquoris puri per filtrum, ſeù pannum lineum, ſeù chartam bibulam, in vas ſubjectum, impuritate in filtro relicta.

Int. Quid eſt fixatio?

R. Eſt operatio, qua volatile fixum redditur.

Int. Quid eſt lævigatio?

R. Eſt corporis alicujus ſupèr porphyretem, in ſubtiliſsimum pulverem reductio, affuſſa ſubinde aqua deſtillata.

Int. Quid eſt nutritio?

R. Eſt medicamenti irrigatio, & convenienti ſucco inebriatio.

Int. Quid eſt præcipitatio?

R. Eſt operatio, qua corpora per menſtruum ſoluta, ab eodem denuò ſeparantur, ut forma calcis, vel pulveris ad fundum ſuccedant, injecto in ſolutionem alcalico, ſi menſtruum ſit acidum, vel acidum, ſi menſtruum ſit alcalicum.

Int. Quid eſt rectificatio?

R. Eſt operatio, qua denuò blando calore, res deſtillantur, ut pars magis ſpirituoſa, ac volatilis eliciatur, relicto phlegmate.

Int. Quid eſt reverberatio?

R. Eſt crematio rei, vi flamæ in, ac ſuprà illam ambientis.

Int. Quid eſt ſeparatio?

R. Eſt ſegregatio ætherogenearum rerum; preſertim olei ab aqua, vel per tritorium, vel per goſypium, vel per chartam bibulam.

Int. Quid eſt ſigillatio hærmetica?

R. Eſt, qua vitrea fuſione clauduntur.

Int.

Int. Quid eſt ſublimatio?

R. Eſt operatio, qua res volatiles ſiccæ, ut ignis, nunc patentis, nunc interventu arenæ, cinerum, &c. in altum ſublatæ, alembici lateribus, inſtar atomorum adhæreſcunt. Hæc ſunt potiores operationes pharmaceuticę, quibus adde, & vulgares, omnibus notas, ut *trituram, ſectionem, raſionem, limaturam; liquationem, diſſolutionem, torrefactionem, uſtionem, cinefactionem, lotionem, infuſionem, coctionem, expreſsionem, exſiccationem, & evaporationem.*

Int. Cur plura non addis?

R. Quia Tyronibus ſcribitur, non Veteranis.

Et ea quæ hucuſque dicta fuere, meo videri, prò ſufficienti habeo, ut quando coràm Protho-Medicis compareant Diſcipuli, poſsint obtinere meritò licentiam, & approbationem, quàm cupiunt.

SI ALIQUID DIXERO, VEL DICTUM fuerit contra ſtatuta S. R. E. ſub ejus correctione me ſubjicio.

FINIS.

R